PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLVI / FASC. 1
15 Martii 1957

ALMA COLLEGE
LIBRARY
PDRM

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1957

47218

FASCICULI

INDEX ANALYTICUS

Pag.

I - Dissertationes et quaesita varia

De principio subsidiaritatis in iure canonico W. Bertrams S. I. 3

Impedimentum affinitatis L. Bender, O. P. . . . 66

Missale Romanum Slavonicum I. M. Schweigl S. I. . 79

II - Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XII

Nuntius radiophonicus pridie pervigilium Nativitatis D. N. Iesu Christi, anno 1956 88

S. S. Congregatio S. Officii

Dubium de affinitate 117

Proscriptio librorum 118

S. Congregatio Rituum

Ordinationes et declarationes circa ordinem hebdomadae sanctae instauratum 119

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XLVI / FASC. I
15 Martii 1957

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1957

v. 46
1957

IMPRIMI POTEST

Romae, die 28 martii 1957

P. Petrus M. Abellán, S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 30 martii 1957

† A. Traglia
Archiep. Caesarien. Vic. Ger.

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE - ROMAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE PRINCIPIO SUBSIDIARITATIS IN IURE CANONICO

I. De Principio subsidiaritatis in se.

1. *De socialitate humana eiusque structura interna et ordine externo.*

Homo qua persona constituit aliquod totum, quod est in se et propter se. Attamen hoc totum non est clausum in seipso; potius natura sua intentionali homo ordinatur ad omne verum et omne bonum, ut perfectionem eius personalem constituat. Hinc homo perfectionem suam personalem non obtinet definitive nisi in Deo, qui non est tantum in se summum bonum, bonum infinitum, sed qua tale etiam constituit hominis bonum internum et perfectum. Attamen homo in Deum finem suum ultimum tendit per finem intermedium, qui habetur in unione cum Deo secundum intellectum et voluntatem imperfecta, quatenus homo acquirit verum et bonum creatum, contingens, quod constituit participationem, communicationem veri et boni increati, infiniti.

Hic finis intermedius est communis omnibus hominibus. Ratione finis intermedii igitur homines

ad invicem ordinantur, quatenus qua personae sibi debent reciprocam recognitionem, reverentiam, favorem, necnon quatenus fiant omnes illae communicationes conducentes ad perfectionem personalem obtinendam. Tales *communicationes personales* reciprocae tamquam medium habent — dum persona ipsa est incommunicabilis — *bonum humanum* in eius latitudine indefinita seu omnia illa bona, quae « humanitatem » constituunt, i. e. quae homini perfectionem personalem praebent, e. g. bona culturae, civilisationis, oeconomiae etc.

Proinde homines qua personae uniuntur, i. e. *interne coordinantur* per bona humana, quatenus haec communi activitate sunt creanda, acquirenda, communicanda. Quatenus haec bona humana obtinenda sunt tamquam finis communicationum inter homines, supponunt igitur relationes intentionales inter homines. In quantum unum ex bonis humanis communicatione habituali et constanti creatur, habetur societas, e. g. familia.

Bona humana, quae tantum communicatione seu activitate communi haberi possunt, dicuntur bona *communia* humana. Proinde *socialitas humana* constituitur relationibus *personalibus,* quae versantur circa bona communia humana actuanda; hinc homines natura ipsa uniuntur, solidarie ligantur; ipsa natura est socialis, i. e. socialitatem tamquam constitutivum habet. Vita socialis igitur constituitur activitate *personali* hominum, qua bona communia humana creantur, communicantur, acquiruntur. « Haec bona communia teleologice structuram internam socialis vitae constituunt et pro eius (hominis) spiritualitate in ‘ unitatem or-

dinis ', sc. unius in multis, redigunt. Primum inter illa ' bona communia ' obiectiva est personalitas humana ipsa eiusque perfecta evolutio, in qua est omnis hominis ut imaginis Dei finis internus. Hic valor non solum est primus, sed etiam fundamentum aliorum ' bonorum communium ' (variorum valorum culturae et religionis) hoc sensu, quod omnia illa alia ' bona communia ' et uniones illis correspondentes ad servitium humanae personae ipsiusque evolutionis destinantur, cum humana persona perficienda intentionaliter in illa alia bona realisanda secundum ipsorum obiectivum valorem et secundum ipsorum obiectivam interdependentiam feratur » [1].

Inde elucet ipsum *esse sociale* non haberi eo, quod singuli accidentaliter differentes « integrantur » ad unitatem, ad totum constituendum [2], po-

---

1 G. GUNDLACH, *Annotationes in Nuntium Radiophonicum Pii XII.* 24. 12. 42, Periodica de re morali canonica liturgica 1943, 85.

2 Ita A. F. UTZ videtur concipere esse sociale: « Also kommen wir zu guter Letzt doch wiederum auf das ' verhasste ' Kollektiv. Und tatsächlich kommen wir auf das Kollektiv, aber nicht auf ein Kollektivum, in welchem die Einzelnen ausgelöscht, sondern vielmehr mitausgesprochen sind. Wir stehen also bei einem Gemeinsamen, nicht bei den Einzelnen, jedoch bei einem Gemeinsamen mit Differenzierung durch die Einzelnen. Mit anderen Worten: beim analogen Gemeinsamen. Ohne Kenntnis der Analogie als einem seinsmässig Gemeinsamen mit Differenzierung ist überhaupt nicht durchzukommen ». Der Mythus des Subsidiaritätsprinzips, in *Die Neue Ordnung,* Paderborn, 1956, 12. « Wo sind hier die sogenannten, vielgepriesenen vorstaatlichen Rechte? Sie bestehen nicht als vorstaatliche Rechte, denn sie sind im Staat. Sie können nicht gegenabgeteilt werden, denn der Staat ist aus ihnen mitgebildet, so wie ein Ganzes aus den Teilen zusammengesetzt wird. Das Gemeinwohl, also das Wohl des Staates, kann nicht in Gegenüberstellung gebracht werden zu den einzelnen Rechten und einzelnen Ge-

tius esse sociale habetur eo, quod « interne coordinantur » omnes singuli qua personae, quae praecise propter earum differentias accidentales aliquod totum constituunt. Ita plures personae unionem constituere possunt, quin propria subsistentia tangatur, quinimmo unio socialis constituitur relationibus intentionalibus, quae ipsis personis inhaerent. Si autem singuli dicuntur integrari ad totum constituendum, positio centralis hominis tamquam personae in vita sociali difficulter servatur, quia ipsa eius perfectio personalis in hac suppositione habetur tamquam pars boni communis, quod concipitur tamquam bonum naturae humanae includens non tantum bona humana, sed etiam omnes singulos cum perfectione eorum personali. Hinc iura fundamentalia hominis tamquam personae haberentur quidem natura priora concreto Statui, non autem habentur natura priora Statui qua tali, sed tantum in ipso.

Porro haberi debent « institutiones et uniones indolis *organisatoriae*, quibus relationes inter personas et physicas et morales ex structura interna vitae socialis resultantes in externum ordinem rediguntur. Hoc intrinsece necessarium est, quia agitur de vita sociali entium humanorum, i. e. ex

---

sellschaften ». Ibidem 16. Similiter in: *Formen und Grenzen des Subsidiaritätsprinzips, Kerle*, Heidelberg 1956, 61 ss. Cf. autem: « Quand l'homme entre par la naissance dans la société, il est déjà pourvu par le Créateur de droits indépendants », et antea: « cela non seulement dans l'ordre de l'action présente, mais aussi dans celui de la finalité ». PIUS XII., *Nunt. Radioph.* 11. 9. 56, Acta Ap. Sedis, 1956, 679.

anima et corpore compositorum et in spatio et tempore degentium »[3].

Haec est ratio, propter quam impulsu naturae socialis humanae oriuntur necessario societates, quibus competit ordinare ipsam socialitatem, i. e. praebere vitae sociali organisationem, sive talis societas sit omnino necessaria, uti Status, sive summe conveniens ad perfectionem vitae socialis obtinendam, uti associationes ratione vicinitatis localis (e. g. municipia) et ordines professionales[4]. Finis quem talis societas organisatoria prosequitur, est igitur organisatio vitae socialis talis, qualis ad bona communia humana creanda requiritur. Cum vita socialis ipsa sit bonum, et cum socialitas omnibus sit communis, etiam eius organisatio est bonum, est bonum vero commune, *bonum commune sensu technico.*

Notanda est differentia, quae est inter bona communia et bonum commune sensu technico. Bona communia humana constituuntur illis bonis, quibus homo ad vitam gerendam et magis perfecte gerendam indiget, e. g. religio, scientiae, artes, bona technicae. Haec bona igitur hominem perficiunt, sive directe ex se, e. g. bona culturae, sive saltem ex fructibus eorum, e. g. multa bona, quae evolutioni technicae debentur. E contra bonum commune sensu technico est bonum ordinis

---

3 GUNDLACH *l. c.*

4 *Ibidem* 86. « Origine e scopo essenziale della vita sociale vuol essere la conservazione, lo sviluppo e il perfezionamento della persona umana, aiutandola ad attuare rettamente le norme e i valori della religione e della cultura ». PIUS XII., *Nunt. Radioph.* 24. 12. 42, Acta Ap. Sed. 1943, 12.

organisatorii, quatenus ordinationem praebet socialitati humanae qua tali, ipsi vitae sociali seu activitati sociali, qua bona communia humana creantur.

2. *De societate organisatoria.*

Societas organisatoria, societas, quae ordinat socialitatem qua talem, hominem afficit totaliter, i. e. secundum omnes eius relationes sociales. Nam hic non agitur de aliqua activitate sociali specificata, ordinata in determinatum bonum humanum creandum (e. g. contractus operae, associatio commercialis-lucrativa), hic agitur potius de *socialitate qua tali* ordinanda. Etiam hoc fit semper sub speciali aliqua ratione, e. g. in associatione ratione vicinitatis localis hoc fit, quatenus circumstantiae concretae locales vitam socialem afficiunt; hinc bonum commune efficiendum est semper bonum tali ratione determinatum et limitatum, non est finis in se et propter se, cui membra societatis sub omni respectu, modo totalitario, subordinantur. A. v. personae qua tales non sunt unquam partes societatis. Attamen sub ratione formali, qua talis societas vitam socialem ordinat, omnes relationes sociales membrorum societatis afficiuntur, quia aliquod *totum* constituunt; hoc sensu societas organisatoria hominem afficit totaliter, dum societas ad bonum aliquod humanum creandum (commercium lucrativum, scientia, artes etc.) totum hominem quidem afficit, sed tantum in ordine ad illud determinatum bonum humanum creandum, i. e. non totaliter.

In societate organisatoria agitur de organisatione, quae, quia requiritur ad ordinatam actuationem socialitatis communis omnibus, bonum commune constituit. Vita socialis ita est organisanda, activitas socialis ita est ordinanda, ut bonum commune habeatur. Singuli ad societatem igitur referuntur in tantum, in quantum bonum commune hoc exigit; singuli sunt membra societatis ratione boni communis efficiendi, non autem ultra talem mensuram. « Consequitur nunquam posse immediate ex ratione boni communis id, quod structura interna socialis vitae essentialiter continet, determinari aut negligi aut mutari; nam hoc per impossibile diceret rationem organisandi ut talem id determinare, quod ut organisandum iam ex conceptu suo praecedat, nempe structura interna socialis vitae cum obiectivis bonis communibus (persona cum valoribus culturae et religionis). Ergo nequit e. g. Status immediate propter bonum commune, sc. propter proprium suum finem, quoad essentialia determinare, quae sint bona communia, quae et quo ordine sint colenda. Item repugnat ex conceptu suo Status sic dictus ' laicista ' seu natura sua indifferens erga bona communia (valores), quae structura interna socialis vitae obiective continet. Nam hoc diceret Statum, ut unionem organisatoriam, esse finem in se, cum omnis forma organisatoria sit propter organisandum et illud sequatur, immo in nostro casu stricta necessitate sequatur. A fortiori nequit immediate ex ratione boni communis, seu ex functione intime organisatoria, directe destrui id, quod essentialiter structuram internam vitae socialis constituit,

e. g. persona humana cum suis finibus essentialibus. Nam hoc per impossibile diceret organisando id delere, quod essentialiter organisari debeat » [5].

Societas organisatoria constituit aliquod unum et totum. Organisatio eius vere constituit bonum totius, bonum commune. Attamen bonum commune non est propter seipsum, neque concipiendum est tamquam bonum supra singulos. Potius bonum commune est ipsa socialitas humana organisata, seu, dynamice consideratum, complexus conditionum publicarum, quae vitam socialem, activitatem communem ad bona communia humana actuanda possibilem reddunt. Bonum commune igitur ordinatur ad membra societatis, non quidem *distributive* sumpta, sed *collective* sumpta, et ita ad singulos homines qua personas, et ad associationes minores [6].

---

[5] GUNDLACH *l. c.* 87.

[6] « Nostra sententia redigit civitatem in condicionem meri medii pro bono privato *totali* omnium civium *collective* sumptorum, conc., pro bono privato civium *singillatim* spectatorum vel etiam paucorum et partiali, nego ». *V. Cathrein,* Philosophia moralis, Herder, Friburgi Br. 1925 [13], nr. 609. « Die Eigenart der sozialen Ganzheit liegt darin, die Personen im gegenseitigen Geben und Empfangen zur Entfaltung zu bringen. Diese Zielrichtung ist unleugbar, mag im übrigen auch noch irgendwie ein höheres Gemeinschaftsgut beabsichtigt sein. Alle Personen sollen ihre Förderungen erfahren. Dies erfordert eine bestimmte Organisation. Indem alle sich gegenseitig helfen, entsteht das höhere Gebilde der Gemeinschaft. Ihre Ueberordnung über die einzelnen Glieder für sich genommen leugnet niemand. Aber nun kommt die entscheidende Frage: Besteht diese Ueberordnung auch hinsichtlich aller Glieder insgesamt? ... Hat man aber einmal den Sinn und die Möglichkeit unserer Unterscheidung eingesehen, dann scheint die Entscheidung über den Primat der Glieder insgesamt vor dem organisierten Ganzen nicht mehr schwer zu sein. Primat besagt hier sicher nicht,

Singuli homines igitur qua personae in quavis societate sunt et manent *subiectum* iuris; immo societas est propter eorum perfectionem personalem. Altera ex parte bonum commune, quia est necessarium pro ordinata vita sociali, habet rationem normae obiectivae supremae pro vita sociali. Societas verum ius subiectivum habet ad suum bonum commune; etiam ipsa societas est subiectum iuris. Hinc relationes inter membra societatis et societatem sunt relationes iuridicae determinatae per bonum commune. Ita membris illa officia competunt, quae bonum commune ab ipsis requirit, non autem ultra talem mensuram. Haec officia habentur in sphaera *activitatis externae et bonorum externorum* membrorum, dum ipsa persona eiusque vita propria est *terminus* vitae

---

dass die Gemeinschaft überflüssig ist, dass ihre Gewalten geleugnet würden. Es soll nur das Zielverhältnis ausgedrückt werden, dass die konkrete Zusammenfassung zu einem organisierten Gebilde den Gliedern zugute kommen soll. Zugleich aber bilden dann die so zusammengefassten Glieder eine gewisse Ganzheit, die alle Werte und Ziele der Glieder mit einschliesst, aus ihnen erwächst. Alle Wertprädikate der Ganzheit bleiben bestehen, nur wird deutlicher gesagt, dass diese Ganzheit aus den Personenwerten entsteht und besteht, und dass ihre Organisation den realen Personen dienstbar ist». J. B. SCHUSTER, *Die Soziallehre nach Leo XIII.* und *Pius XI.*, Herder, Freiburg i. B. 1935, 123 s. Hoc totum utique maiorem constituit communicationem perfectionis divinae — etiam qua unum, qua totum — quam singulares homines, et consequenter etiam maiorem gloriam divinam. Affirmamus tantum esse sociale formaliter sumptum — i. e. unitas ordinis intentionalis — ordinatum esse ad homines qua personas et non viceversa. Bonum commune intelligitur: « quelle esterne condizioni, le quali sono necessarie all'insieme dei cittadini per lo sviluppo delle loro qualità e dei loro uffici, della loro vita materiale, intellettuale e religiosa ». Pius XII., Nuntius Radiophonicus 24. 12. 42, Acta Ap. Sedis 1943, 13.

socialis; habetur verum ius subiectivum membrorum exigendi a societate, ut eorum vita propria recognoscatur et adiuvetur.

Immo *auctoritas,* quae in omni societate organisatoria requiritur tamquam principium, quo activitas socialis membrorum realiter et efficaciter ad bonum commune efficiendum ordinatur, nihil est nisi organum societatis, quo haec hoc suum ius tuetur et exercet. Hac ratione auctoritas supponitur pro ipsa societate, ita ut e. g. ordo inter auctoritates constituatur secundum ordinem inter societates simulque ordinem inter societates manifestet.

Quia socialitas humana fundatur in reciproca intentionalitate, qua homines tamquam personae tendunt in bona humana, et consequenter constituitur coordinatione interna, intentionali personarum secundum structuram obiectivam bonorum humanorum, ea de causa activitas socialis habetur eo, quod homines propriam personalitatem et proprias facultates personales evolvunt. Haec indoles personalis omnium relationum socialium omnisque activitatis socialis est quam maxime efferenda. Hinc bonum commune sensu technico communiter efficiendum natura sua ordinatur ad auxilium praestandum membris societatis, ut ipsa evolutione et exercitio propriarum facultatum personalium perfectionem personalem obtinere possint. Societas *organisatoria* igitur ordinatur ad subsidium praestandum activitati personali membrorum societatis, ut haec activitas per acquisitionem et communicationem bonorum humanorum

cedere possit in perfectionem *personalem* membrorum societatis.

3. *De argumento principii subsidiaritatis.*

Haec est ratio, ob quam ordinatio vitae socialis fit applicatione principii subsidiaritatis. Principium subsidiaritatis enuntiat ordinationem societatis in hominem, in eius perfectionem personalem: Societas est propter hominem, non est homo propter societatem. Hinc principium subsidiaritatis exigit, ut — positive — societas homini illud praestet auxilium, quo eius insufficientia sibi creandi bona ad vitam modo humano gerendam necessaria superetur, et ut — negative — societas activitatem propriam ad auxilium necessarium praestandum restringat.

In metaphysica sociali *philosophiae perennis* hoc principium eatenus semper habebatur, quatenus dignitatem personalem hominis efferebat eiusque ius tendendi libere ad propriam perfectionem personalem et habendi media ad hunc finem necessaria [7]. In Litt. Enc. *Leonis XIII* Rerum Novarum principium subsidiaritatis virtualiter quidem, sed omnino clare enuntiatur [8]. *H. Pesch*

---

[7] « Le principe: 'civitas propter cives, non cives propter civitatem' est un héritage antique de la tradition catholique et fut repris dans l'enseignement des Papes Léon XIII, Pie X, Pie XI, non de manière occasionelle, mais en termes explicites, forts et précis ». Pius XII., Nuntius Radiophonicus 11. 9. 56, Acta Ap. Sed. 1956, 679.

[8] E. Link, *Das Subsidiaritätsprinzip, Sein Wesen und seine Bedeutung für die Sozialethik,* Herder, Freiburg i. B. 1955, 27 ss.

in operibus suis philosophiae socialis et philosophiae oeconomiae publicae hoc principium formaliter statuit, explicavit, applicavit, probavit. Deinde etiam in Litt. Enc. *Pii XI* Quadragesimo Anno hoc principium *formaliter* enuntiatur, proponitur, inculcatur: « Fixum tamen immotumque manet in philosophia sociali gravissimum illud principium quod neque moveri neque mutari potest: sicut quae a singularibus hominibus proprio marte et propria industria possunt perfici, nefas est eisdem eripere et communitati demandare, ita quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici praestarique possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem avocare iniuria est simulque grave damnum ac recti ordinis perturbatio; cum socialis quaevis opera vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis socialis debeat, numquam vero eadem destruere et absorbere » [9].

Iterum atque iterum *Pius XII* non tantum momentum huius principii inculcavit, sed etiam illud applicavit in solutione quaestionum vitae socialis hodiernae. Ita dicitur e. g. in Litt. Enc. Mystici Corporis Christi: « Si totius et singulorum membrorum mutuam inter se rationem consideramus, in physico quolibet viventi corpore totius concretionis emolumento membra singula universa postremum unice destinantur, dum socialis quaelibet hominum compages, si modo ultimum utilitatis finem inspicimus, ad omnium et uniuscuiusque membri profectum, utpote personae sunt, postremum ordinantur » [10].

[9] *Acta Ap. Sedis* 1931, 203.
[10] *Acta Ap. Sedis* 1943, 222.

Eo quod principium subsidiaritatis effert indolem subsidiariam societatis organisatoriae hoc principium supponit et affirmat hominem tamquam personam esse centrum vitae socialis. Haec enim est ratio, ob quam vita socialis ita est ordinanda, ut subsidium praestet homini ad perfectionem personalem obtinendam. Inde etiam explicatur, quod conceptio, quae relationem inter singulos et societatem simpliciter reducit ad applicationem principii *totalitatis* — pars est ex toto et propter totum — tantum difficulter explicare potest argumentum et momentum principii subsidiaritatis in vita sociali, quia hoc principium positionem centralem hominis tamquam personae in vita sociali effert [11].

4. *De functione principii subsidiaritatis in societate.*

Ex dictis elucet principium subsidiaritatis non enuntiare tantum aliquam regulam practicam: auctoritas socialis — praesertim in statu naturae lapsae ad malum inclinatae — facile mensuram convenientem excedit attribuendo sibi in vita sociali ea, quae ad ipsam non spectant; eo quod effertur functio subsidiaria societatis organisatoriae, auctoritas socialis infra limites sibi po-

---

11 A. Rauscher, *Subsidiaritätsprinzip und berufsständische Ordnung in Quadragesimo Anno,* (mox typis edetur) iure notat auctores, qui societatem explicant simpliciter secundum principium totalitatis, principium subsidiaritatis habere tamquam alienum ab hac conceptione.

sitos tenenda esset. Hoc principium potius est *metaphysicum*: Est socialis ipsa natura humana, et ideo natura humana etiam ontice, immo primarie ontice, exigit « spatium » in quo se evolvere possit; quod spatium societate constituitur, quatenus ipsum esse sociale, i. e. ordo relationum intentionalium inter personas, quo personae unionem constituunt, verum bonum, veram perfectionem constituit praebendo homini tamquam personae verum auxilium seu subsidium [12]. Hoc sensu societas subsidium pro homine est primarie natura sua metaphysica; societas natura sua metaphysica ita naturae metaphysicae hominis convenit et congruit.

Porro societas subsidium praebet homini eo, quod praebet illam *organisationem*, quam coordinatio interna personarum fundata in reciproca earum intentionalitate requirit. Sub hoc respectu principium subsidiaritatis est *principium competentiae* societatum, quatenus determinat ordinem, quo plures societates subsidium praestandum habent. Vita enim socialis semper servare debet indolem personalem; communis activitas ad bona communia humana actuanda non debet accipere characterem cooperationis mere externae. Quo magis activitas socialis accipit characterem mere externum, eo minus confert ad evolutionem personalem hominum. Hinc activitas socialis, quae a societate homini magis vicina praestari potest, huic relinquenda est, nec societati homini magis remota est attribuenda, quia, quo magis remota

---

[12] Cfr. LINK, *o. c.* 84 ss.

societas est homini, eo minus eius activitas habet characterem personalem, eo minus confert ad perfectionem personalem hominum, i. e. ad finem vitae socialis.

Idem sequitur ex ordine, qui est inter bona humana. Ordo enim inter societates constituitur per ordinem, qui est inter bona, quae finem societatum constituunt. Haec bona ordinem constituunt ratione influxus quem habent ad perfectionem personalem homini praebendam, ad quam omnia bona humana ordinantur, in qua unitatem constituunt. Inde societas magis directe conferens ad vitam humanam personalem maius est bonum ad perfectionem personalem quam societas minus directe conferens ad vitam humanam personalem. Ergo societas homini magis vicina praecedit societati homini magis remota, i. e. illa quae a societate minore fieri possunt, non spectant ad societatem maiorem; e. g. illa quae a familia fieri possunt, non spectant ad Statum, quia ratio habendi subsidium ex parte Status in hac suppositione non habetur; potius Status ordinatur ad subsidium praestandum familiis, ut propriam vitam gerere possint.

In Litt. Enc. Quadragesimo Anno principium subsidiaritatis magis proprie proponitur tamquam *principium competentiae* inter societates. Non possunt per societatem maiorem auferri societati minori illa, quae ipsa praestare potest per seipsam, sicuti nunquam aliqua societas potest auferre singulis id, quod per seipsos facere possunt. Quia agitur de competentia societatis, principium subsidiaritatis proponitur in forma negativa, etsi

etiam tamquam principium competentiae habet sensum omnino positivum, scl. efferre indolem personalem activitatis socialis. Ad hanc indolem tuendam vita propria societatis minoris est integre servanda, sicuti personae vita propria est relinquenda.

Restrictio competentiae societatis ad illam activitatem, qua minor societas resp. singuli *indigent* ad vitam propriam gerendam fundatur in ipsa structura vitae socialis, uti supra dictum est, quatenus vita socialis habetur ad auxilium praestandum hominibus. Hinc principium subsidiaritatis saepe, immo fere communiter, modo *generali* habetur tamquam principium, quod enuntiat *positive* societatis officium praestandi auxilium necessarium singulis resp. minoribus societatibus, *negative* restrictionem officii societatis ad praestandum auxilium, quod est necessarium.

Consequenter est etiam principium subsidiaritatis, quod exigit vitam socialem modo organico divisam et compositam. Excluditur hoc principio talis vitae socialis uniformitas, quae totam vitam socialem attribuit unice societati maiori, i. e. Statui, ita, ut inter singulos et Statum aliae associationes non habeantur, singuli directe contraponantur Statui, qui, absorbendo omnes fines sociales facile eo pervenit, ut non iam recognoscat finem personalem singulorum. Hinc requiritur *multiformis organisatio* vitae socialis, requiritur aedificatio vitae socialis a societate homini magis vicina per societates ei minus remotas ad magis remotam, i. e. a familia per municipia et ordines

professionales ad Statum [13]. Tali organisatione vitae socialis habita haec se evolvere potest perfecte, contribuendo ita ad evolutionem facultatem personalium hominum et ita ad eorum perfectionem personalem.

Tandem omnis *activitas socialis* est subsidiaria, quatenus quaevis activitas socialis exercenda est ad subsidium praestandum membris societatis pro communicatione personali bonorum humanorum et exclusive ad hoc. Proinde non tantum in ordine *executionis* societas organisatoria est propter membra societatis — quatenus bonum commune de facto membris societatis cederet in bonum — sed etiam, immo primarie, in ordine *finalitatis*, quatenus auxilium praestandum membris talis societatis pro evolutione facultatum personalium eorum — et ita pro reciproca acquisitione et communicatione bonorum humanorum, quae bona in perfectionem personalem cedunt — est finis propter quem est talis societas cum proprio bono communi, et non e contrario homo est propter societatem [14].

---

13 « Ob 'individualismi' quem diximus vitium eo res sunt redactae, ut prostata ac paene exstincta locuplete illa et quondam per diversi generis consociationes composite evoluta vita sociali, fere soli remanserint singulares homines et res publica, haud parvo ipsius rei publicae detrimento, quae amissa forma regiminis socialis susceptisque oneribus omnibus, quae deletae illae consociationes ante perferebant, negotiis et officiis propemodum infinitis obruta est atque oppressa ». PIUS XI., *l. c.* Acta Ap. Sedis 1931, 203.

14 Cf. PIUS XII., *Nuntius Radiophonicus* 11. 9. 56, l. c. 679 s.

5. *De indole formali principii subsidiaritatis.*

Principium subsidiaritatis est principium *formale*; non indicat, quid *materialiter* praestandum sit a societate; tantum enuntiat finem societatis esse subsidium praestandum; positive: quatenus subsidium, quod membris societatis est necessarium (respective minoribus societatibus), a societate praestandum est; negative: quatenus ultra rationem subsidii praestandi competentia societatis non habetur. Materialis determinatio activitatis socialis exercendae specificatur concreto bono communi respectivae societatis. Ita e.g. finis Status primarie consistit in protectione reali et efficaci exercitii iurium personalium. Consequenter quoad activitatem socialem materialiter sumptam habetur quam maxima variatio et evolutio secundum diversas conditiones loci et temporis, culturae et civilisationis, secundum formationem intellectualem et moralem membrorum societatis etc., et quidem non tantum inter societates specifice distinctas, e. g. inter municipia et Statum, sed etiam inter societates eiusdem speciei.

In specie principium subsidiaritatis utpote formale non exigit determinatem *formam regiminis*. Hoc principium tantum exigit, ut — qualiscumque forma regiminis iuri naturalis conformis in Statu habeatur — Status vitam propriam societatum minorum et singulorum hominum recognoscat eisque ad vitam propriam gerendam subsidium necessarium praebeat. Vere ita organisatio vitae socialis a minoribus societatibus ad maiores

ascendit; vere excluditur, quod vita minoris societatis habeatur simpliciter tamquam pars vitae societatis maioris. Quid ita de societate dicitur, dicendum est etiam de eius *potestate*. Recognoscere vitam propriam societatis dicit recognoscere etiam congruentem potestatem propriam societatis. Hinc potestas societatis minoris non debet haberi mera delegatio ex parte potestatis societatis maioris. Principio subsidiaritatis de se autem non excluditur, quod potestas publica altior potestatem habet etiam in societatem minorem, immo insufficientia societatis minoris necessario supplenda per societatem maiorem talem potestatem exigit. Neque principium subsidiaritatis ullo modo favet tendentiae infirmandi aut attenuandi potestatem socialem; potius contrarium affirmandum est; principium subsidiaritatis exigit tantum, ut potestas socialis applicetur et exlusive applicetur ad officia sibi propria [15].

Haec omnia etiam eo confirmantur, quod thesis philosophiae perennis, quae populum habet subiectum originarium potestatis publicae (iure naturali negativo; negativo, quia ipsa natura subiectum ulterius non determinat), omnino admittit et affirmat hanc potestatem posse et ordinarie debere transferri a populo in subiectum concretum, sive hoc sit persona physica (monarchia), sive per-

---

15 « Quare sibi animo persuasum habeant, qui rerum potiuntur: quo perfectius, servato hoc 'subsidiarii' officii principio, hierarchicus inter diversas consociationes ordo viguerit, eo praestantiorem fore socialem et auctoritatem et efficientiam, eoque feliciorem laetioremque rei publicae statum ». PIUS XI. l. c. 203.

sona moralis, aut denique regimen sit mixtum [16]. Hinc principium subsidiaritatis excludit tantum illas formas regiminis, quae iam de se iuri naturali repugnant: liberalismum individualisticum, qui verum esse sociale negat, qui consequenter subsidium socialiter praestandum negare debet; et totalitarismum collectivisticum, qui collectivum habet unicam realitatem, qui consequenter personalitatem metaphysicam hominis destruit.

II. De applicabilitate principii subsidiaritatis in Ecclesia.

1. *De Ecclesia societate humana et supernaturali.*

Quaeritur, utrum principium subsidiaritatis applicabile et applicandum sit in Ecclesia necne.

Ecclesia est societas *supernaturalis*. Bonum supernaturale non constitutive nec exigitive nec consecutive naturae humanae debetur; est bonum gratuito a Deo datum. Proinde creatio boni supernaturalis vires humanas naturales excedit; bonum supernaturale tantum a Deo dari potest, respective requiritur specialis facultas a Deo data ad creandum bonum supernaturale. Facultas creandi bonum supernaturale igitur a Deo descendit in homines; pariter inter homines ab « alto » descendit, non autem e. g. a communitate facultate propria

[16] Cf. P. Tischleder, *Ursprung und Träger der Staatsgewalt nach der Lehre des hl. Thomas und seiner Schule*, Volksverein, M. Gladbach, 1923; H. Rommen, *Die Staatslehre des Franz Suarez S. J.*, ibidem 1926, §§ 7, 8. Cf. etiam Pius XII., *Allocutio ad S. R. Rotam*, Acta Ap. Sedis 1945, 259.

naturali dari potest certo subiecto, quia vires etiam communitatis humanae vires naturales hominis non transcendunt.

Principium subsidiaritatis enuntiat non requiri activitatem socialem nisi singulis, respective societati minori, sit necessaria. Iamvero bonum supernaturale natura sua ab alto descendere debet. Proinde in Ecclesia principium subsidiaritatis applicabile esse non videtur.

Attamen haec conclusio esset nimis praepopera. Verum quidem est Ecclesiam *originem* suam non debere viribus socialibus hominium, quia vires sociales hominum non possunt creare societatem supernaturalem [1]. Ecclesia originem suam debet actui institutionis, fundationis eius, qui est auctor ordinis supernaturalis concreti: Christus est conditor Ecclesiae [2].

Attamen *constituta* Ecclesia tamquam societate supernaturali per Christum Dominum — cum

---

1 « L'origine della Chiesa, all'opposto di quello dello Stato, non è di diritto naturale. La più ampia e accurata analisi della persona umana non offre alcun elemento per concludere che la Chiesa, al pari della società civile, avrebbe dovuto naturalmente nascere e svilupparsi. Essa deriva da un atto positivo di Dio, al di là e al di sopra della indole sociale dell'uomo ». PIUS XII., *Allocutio ad S. Rotam*, Acta Ap. Sedis 1945, 259.

2 Christus Dominus Ecclesiam definitive constituit morte sua in Cruce: « Opus autem suum in Crucis patibulo consummavisse, haud interrupta Sanctorum Patrum testimonia asseverant » PIUS XII., *Litt. Enc. Mystici Corporis Christi*, Acta Ap. Sed. 1943, 205. Origo Ecclesiae per mortem Christi in Cruce una ex parte indicat mortem Christi habere quam maxime rationem actus socialis (cf. W. BERTRAMS, *De Origine Ecclesiae*, Periodica de re morali canonica liturgica 1946, 241 ss); altera ex parte manifestat indolem supernaturalem Ecclesiae.

omnibus illis bonis supernaturalibus, quibus perpetuo ad finem suum obtinendum indiget — Ecclesia se evolvit eo fere modo, quo se evolvere solent societates naturales. Sicuti societas naturalis semper de novo oritur eo, quod bonum commune efficiendum est semper de novo cooperatione membrorum, ita etiam Ecclesia semper de novo oritur eo, quod finis eius obtinendus est omnium pastorum et fidelium activitate communi ordinata in hunc finem [3]. Sub hoc respectu quaestio igitur manet, utrum principium subsidiaritatis in Ecclesia sit applicabile et applicandum necne.

Porro indoles supernaturalis Ecclesiae non excludit, quominus sit societas vere *humana;* immo hoc etiam est quam maxime efferendum. Hinc finis Ecclesiae utique est cultus supernaturalis Deo tribuendus et vita supernaturalis hominibus conferenda ac perficienda; attamen hic finis obtinetur mediis humanis, i.e. activitate sociali. Sicuti vita spiritualis naturalis hominis communicari potest tantum actibus corporalibus, actibus externis, ita etiam vita spiritualis supernaturalis in Ecclesia nec conservari nec communicari potest nisi actibus externis, i. e. activitate sociali. Immo Ecclesia iure dicitur continuata Incarnatio Verbi: Sicuti in Cristo Domino vita divina velabatur, manifestabatur, communicabatur per naturam et activitatem humanam, ita in Ecclesia, quae est Corpus Christi

[3] « Ciò non toglie però che, una volta costituita la Chiesa, come società perfetta, per opera del Redentore, dall'intima sua natura scaturissero non pochi elementi di rassomiglianza con la struttura della società civile ». Pius XII., *Allocutio ad S. R. Rotam, l. c.* 259.

(1 Cor 1, 23), vita divina velatur, manifestatur, efficitur, communicatur per activitatem eius humanam, per activitatem socialem [4].

2. *De conexione essentiali inter vitam Ecclesiae internam et externam.*

Praeterea notandum est bonum supernaturale in hoc ordine salutis concreto tenere locum boni religionis, quod in ordine naturali haberetur. *Bonum religionis* — in tota eius latitudine consideratum — in ordine naturali constitueret unum ex bonis communibus humanis, quod esset ordinatum ad perficiendam facultatem religiosam hominis, conferendo ipsi talem perfectionem personalem. Consequenter ad elevationem hominis supernaturalem per Deum bonum supernaturale — in tota eius latitudine consideratum — locum tenet huius boni religionis; hinc bonum supernaturale constituit unum ex bonis communibus humanis efficiendum cooperatione omnium [5]. Iamve-

---

[4] Cf. W. Bertrams, *Vom Ethos des Kirchenrechts, Stimmen der Zeit,* Freiburg i. B., Juli 1956, 268 ss.

[5] « Considerato da questo lato, la Chiesa può dirsi la società di coloro che, sotto l'influsso soprannaturale della grazia, nella perfezione della loro dignità personale di figli di Dio e nello sviluppo armonico di tutte le inclinazioni e le energie umane, edificano la potente armatura della convivenza umana... I fedeli, e più precisamente i laici, si trovano nella linea più avanzata della vita della Chiesa; per loro la Chiesa è *il principio vitale della società umana* ». Pius XII., *Allocutio,* 20. 2. 46, Acta Ap. Sed. 1946, 149. Cf. G. Gundlach: « Wie sein (Christi) persönliches Leben als Gottmensch die Vereinigung von Göttlichem und Menschlichem darstellt, so soll sein soziales Fortleben, unbeschadet der übergeord-

ro bona communia humana obiectum cooperationis omnium constituunt, quatenus actibus externis habentur. Ergo bonum supernaturale obiectum cooperationis omnium esse potest tantum, quatenus actibus externis habetur. Altera ex parte bonum supernaturale substantialiter tale est spirituale, invisibile, homini internum. Hinc quaeritur, quomodo actibus externis habeatur.

Bonum supernaturale substantialiter tale, uti gratia sanctificans, vere est pure spirituale; attamen bonum supernaturale a Christo collatum est hominibus modo humano, i. e. modo externo. Ita e. g. sacramenta sunt efficacia gratiae ex opere

---

neten vollen Auswirkung des Göttlichen in Zeit und Raum, auch die volle Entfaltung des Menschentums in der Geschichte, seiner Individuen und Gemeinschaften, in harmonischer Totalität mit dem Göttlichen bedeuten. In diesem das Göttliche und Menschliche umfassenden Sinne sprechen wir von dem *lebendigen Christus* und nennen seine soziale Verbreiterung oder vielmehr den universalen Personenverband, der aus der gemeinsamen Anerkennung dieses lebendigen Christus entsteht, die *Kirche*. Daher *definieren* wir soziologisch: die *Kirche* ist jene religiöse Gemeinschaft, die auf der gesellschaftsbildenden Auswirkung des lebendigen Christus und seiner Anerkennung durch die Menschen beruht.

Es ist unschwer einzusehen, dass auf diese Weise die Idee der *Humanität* zum integrierenden Bestandteil des im universalen Sozialgebilde der Kirche lebendigen Katholizismus wird. Und zwar erscheint die Humanität, das Menschentum, hier nicht als Fiktion, die nur dazu dient, die Entwicklung des Menschen anzustacheln, und erst recht nicht als naturalistischer, blosser Summen-oder Kollektivname für die biologische Einheit des Menschengeschlechts, sondern sie ist eine reale, transzendente, letztlich wie jede idea exemplaris in der höchsten Realität, der Geistigkeit des persönlichen Schöpfergottes, verankerte Idee und Norm». Zur Soziologie der katholischen Ideenwelt und des Jesuitenordens. Freiburg i. B. 1927, 49.

operato; hic igitur actus externi habent effectum internum, spiritualem, invisibilem. Iamvero Ecclesia a Christo Domino constituitur ad bonum supernaturale modo humano, activitate externa continuo actuandum. Ita bonum supernaturale constituere potest, et vere constituit, unum ex bonis communibus humanis cooperatione omnium actuandum. Immo bonum supernaturale modo humano habendum finis Ecclesiae est; consequenter hoc bonum supernaturale modo humano habendum in tota eius latitudine et secundum diversos gradus supernaturalitatis — de quibus infra — *structuram internam Ecclesiae,* activitatis eius socialis qua societatis humanae, constituit. Attamen structura interna vitae socialis *organisatione,* ordine externo carere nequit. Hinc structura interna activitatis socialis Ecclesiae sustinenda est organisatione, ordine externo, qui etiam in Ecclesia habet rationem boni communis.

Secundum modo dicta distinguenda sunt bene: 1) Bonum supernaturale in se, i. e. ipsa *vita supernaturalis,* quae est pure spiritualis et invisibilis; est homini omnino interna, et qua talis non est in potestate Ecclesiae. 2) Bonum supernaturale in tota eius latitudine habendum *modo humano,* activitate sociali; qua tale constituit finem Ecclesiae qua societatis humanae eiusque structuram internam. 3) *Organisatio* activitatis socialis ordinatae ad bonum supernaturale modo humano habendum, i. e. ordo externus activitatis socialis Ecclesiae et auctoritas.

Quoad relationem inter bonum supernaturale modo humano habendum et bonum supernaturale

in se notandum est: Verum est activitatem socialem Ecclesiae utpote activitatem humanam ex se non habere proportionem ad bonum supernaturale in se. Haec activitas ad ordinem supernaturalem elevatur eo, quod *Spiritus Sanctus* activitatem socialem Ecclesiae ab intrinseco informat, ita ut fiat apta ad bonum supernaturale in se efficiendum. Haec est ratio, ob quam Ecclesia vere est Corpus Christi, quia Spiritus Sanctus tamquam Spiritus Christi (Rom 8, 9; Gal 4, 6) in Ecclesiam ad modum animae influit, ita ut eius vita vere haberi debeat vita Christi [6]. Activitas Ecclesiae igitur est activitas vere humana, i. e. socialis. Attamen haec activitas externa non est in seipsa subsistens, non habet finem in seipsa. Haec activitas procedit ex *vita interna,* invisibili Ecclesiae, ex vita Christi, quam Spiritus Sanctus, anima Corporis Christi, Ecclesiae communicat; et haec vita interna simul est finis activitatis externae Ecclesiae, ad quam ideoque tota quanta ordinatur.

Propter hanc conexionem essentialem inter activitatem externam Ecclesiae et eius vitam internam supernaturalem tota activitas socialis Ecclesiae est *indolis supernaturalis.* Notandum autem est talem indolem supernaturalem non com-

---

[6] « Quamvis enim iuridicae rationes, quibus Ecclesia etiam innititur atque componitur, ex divina oriantur a Christo data constitutione, ad supernumque finem assequendum conferant, id tamen, quo christiana societas ad gradum evehitur, qui omnem naturae ordinem prorsus evincit, Redemptoris nostri Spiritus est, qui ceu fons gratiarum, donorum, ac charismatum omnium, perpetuo et intime Ecclesiam replet et in ea operatur ». Pius XII., *Litt. Enc. Mystici Corporis Christi,* l. c. 223.

petere activitati sociali eodem gradu in diversis eius partibus. Quam maxime habetur in illa activitate, quae directe exprimit, modo humano, externo, vitam supernaturalem internam Ecclesiae, sicuti in sacrificio eucharistico; necnon in illa activitate, quae directe efficit, ex opere operato, modo humano, externo, vitam supernaturalem internam, sicuti in sacramentis. Clare talis indoles supernaturalis apparet etiam in praedicatione verbi Dei, in professione fidei, in sanctificatione dierum festorum, ieiunii et abstinentiae, in exhortatione fidelium, clericorum et religiosorum, ad vitam christianam et perfectam, in operibus caritatis etc.; hic enim ordinatio ad vitam supernaturalem in se clare apparet.

Immo, ipsi organisationi vitae socialis ordinatae in bonum supernaturale ratione huius ordinationis in bonum supernaturale competit indoles supernaturalis, etsi tali ordinatione natura activitatis non mutatur. Ita e. g. administratio bonorum temporalium Ecclesiae ordinatur ad vitam supernaturalem Ecclesiae, quae, inter homines, consistere nequit nisi modo humano; hinc ad vitam Ecclesiae gerendam requiruntur etiam bona temporalia; eorumque administrationi in bonum Ecclesiae etiam competit ratione finis indoles supernaturalis. Proinde *omnis* activitas socialis Ecclesiae habet indolem supernaturalem [7].

Inde elucet activitatem socialem Ecclesiae habere *duplicem functionem*: actuare bonum humanum supernaturale modo humano habendum

---

7 Cf. BERTRAMS, *Ethos*, l. c. 274 s.

— quod ordinatur in bonum supernaturale in se — et organisare activitatem exercitandam ad habendum bonum supernaturale. Duplex haec functio — etsi ratione formali est adaequate distincta — in activitate sociali concreta est quam maxime conexa. Sicuti ex una parte indoles supernaturalis competit omni activitati sociali Ecclesiae, etiam organisatoriae, ita ex altera parte etiam indoles organisatoria competit omni activitati sociali, etiam illi, quae directe exprimit vel efficit vitam supernaturalem, sicuti in sacrificio eucharistico et in sacramentis.

3. *De bono supernaturali concredito Ecclesiae institutionaliter.*

Consequenter igitur ad fundationem Ecclesiae societatis supernaturalis, sed humanae, per Christum Dominum, consequenter ad respectivae potestatis collationem bonum supernaturale in Ecclesia voluntate Christi Domini *modo institutionali* seu modo iuridico habetur; revera bonum supernaturale habetur in toto complexu institutionum iuridicarum Ecclesiae. Sicuti Incarnatio Verbi iure dicitur, etsi analogice, sacramentum primarium, quatenus per naturam et activitatem humanam Christi Domini vita supernaturalis hominibus confertur, ita etiam Ecclesia, societas externa, societas indolis institutionalis, tamquam continuata Incarnatio Verbi, iure dicitur sacramentum primarium, i. e. signum visibile a Christo institutum efficax gratiae modo obiectivo, i. e. ex

opere operantis Ecclesiae: Tota activitas externa Ecclesiae manifestat eius vitam internam, invisibilem, spiritualem, supernaturalem, et hanc vitam supernaturalem efficit, conservat, auget, perficit, modo autem institutionali.

Ita bonum humanum supernaturale institutionaliter in tota eius latitudine concreditum est a Christo Domino Ecclesiae; inde Ecclesiae socialis activitas, iuridica activitas effectum habet, quem ex se habere non posset, quem potius debet activitati Christi, qui per Ecclesiam agit societatem indolis institutionalis. Spiritus Sanctus ad modum animae informans Corpus Christi, quod est Ecclesia, Ecclesiae vitam Christi confert eo, quod in activitatem humanam Ecclesiae, i. e. socialem et iuridicam, influit. Tali influxu haec activitas socialis et iuridica ad ordinem supernaturalem elevatur et ita effectus supernaturales habet, quos ex seipsa habere nequit. Hoc sensu ipse Spiritus Sanctus vere se « ligavit » activitati institutionali Ecclesiae [8], quae huic ligationi debet,

---

8 « Nach dem Neuen Testament hat sich der Geist sehr wohl an Sätze und Zeichen in dem Sinn gebunden, dass er diese und keine andere und diese auf alle Fälle benutzt, um den Menschen Leben und Licht zu bringen ... Dass durch solche Bindung des Geistes über ihn ' verfügt ' wird, ist die Sorge des Neuen Testaments nicht ... Aber die Selbstbindung des Geistes ist ja ' nur ' die Intensivierung seiner Heilsankunft und Heilsgegenwart und in dem Sinn auch seiner (möglichen) Heilswirkung. Sie ist ein Erweis des entschiedenen Angebotes Gottes, entschieden bis in den Satz oder (in anderer Weise) bis in die ' Materie ' hinein ». H. Schlier, *Kurze Rechenschaft*, in: Bekenntnis zur Katholischen Kirche, herausgegeben von K. Hardt, Echter Verlag, Würzburg, 1955 [2], 183. « Die kirchlichen Sendungsträger werden mit Heiligem Geist ausgerüstet. Ihre Gewalt ist daher letztlich eine *göttliche*, nicht nur

quod nunquam est inanis et vacua. Christus Dominus Ecclesiam suam non constituit societatem charismaticam, quae « institutionibus », i. e. normis iuridicis, officiis iuridicis et potestate iuridica, careret, quia in societate mere charismatica de bono supernaturali modo humano, modo institutionali habendo sermo esse non posset, nec in tali societate bonum supernaturale realitatem, de qua constaret obiective, constitueret.

Bonum supernaturale in Ecclesia igitur vere realitatem constituit, de qua *obiective* constat eo, quod per *institutiones,* modo iuridico habetur. Ita homo valide baptizatus charactere designatur, quo ad Christum refertur, et ita Corpori Christi, quod est Ecclesia, devincitur; talis character est vera realitas inhaerens animae baptizati; etsi est invisibilis in se, quia est spiritualis, est tamen visibilis — et hinc est verum signum — in causa, i. e. in baptismate rite collato, quod est actio externa, institutum et negotium iuridicum [9]. Hinc est, quod homo baptismate constituitur *persona* in Ecclesia (can. 87): baptizatus, quia interne ad Corpus Christi refertur, etiam in Ecclesia qua societate iuridica est subiectum iuris et, nisi obstet obex — de quo hic agendum non est — membrum Ecclesiae.

Pariter *officium* sensu stricto (e. g. primatus,

---

ihrem Ursprung, sondern auch ihrem *Wesen* nach. M. KAISER, *Die Einheit der Kirchengewalt nach dem Zeugnis des Neuen Testamentes und der Apostolischen Väter,* Zink, München 1956, 138.

[9] Baptizatus rite dispositus etiam gratiam habitualem recipit cum charactere; de hoc effectu baptismatis in hoc contextu agendum non est.

episcopatus, presbyteratus) in Ecclesia semper secumfert participationem potestatis ecclesiasticae sive ordinis sive iurisdictionis (can. 145 § 1), quo fit, ut subiectum talis officii canonice obtenti per respectiva negotia iuridica effectus supernaturales, bonum supernaturale actuare valeat, de cuius realitate obiective constat, scilicet in potestate legitime obtenta et exercitata, ergo in instituto et negotio iuridico, e. g. in administratione sacramentorum, in dispensatione voti etc. Proinde bonum supernaturale in Ecclesia, etsi non potest haberi actione humana qua tali, tamen consequenter ad collationem respectivae facultatis ab alto datae in respectivis institutionibus et negotiis iuridicis habetur.

4. *De bono communi Ecclesiae.*

Ecclesia est societas supernaturalis etiam sub respectu institutionali; supernaturales sunt omnes institutiones iuridicae Ecclesiae. Hinc bonum supernaturale determinat organisationem in Ecclesia secundum duplicem eius rationem: ipsum ordinem externum et auctoritatem.

Ecclesiae qua societati supernaturali competit verum et sibi proprium *bonum commune.* Homo enim ordinatur in finem supernaturalem; hinc omnis eius activitas ad finem supernaturalem est ordinanda. Altera ex parte bonum supernaturale in tota eius latitudine concreditum est institutionaliter Ecclesiae; hinc Ecclesia habet relationem ad omnem activitatem humanam socialem ratione

finis supernaturalis, quae igitur vere constituit aliquod *totum,* i. e. unum ordinis seu unum ex multis. Ratione finis supernaturalis Ecclesia afficit hominem totaliter, i. e. secundum omnem eius activitatem, quae relationem habet socialem. Proinde Ecclesiae competit praebere ordinem externum socialitati qua tali sub respectu finis supernaturalis attingendi. Talis ordo externus est *suprema norma* activitatis socialis supernaturalis, quia est necessarius ad bonum supernaturale modo humano habendum; constituit igitur hic ordo verum bonum commune [10]. Hoc bonum commune Ecclesiae est proprium; nam una ex parte tantum Ecclesia est competens ratione finis supernaturalis; altera ex parte Ecclesia praedita est omnibus mediis, quibus homines indigent ad finem supernaturalem obtinendum [11].

Christus Dominus fundatione Ecclesiae bonum commune Ecclesiae magna ex parte determinavit, scl. in tantum, in quantum bonum supernaturale institutionibus *iuris divini* circumscribitur.

---

[10] Cf. supra notam 5.

[11] Exclusive activitas humana *socialis* ad Ecclesiam societatem iuridicam directe refertur, qiua homines mere interne communicare non possunt; hinc Ecclesia qua societas humana in vitam stricte internam hominis directe influere nequit. — Eo quod tota activitas socialis ratione finis supernaturalis ad Ecclesiam refertur, nullo modo negamus illam autonomiam et independentiam, quae bonis communibus humanis — scientiae, artes, oeconomia etc. — competit. Affirmamus tantum haec omnia ordinari ad hominem, ad finem personalem hominis, qui est supernaturalis; hinc saltem eo haec omnia ad Ecclesiam habent relationem, quod magisterium Ecclesiae authentice iudicare potest, utrum in concreto fini supernaturali congruant necne. De cetero ulterior explicatio harum quaestionum huc non spectat.

Hoc obtinet e. g. quoad sacrificium eucharisticum et quoad sacramenta, quae quidem sunt bona supernaturalia substantialiter, tamen etiam bonum commune Ecclesiae ingrediuntur, quatenus cultus Deo tribuendus necessario est sacrificium eucharisticum, et inter media salutis necessario habenda sunt sacramenta, quorum substantia mutari nequit. — Ordo supernaturalis fundatur in revelatione divina et concreditus est Ecclesiae. Hinc professio fidei et communio cum Ecclesia absolute requiruntur, ut baptizatus iuribus christianorum gaudeat et ita sit membrum Ecclesiae (can. 87). — Contractus matrimonialis ad dignitatem sacramenti elevatur, ita ut Ecclesia non possit recognoscere tamquam matrimonium contractum inter baptizatos, qui ab eo tamquam contrahentes indolem sacramentalem explicite excludunt.

Praeterea habentur elementa boni communis Ecclesiae, quae ex *natura boni supernaturalis* necessario derivantur. Ita e. g. « haud licitum est fidelibus quovis modo active assistere seu partem habere in sacris acatholicorum » (can. 1258 § 1), quia activa assistentia in sacris acatholicorum, etsi haec non semper cultum in se falsum constituunt, tamen saltem implicite continet professionem fidei acatholicae seu schismatis. — Emptio-venditio rei intrinsece spiritualis-supernaturalis pro pretio temporali constituit necessario crimen, ita ut Ecclesia absolute non possit talem modum agendi admittere (can. 727 ss.).

In quantum bonum commune Ecclesiae iure divino aut rei natura (consequenter ad institutionem divinam) non est determinata, determinatio

Ecclesiae relinquitur, ita tamen, ut haec sit vere ordo externus boni supernaturalis habendi. Hinc quoad hanc concretam determinationem boni communis semper ratio habenda est naturae specificae boni supernaturalis. De cetero autem etiam in Ecclesia sub hoc respectu bonum commune habet characterem *dynamicum*: Sicuti bonum commune in societate naturali variatur secundum circumstantias loci et temporis, gradum culturae etc., ita etiam in Ecclesia circumstantiae loci et temporis, extensio Ecclesiae, periculum imminens pro fide et moribus fidelium etc. alia et alia exigere possunt, quibus debetur continua modificatio eorum, quae bonum commune in concreto exigit; hinc habetur vera boni communis *evolutio*. Ita e. g. iure vigente «unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare liturgiam, tum liturgicos approbare libros» (can. 1257). Haec dispositio, quae ordinationem liturgiae reddit causam maiorem, i. e. causam, quae Sedi Apostolicae reservatur, explicatur per momentum, quod habet unitas liturgiae pro unitate fidei et communionis in Ecclesia, quae nostris diebus toto orbe terrarum diffusa est.

Inde elucet bonum commune Ecclesiae — sive sit determinatum iure divino, sive circumscriptum sit dispositione Ecclesiae — semper determinari natura boni supernaturalis, qua totum ei competit indoles supernaturalis, quia structura interna vitae socialis ordinem externum determinare debet. Facultas ab alto habenda ad bonum supernaturale actuandum requiritur ex eadem ratione etiam ad ordinem externum creandum activitatis

socialis supernaturalis. Hoc supposito et in tuto collocato utique exigentiae variabiles vitae socialis ordinandae ita, ut omnes fideles finem proprium supernaturalem attingere possint, bonum commune Ecclesiae determinant.

Auctoritas in Ecclesia determinatur natura boni supernaturalis habendi. Subiectum potestatis statalis secundum sententiam communiorem scholasticorum iure naturali — negativo — est ipse populus, quia una ex parte in ipsa communitate auctoritas requiritur, altera ex parte ipsa natura aliud subiectum non determinat; a communitate potestas derivatur ad subiectum concretum, ita ut variae formae regiminis haberi possint [12]. Utrum simili modo potestas publica supernaturalis absolute possit haberi in tota communitate ecclesiastica necne, quaerere in hoc contextu non debemus. Notandum autem est potestatem supernaturalem deberi necessario actui *positivo divino,* quia in natura humana ex se non habetur. Hinc naturae boni supernaturalis saltem magis congruit constitutio *hierarchica auctoritatis.* Hinc institutione divina potestas Ecclesiae in nullo signo rationis est in communitate qua tali, sed quoad Ecclesiam universalem est primatialis-monarchica, quoad dioeceses est etiam hierarchica. Potestas publica, quae communitatibus in Ecclesia competit (e. g. in ordinibus, in capitulis) ab auctoritate hierarchica derivatur.

---

12 Cf. parte I. notam 16.

5. *De relatione iuridica inter fideles et Ecclesiam.*

Bonum commune iure divino, iure canonico, natura rei determinatum, constituit supremam normam activitatis socialis Ecclesiae, sive auctoritatis, sive fidelium. Ad hoc bonum commune actuandum, semper de novo actuandum, Ecclesia habet *ius subiectivum* exigendi activitatem externam et bona externa fidelium in tantum, in quantum hic finis haec exigit. Ecclesia igitur non constituit *collectivum totalitaristicum* [13], quo finis personalis fidelium exstingueretur. Fideles ordinantur ad Ecclesiam societatem humanam ratione boni communis supernaturalis, quod neque in Ecclesia est bonum in se et propter se, sed bonum limitatum et ordinatum ad fideles [14] eorumque personalitatem supernaturalem perficiendam. Idem dicendum est de societatibus infra Ecclesiam: in quantum hae societates totam vitam socialem fide-

---

[13] « Die Kirche bietet ihn (den festen Halt); sie selbst ist dieser feste Halt. Wer sich ihr anvertraut, verliert nichts von dem, was er er an Echtem besass. Was immer in anderen Bekenntnissen, auch nicht christlichen, an Wahrem und Gutem sich findet, ist beheimatet, hat seinen tiefen Sinn und seine Erfüllung in der katholischen Kirche. Sie bietet jenen Halt, ohne den Menschen in ein totalitäres System zu zwängen, unter voller Achtung seiner mit Geist und Freiheit begabten Natur, der Würde und übernatürlichen Berufung seiner Person ». PIUS XII., *Nuntius Radiophonicus* 2. 9. 56. Acta Ap. Sed. 1956, 624.

[14] Non loquimur hic de *membris* Ecclesiae, quia in hoc contextu agimus de totalitate, ad quam bonum commune refertur; agimus igitur de relatione inter baptizatos et Ecclesiam societatem externam et iuridicam, ad quam *omnes* baptizati referuntur, quin omnes sint membra Ecclesiae.

lium sub ratione finis supernaturalis magis specificati afficiunt (e. g. dioeceses, ordines, congregationes religiosae exemptae), bonum commune eis competit, quod concipiendum est modo explicato [15].

Proinde in Ecclesia fidelibus vita supernaturalis *propria* omnino competit; immo Ecclesia est propter vitam supernaturalem eorum propriam [16]. Ecclesia, quatenus est societas vere humana, prin-

---

15 Dioeceses comparari possunt cum associationibus ratione vicinitatis localis (e. g. municipia), et societates religiosae cum ordinibus professionalibus. Paroecia tamquam fundamentum naturale habet vicinitatem localem fidelium; quia autem parochus iurisdictionem fori externi non habet, longior explicatio necessaria esset, quae limites huius studii excedit.

16 La volontà salvifica di Dio ha « determinata nella Chiesa un'altra universale società a servizio della persona umana e dell'attuazione dei suoi fini religiosi ». Pius XII., *Nuntius Radiophonicus* 24. 12. 42., Acta Ap. Sed. 1943, 13. Hoc assertum etiam probatur eo, quod in ordinatione canonica distinctio habetur inter ius publicum et ius privatum, non quidem eo sensu, ac si normae canonicae adaequate distingui possent inter normas iuris publici et iuris privati; sed quod distinguenda est sphaera iuridica Ecclesiae, quatenus est societas humana supernaturalis, a sphaera iuridica fidelium, quatenus sunt personae in ordine supernaturali. Ius est privatum, si ordinatur directe in bonum personale supernaturale; ius est publicum, si ordinatur directe in bonum commune supernaturale. Quoad relationem inter ius privatum et publicum notandum est, quod in Ecclesia, structura sua, magis quam in societate ordinis naturalis normae iuris privati modificantur per ius publicum. Elevatio enim supernaturalis personae habetur eo, quod refertur ad Christum, et inde ad Ecclesiam, quatenus est Corpus Christi. *Hinc* ordinatio et ligatio fidelium ad Ecclesiam est strictior quam ordinatio et ligatio hominum ad societatem naturalem. Ita tamen ipsa personalitas in ordine supernaturali non tollitur, quae per baptismum oritur; hinc divisio iuris in publicum et privatum qua talis omnino intacta manet. Cf. studium auctoris: *Das Privatrecht der Kirche,* Gregorianum, 1944, 283 ss. Ibi (229 ss.) habetur etiam summarium Latinum huius studii. Cf. etiam notam de hac quaestione Gregorianum 1955, 345 s.

cipio fundamentali subest de ordinatione vitae socialis in hominem qua personam. Natura boni supernaturalis ordinationem et ligationem fidelium ad Ecclesiam reddit extensive et intensive strictiorem, quam est ceteris paribus haec ordinatio et ligatio in societate ordinis naturalis; ita autem ipsum principium non tangitur.

Neque obstat applicationi huius principi natura vitae supernaturalis. Verum est nobis competere capacitatem habendi vitam supernaturalem (consortium divinae naturae) eo, quod Christo unimur, cuius signum est character baptismalis. Attamen nec character, nec ipsa gratia supernaturalis aufert personalitatem hominis, potius illam supponit et perficit; elevatio supernaturalis hominem accidentaliter afficit. Ulterior explicatio theologica huius elevationis huc non spectat. Notandum autem est secundum modo dicta unitatem Corporis Christi, quod est Ecclesia, non haberi eo, quod fideles propriam personalitatem amittunt vel illam amittunt saltem respectu vitae supernaturalis. Unitas Corporis Christi, quatenus refertur ad ipsam vitam internam Ecclesiae, habetur per Spiritum Sanctum, qui est unus idemque in Christo et in omnibus fidelibus [17]. Haec vita in-

---

[17] « Das Unterscheidende im Vergleich zu den natürlichen Gemeinschaften liegt darin, dass in der Kirche die beiden Wertbereiche von Glied und Ganzem sich vollkommen entsprechen, so dass das Ganzheitsprinzip in der Kirche und nur in ihr zur vollen Auswirkung kommen kann ». Th. GEPPERT, *Teleologie der menschlichen Gemeinschaft*, Aschendorff, Münster i. W., 1955, 127. Hoc iure dicitur de vita interna Ecclesiae, quatenus membra Ecclesiae sunt talia participatione in vita Christi; hoc autem dici nequit

terna autem in se directe ab Ecclesia societate humana non tangitur. Quatenus unitas Corporis Christi ad corpus sociale Ecclesiae refertur, etiam informatur hoc corpus a Spiritu Sancto, anima Corporis Christi. Attamen corpus sociale ipsum qua societas vere humana unitatem ordinis intentionalis constituit sicuti aliae societates. Hinc hic habetur utique ordinatio omnium fidelium ad Ecclesiam, in quantum bonum commune talem ordinationem exigit; ipsum bonum commune autem est propter fideles eorumque relationes ad Deum, immo tali finalitate quam maxime effertur vita supernaturalis *personalis* fidelium.

Proinde relationes inter Ecclesiam et fideles sunt iuridicae, quia et Ecclesiae et fidelibus personalitas iuridica ordinis supernaturalis competit. Idem dicendum est de relationibus *personarum moralium* in Ecclesia, sive ad ipsam Ecclesiam, sive ad fideles, sive ad alias personas morales ecclesiasticas. Ad constituendam personam moralem in Ecclesia necessarius est actus constitutivus competentis auctoritatis ecclesiasticae[18]; agitur enim etiam hic de constituendo subiecto iuris ordinis supernaturalis; hinc talis capacitas iuridica ab hominibus viribus naturalibus creari nequit, sed tantum ab alto constitui potest. Constituta tamen personalitate, ad analogiam personae physicae baptizatae, capacitas iuridica in ordine supernturali perdurat. Hinc illa quae de vita pro-

---

de Ecclesa societate humana. Hinc simplicter de membris Corporis Christi hoc dici nequit.

18 Cf. W. Bertrams, *De origine personae moralis in Ecclesia*, Periodica de re morali canonica liturgica 1947, 169 ss.

pria fidelium dicta sunt, mutatis mutandis etiam de personis moralibus in Ecclesia dicenda sunt: bonum commune Ecclesiae habetur, ut vita earum propria sit possibilis.

6. *De potestate Ecclesiae in ordine ad bonum supernaturale institutionaliter habendum.*

Non intendimus hic agere de potestate Ecclesiae. Circa potestatem Ecclesiae hic *notanda* tantum sunt aliqua, in quantum momentum habent quoad applicationem principii subsidiaritatis.

Potestas Ecclesiae distinguitur ordinis et iurisdictionis [19]. Potestas *ordinis* est « facultas quaedam moralis ad cultum Dei religiosum ordinata, vel per oblationem sacrificii, vel per administrationem aut dispensationem sacramentorum, quae ad sanctificationem fidelium sunt instituta, vel denique per quascumque alias caeremonias quae, ad ornatum sacrificii aut sacramentorum, convenienter et ordinate fieri debent » [20]. Constitutivum essentiale huius potestatis est igitur facultas moralis ad cultum Deo tribuendum, quod habetur

---

[19] Potestas Ecclesiae generice spectata est duplex: ordinis et iurisdictionis; Ecclesia magisterium exercet nomine Christi; hinc est auctoritativum natura *sua*; hinc est pars potestatis iurisdictionis. — « Die Lehrtätigkeit hat hat sich wie jede andere Tätigkeit der Sendungsträger eingeordnet in die allgemeine Bevollmächtigung, die sie von den Aposteln empfangen hatten und kraft deren sie die massgebende Stellung in der Gemeinde hatten ». Kaiser, o. c. 131.

[20] Suarez, *Defensio fidei catholicae*, l. III. cap. 6. nr. 1. Vivès, Parisiis, 1859, 231.

etiam, quando haec potestas exercetur in ordine ad sanctificationem hominum. Efficacia specialis enim sacramentorum « explicatur eo, quod in usu sacramentorum Novi Testamenti Christus ipse per hominem offert cultum suum ... Et sic fit, ut id, quod in usu sacramentorum Deum ad concedendam gratiam movet, principaliter non sint actus morales hominis recipientis sacramentum, sed spiritus religionis, quo ipse Christus per hominem Divinitati cultum olim in cruce exhibitum offert [21].

Hinc « ordinis potestas ad *verum Christi Domini corpus* in sacrosancta Eucharistia refertur ... ceteraqua omnia complectitur, quae ad Eucharistiam quovis modo referri possunt » [22], quia 1. actus quam maxime specificus potestatis ordinis est oblatio sacrificii eucharistici; 2. omnes actus cultus ordinantur ad sacrificium unicum Novi Testamenti, i. e. ad sacrificium eucharisticum, quatenus est repraesentativum sacrificii Crucis; 3. omnia sacramenta, immo omnes gratiae, ex sacrificio Crucis, repraesentato in sacrificio eucharistico, virtutem habent [23]. Hinc potestas ordinis directe ordinatur in vitam supernaturalem, internam Ecclesiae modo humano manifestandam (in sacrificio eucharistico et actibus cultus) et efficiendam (in sacramentis, consecrationibus, benedictionibus etc.), et ita in

---

21 B. Durst, *De characteribus sacramentalibus*, Xenia Thomistica, vol. II. Typ. Pol. Vatic. Romae, 1925, 564.

22 *Catechismus SS. Conc. Tridentini ad Parochos*, Bassani 1833, *De Ordinis, Sacramento* (Cap. VII. 6, 7).

23 « *Sacrosancta mysteria, in quibus omnis sanctitatis fontem constituisti* ». Missale Romanum, 31. iulii, Secreta missae S. Ignatii de Loyola.

sanctificationem hominum; a. v. potestas ordinis ordinatur directe in bonum supernaturale in se, quatenus hoc institutionaliter habetur.

Potestas *iurisdictionis* est facultas moralis Ecclesiae dirigendi activitatem fidelium ad finem supernaturalem. « Ad eam enim spectat Christianum populum gubernare et moderari, et ad aeternam caelestemque beatitudinem dirigere »; iurisdictionis enim potestas « tota in *Christi corpore mystico versatur* »[24], i. e. refertur (ad intra) ad Ecclesiam, quatenus est corpus sociale. Hinc potestas iurisdictionis directe ordinatur in activitatem humanam fidelium, quatenus haec est cooperativa cum vita supernaturali, cum gratia[25], i. e. in bonum supernaturale, quatenus hoc institutionaliter per activitatem humanam habetur; indirecte, i. e. mediante activitate humana, etiam potestas iurisdictionis ordinatur in vitam supernaturalem, internam Ecclesiae, modo humano habendam, quia cooperatio humana cum gratia tendit ad bonum supernaturale in se, ad vitam supernaturalem internam. Ita e. g. *magisterium* ecclesiasticum veritatem credendam proponendo et imponendo immediate utique ad respectivum actum externum fidei fidelium ordinatur; hic actus pro-

---

[24] *Catechismus Trident.* l. c.

[25] « Potestas Ecclesiae versatur: ... 2. circa hominum actus, ut necessaria habeatur, Dei auxiliante gratia, ipsorum fidelium *cooperatio* per rectam fidei professionem et vitae conformationem christianis moribus ... Potestas vero quae Ecclesiae competit in ordine ad gubernandos homines, idest ad dirigendos auctoritative eorum actus tum quoad fidem, tum quoad mores, dicitur potestas iurisdictionis ». A. Ottaviani, *Institutiones Iuris Publici Ecclesiastici*, vol. I. Typ. Pol. Vatic. 1935 [3], 215 s.

fessionis fidei autem modo humano praestari nequit, nisi ei correspondet actus internus; immo professio fidei externa est propter fidem internam, quatenus haec constituit vitam supernaturalem. *Imperium* ecclesiasticum imponens e. g. sanctificationem festorum, poenitentiam per ieiunium et abstinentiam, eleemosynam etc. immediate utique respectivos actus externos imponit; sed hi actus modo humano ponendi sunt, i. e. ut cultus, poenitentia, caritas sint bona supernaturalia, vitam supernaturalem internam perficientes.

Verum quidem est potestatem iurisdictionis ordinari etiam ad actus, qui qua tales indolem supernaturalem non habent, qui qua tales in Ecclesia habent rationem actus organisationis boni supernaturalis institutionaliter habendi, e. g. administratio bonorum temporalium Ecclesiae. Attamen etiam tales actus organisatorii ordinantur ad vitam supernaturalem Ecclesiae; ratione huius finis ipsis competit saltem extrinsece indoles supernaturalis. Ordo enim externus activitatis socialis Ecclesiae, i. e. organisatio activitatis socialis, determinari debet per structuram internam activitatis socialis, quae in Ecclesia ad bonum supernaturale habendum ordinatur. Quia ex hac finalitate etiam ordo externus activitatis socialis Ecclesiae, bonum eius commune, habet finalitatem supernaturalem, ea de causa etiam potestas iurisdictionis in tota eius latitudine est potestas *sacra et supernaturalis*. Hinc una ex parte non habetur unquam in Ecclesia in concreto activitas socialis, quae indole organisatoria caret, altera ex parte non habetur unquam activitas *pure* organisatoria.

Proinde in exercitio potestatis iurisdictionis indoles supernaturalis et indoles organisatoria quam strictissime conectuntur. Potestas iurisdictionis non est *tantum* principium organisationis activitatis socialis Ecclesiae; potius potestas iurisdictionis est principium organisationis, quia directe refertur ad activitatem humanam qua cooperativam cum gratia; qua talis enim refertur *etiam* ad organisationem activitatis socialis Ecclesiae [26].

Immo, ipsum exercitium potestatis ordinis, utpote activitas humana, ordine externo, organisatione carere nequit. Hinc etiam exercitium potestatis ordinis, quatenus fit per activitatem humanam, ordinatur per potestatem iurisdictionis. (Cf. in CIC canones circa cultum divinum et administrationem sacramentorum). Iure igitur potestas Ecclesiae tamquam *una* concipitur sub triplici ratione: 1. ratione *originis*: quatenus tota potestas Ecclesiae derivatur a Christo Domino, Capite Ecclesiae, eiusque nomine exercetur; 2. ra-

---

[26] « Aus derselben Wurzel, aus der das Leben des neuen Gottesvolkes erwächst und sich ständig erneuert und am Leben erhält, wächst auch die ordnende Kraft, durch die das Wachstum in der Kirche gelenkt und geleitet wird. Diese eine Wurzel ist Jesus Christus, der tragende Grund des neuen Gottesvolkes. Er ist zugleich lebenspendendes und ordnendes Prinzip dieses Volkes ... Dass Ordnung und Erhaltung des Lebens eine Einheit bilden, wird in dem vom Herrn gewählten Gleichnis vom guten Hirten sichtbar ». Kaiser, o. c. 41. Non potest igitur potestas ordinis *sola* haberi principium vitae supernaturalis Ecclesiae; etiam per potestatem iurisdictionis, etsi mediante activitate humana, vita supernaturalis habetur. Potestas ligandi et solvendi (cf. MATTH. 18, 18) non est *mera* potestas organisandi; ita e. g. in concessione indulgentiarum potestas ordinis non exercetur; acquisitione indulgentiae autem habetur perfectio quoad vitam supernaturalem, internam fidelium.

tione *finis*, quatenus tota potestas Ecclesiae ordinatur in bonum supernaturale modo humano habendum, i. e. bonum cultus supernaturalis et vitae supernaturalis; 3. ratione *exercitii*, quatenus omnis activitas socialis Ecclesiae, etiam exercitium potestatis ordinis, ordinatur per potestatem iurisdictionis [27].

III. De applicatione principii subsidiaritatis in Iure Canonico.

1. *De principio subsidiaritatis quoad structuram internam activitatis socialis Ecclesiae.*

In quantum agitur de structura interna activitatis socialis Ecclesiae, in tantum de applicando

---

27 « Diese Sendung (des Herrn) bleibt in der Kirche lebendig. Da sie den einzelnen Sendungsträgen nicht um ihrer selbst willen gegeben ist, sondern im Hinblick auf die Kirche, bezeichnen wir sie einfachhin als *Kirchengewalt*, die als solche rechtlichen Charakter hat und deren Eigenart darin besteht, dass Menschen in autoritativer Weise der Kirche im ganzen oder einer Teilgemeinschaft gegenüber die Stelle Jesu Christi vertreten. Der rechtliche Charakter erstreckt sich auf die Gewalt als solche in ihrer Einheit und Gesamtheit, auf das Stellvertretungsverhältnis. Jesus Christus hat das Wort Gottes und die Sakramente den Aposteln übergeben und damit in die Hand der Kirche gelegt ». Kaiser, o. c. 143. Haec *una* Ecclesiae potestas includit potestatem ordinis qua principium vitae supernaturalis et potestatem iurisdictionis, quatenus per hanc etiam vita supernaturalis — indirecte — habetur, et quatenus haec est potestas etiam organisatoria, potestas ordinis externi activitatis socialis Ecclesiae. — Ex eo, quod Ecclesia primaeva potestatem suam tamquam unam concepit, explicatur prohibitio ordinationis absolutae, quae adhuc medio aevo urgebatur. Cf. can. 6. *Conc. Chalcedonensis* (451); Decr. *Gratiani*, D. LXX. c. 1. (Friedberg I 257). Cfr. etiam CIC can. 118.

principio subsidiaritatis sermo esse non potest. Nam structura interna activitatis socialis determinatur natura bonorum humanorum, quae sunt creanda. Iamvero in Ecclesia agitur de bono *supernaturali* habendo, quod, quia vires humanas excedit, in se aut virtualiter (in facultate collata) ab alto dari debet. Hinc in quantum de bono supernaturali habendo agitur, in tantum principium subsidiaritatis non est applicabile.

Verum est Ecclesiam ipsam sua exsistentia et omni activitate sua esse *subsidium* pro hominibus ad finem supernaturalem attingendum, quem propriis viribus naturalibus attingere nequeunt. Sub hac ratione utique in omni activitate Ecclesiae habetur applicatio principii subsidiaritatis, quatenus hoc principium exigit *positive* subsidium praestandum, quo insufficientia singulorum superetur quoad finem necessario obtinendum. Hoc subsidium Ecclesia revera semper praestat. In quantum de bono supernaturali habendo agitur, principium subsidiaritatis non est applicabile, quatenus hoc principium, *negative,* activitatem socialem prohibet, nisi requiratur. (In sequentibus agimus de principio subsidiaritatis hoc sensu).

In quantum igitur ad bonum supernaturale modo humano habendum requiritur *potestas ordinis,* in tantum de applicando principio subsidiaritatis sermo esse non potest relate ad fideles (vel etiam clericos) qui potestatem quoad bonum habendum non habent. In tali enim casu bonum supernaturale haberi potest tantum exercitio potestatis ordinis ex parte clerici competentis. Ita e. g. homo baptizatus (de cetero bene instructus de doc-

trina christiana) non potest simpliciter per se solum vitam supernaturalem personalem perficere, non tantum, quia cultus Deo tribuendus etiam socialiter exercendus est, sed iam ex eo, quod continuo indiget mediis gratiae ad vitam supernaturalem perficiendam, praesertim sacramentis(abstrahendo de cetero ab indole etiam sociali sacramentorum).

Neque ad principium subsidiaritatis appellari potest (inter diversos gradus hierarchiae ordinis), quando agitur de exercenda potestate ordinis qua tali. Natura enim bonorum supernaturalium activitatem *altioris gradus* hierarchici exigere potest. Ita e. g. sacrificium eucharisticum offerre potest et modo ordinario etiam offert quivis sacerdos; attamen missa pontificalis ab Episcopo celebranda solemniorem cultum constituit; haec ratio iam ex se missam pontificalem in concretis circumstantiis magis convenientem reddere potest.

In quantum ad bonum supernaturale modo humano habendum requiritur exercitium potestatis iurisdictionis, non potest appellari ad principium subsidiaritatis, nam hac ratione exercitium potestatis iurisdictionis refertur ad structuram internam activitatis socialis Ecclesiae. Ita e. g. *concessio dispensationis* ab impedimento matrimoniali, etsi refertur ad ordinem externum activitatis socialis Ecclesiae, est etiam concessio gratiae; sicuti impedimentum ad bonum supernaturale ordinatur, ita etiam dispensatio ab impedimento. In hac relatione ad bonum supernaturale ratio haberi potest reservandi talem dispensationem Sanctae Sedi (can. 1040). Similiter *collatio officii* eccle-

siastici non est tantum actus ad ordinem externum spectans; nam officium ecclesiasticum s. str. est munus sacrum, quod potestatem sacram habet adnexam (can. 145 § 1). Hinc explicantur reservationes collationis officiorum, quae habentur in favorem Sanctae Sedis.

2. *De principio subsidiaritatis quoad ordinem externum activitatis socialis Ecclesiae.*

In quantum agitur de ordine externo activitatis socialis Ecclesiae qua tali, in tantum principium subsidiaritatis est 1. applicabile, et 2. suppositis supponendis applicandum.

1. Principium subsidiaritatis ordinatur ad structuram externam vitae socialis constituendam. Iamvero in Ecclesia, tamquam societate humana, vera habetur activitas socialis eiusque structura externa. Neque obstat finis supernaturalis, quem habet etiam ordo externus activitatis socialis Ecclesiae; nam una ex parte principium subsidiaritatis est principium *formale*; qua principium formale est applicabile ad quamlibet (materialiter consideratam) activitatem socialem necnon indifferens est quoad naturam boni habendi per activitatem socialem; altera ex parte bonum supernaturale concreditum est Ecclesiae modo *institutionali*, i. e. per activitatem socialem organisatam habendum. Iamvero ad organisationem activitatis socialis constituendam ordinatur principium subsidiaritatis. Proinde principium subsidiaritatis in Ecclesia est applicabile.

2. Principium subsidiaritatis fundatur in *natura* activitatis socialis organisatoriae. Iamvero Ecclesiae qua societati humanae competit vera *indoles organisatoria*. Proinde de se principium subsidiaritatis in Ecclesia est applicandum.

Fidelibus in Ecclesia competit personalitas supernaturalis, quam propria activitate personali perficere possunt et debent. In quantum hoc possunt et revera faciunt, in tantum influxus Ecclesiae non requiritur nec applicandus est. In quantum ad hoc officium *personale* absolvendum subsidium Ecclesiae requiritur, hoc subsidium ipsis debetur, nam fideles « ius habent recipiendi a clero, ad normam ecclesiasticae disciplinae, spiritualia bona et potissimum adiumenta ad salutem necessaria » (can. 682).

Personae morales personalitatem in Ecclesia — quae de se est perpetua (can. 102) — obtinent, ut infra sphaeram propriae activitatis *propriam vitam* evolvant. Personalitati constitutae per Ecclesiam inhaeret ius subiectivum personae datum et correspondens potestas ad omnia, quae requiruntur ad proprium finem attingendum. Proinde influxus ab Ecclesia in personas morales exercitatus rationem habet auxilii praestati ad propriam earum vitam evolvendam. Sicuti fideles ius habent ad bona spiritualia recipienda, ita etiam personae morales ad proprium finem attingendum. Ita talis influxus tendit quidem ad vitam supernaturalem Ecclesiae omnibus personis moralibus conferendam (i. e. hic capacitatem agendi cum effectibus ordinis supernaturalis) — et sub hoc respectu structura Ecclesiae differt ab illa Status, quate-

nus personae morales constituunt *partem Ecclesiae* et vita Ecclesiae est *eadem* in omnibus eius partibus — ut vitae Ecclesiae vere congruant, et ut ad vitam Ecclesiae conferre valeant; explicatur igitur hic influxus ex indole supernaturali vitae Ecclesiae.

Attamen haec indoles supernaturalis non dicit staticam uniformitatem vitae supernaturalis ab extra determinatam; potius vita supernaturalis habetur etiam eo, quod in quavis persona morali ecclesiastica haec vita *modo proprio* habetur. Iure etiam hic dicitur: « Spiritus ubi vult, spirat » (Joh 3, 8). Hinc diversis paroeciis, dioecesibus, ordinibus, capitulis, collegiis etc. character *individualis* est proprius, ita ut omnes personae morales ecclesiasticae simul sumptae constituant *plenitudinem vitae Ecclesiae,* sed simul manifestant hanc vitam in eius varietate inexhausta [1]. In quantum igitur personae morales propria activitate proprium finem attingere valent et revera attingunt — et ita ad vitam Ecclesiae conferunt — influxus Ecclesiae non requiritur nec applicandus est.

Notandum est autem indolem supernaturalem competere omni activitati sociali Ecclesiae, etiam activitati organisatoriae; immo in concreto activitas socialis ordinata ad bonum supernaturale

[1] Quod attinet paroeciam, parocho non competit iurisdictio fori externi; tamen, nisi adsit ratio specialis - iusta de causa, dicitur in can. 1171 - praefinire horas sacrorum in ecclesia etiam paroeciali non est Ordinarii, sed hoc relinquitur parocho. Altera ex parte, etsi fidelibus frequentia functionum sacrarum in ecclesia paroeciali commendatur (can. 467 § 2), ad hoc non tenentur, nequidem pro missa dominicali, nec multo minus, ad confessionem sacramentalem instituendam.

habendum et activitas socialis organisatoria quam strictissime conectuntur; attamen haec indoles supernaturalis non habetur eodem gradu in quavis sphaera activitatis socialis Ecclesiae. Inde sequitur: Quo minus agitur de bono supernaturali habendo et tantum de mero *ordine externo* activitatis socialis, eo magis principium subsidiaritatis est applicandum; quo magis in concreto etiam agitur de bono supernaturali habendo, eo minus principium subsidiaritatis est applicandum. Quo minus igitur activitas socialis exercenda habet indolem specifice supernaturalem et consistit simpliciter in activitate sociali, eo magis principium subsidiaritatis est applicandum. Ita e. g. structura iuridica capacitatis acquirendi *bona temporalia* et habendi eorum dominium in Ecclesia non multum differt ab hac capacitate et dominio in societate ordinis naturalis, etsi utique in Ecclesia ordinatur ad finem supernaturalem. Hinc de se cuilibet personae morali in Ecclesia (non tantum personae morali potestate iurisdictionis praeditae) talis capacitas recognoscitur, ipsique relinquitur dominium bonorum temporalium, quae ab ipsa sunt legitime acquisita (can. 1499 § 2) [2].

---

2 Hinc a Sancta Sede non approbatur modus attribuendi pro foro civili omnia bona ecclesiastica dioecesis uni tantum personae morali aut physicae. Cf.: Litterae S. C. Conc. ad Episcopos Americae Septentrionalis, 29.7.1911, citatae in Ecclesiastical Review 1911, 585: « Parmi les modes de possession et d'administration des biens ecclésiastiques qui sont actuellement employés dans les Etats-Unis d'Amérique, celui que l'on appelle vulgairement ' corporation paroissiale ' doit être préferé à tous les autres, ... Si au contraire la loi ne le permet pas, ils insisteront efficacement auprès des autorités civiles pour qu'il leur soit concédé au plus

Insuper notandum est extensionem semper crescentem Ecclesiae, et in genere vitae socialis evolutionem, necessario exigere, ut aliqua non pauca, quae antea e. g. in dioecesibus fieri potuerunt, nunc Sanctae Sedi reserventur; quae in paroecia fiebant, nunc forte a dioecesi praestanda sunt etc., ad ordinem, ad bonum commune Ecclesiae servandum. Ita maior *centralisatio* in Ecclesia hodierna magna ex parte natura vitae socialis hodiernae explicatur. Quo tamen non negari debet etiam in Ecclesia haberi periculum, quod hodie ubique in vita sociali habetur, centralisationem extendi ultra mensuram necessitatis in singulis casibus concretis.

a) *Quoad modum personalem perficiendi vitam supernaturalem.*

Fideles, e. g. quoad modum, quo vitam supernaturalem personalem perficere velint, ab Ecclesia non ligantur; possunt vivere modo ab ipsis libere *electo*: in mundo aut in religione, in matrimonio aut in caelibatu, magis contemplative aut magis active. Ita non admittitur restrictio libertatis quoad electionem *status vitae* (can. 971, 2352). Non admittitur vetitum quoad matrimonium concretum, nisi in casu peculiari, « ad tempus tantum, iusta de causa eaque perdurante » (can. 1039 § 1).

---

tôt... La méthode dite en 'fee simple' doit absolument être abolie ». (Citavimus hunc textum secundum A. GHESQUIÈRES, *La corporation paroissiale aux Etats-Unis*, Officium Libri Cath., Romae 1953, 115).

Praeceptum de missa audienda diebus festis impleri potest « sub dio aut in quacunque ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico » (can. 1249); non admittitur ligatio, e. g. ad audiendam missam in ecclesia paroeciali. Quoad communionem recipiendam et confessionem sacramentalem peragendam minimum statuitur: saltem semel in anno (can. 859 § 1; 906). De cetero devotioni personali frequentia horum sacramentorum relinquitur. Omnino servatur libertas personalis quoad electionem confessarii. In quantum pro religiosis aliqua habeatur restrictio quoad confessarios ordinarios, dispositiones de confessario occasionali (can. 519, 522) libertati personali conscientiae satis provident.

Fideles ius habent eligendi sibi ecclesiam funeris et coemeterium sepulturae (can. 1226 § 1).

Porro *parentes* quidem habent obligationem instruendi proprios filios in doctrina catholica et educandi illos ad vitam christianam; attamen, num hoc faciant per seipsos aut per magistrum ab ipsis electum aut in scholis catholicis, ipsis de se relinquitur; ita e. g. ipsis fas est proprios filios rite dispositos ad primam communionem perducere (can. 854 § 4).

Praesertim *opera caritatis* exercendae in Ecclesia semper debentur vere voluntati personali fidelium, et hanc indolem personalem retinent, etiamsi haec opera accipiunt aliquam organisationem. Ita e. g. conferentiae S. Vincentii pro pauperibus subsunt quidem, sicuti ipsi fideles, vigilantiae Ordinariorum, attamen in distribuendis bonis

collectis omnino sunt liberae[3]. Vere, nostris diebus, vita sociali quam maxime evoluta, et, ex altera parte, indigentia auxilii valde aucta praesertim per bella, migrationes populationum etc. maior organisatio opportuna et necessaria esse potest; sed de se etiam organisatum exercitium caritatis natura sua a voluntate fidelium, a voluntate donatorum oritur, et hinc secundum propriam eorum voluntatem ordinari debet.

Similiter *scholae* in omnibus quae spectant fidem et mores necnon religiosam iuventutis institutionem plene subsunt auctoritati Ecclesiae; attamen hisce servatis Ecclesia — etsi sibi vindicat ius condendi scholas per seipsam (can. 1375) — non imponit propriam auctoritatem quoad modum instituendi discipulos nec, multo minus, directionem illarum exigit (can. 1381, 1382), etiamsi scholae sunt catholicae.

b) *Quoad associationes fidelium, personas morales ecclesiasticas et societates religiosas.*

Associationes, quae *unitioni liberae* fidelium originem debent, i. e. ad opera religionis, caritatis, educationis, apostolatus exercenda, subsunt auctoritati Ecclesiae sicuti singuli fideles; attamen de cetero activitatem ad proprium arbitrium exercere possunt. Non competunt tali associationi qua tali specialia iura in Ecclesia; sed, sicuti fidelibus auxilium debetur ad vitam supernaturalem evolvendam, ita etiam talibus associationibus, in qui-

[3] Cf. votum consultoris quoad responsum S. C. Conc. 13 nov. 1920, Acta Ap. Sedis 1921, 135 ss.

bus fideles propriam vitam supernaturalem perficiunt. Immo, talibus associationibus, si ab Ecclesia commendantur, interdum etiam favores speciales, e. g. indulgentiae, conferuntur.

Associationes fidelium ad talia opera exercenda, si eriguntur tamquam *personae morales* ecclesiasticae (etsi forte prima origo debebatur unitioni liberae fidelium), in activitate exercenda magis subsunt auctoritati ecclesiasticae, e. g. quoad nominationem moderatoris (can. 698 § 1), quia qua associationes subiectum iuris in Ecclesia, in ordine supernaturali, constitutae sunt. (Etiam in associationes ab Ecclesia positive *approbatas,* etsi non in personam moralem erectas, auctoritati ecclesiasticae maior influxus debetur, propter bona spiritualia associationi qua tali concessa).

Societates religiosae, i. e. ordines et congregationes, porro associationes in communi viventium, instituta saecularia secundum communiter contingentia oriuntur vx voluntate fidelium se unientium. Praesertim in hac sphaera vitae Ecclesiae influxus charismaticus Spiritus Sancti tamquam semper efficax se manifestat; Ecclesia etiam hoc modo semper seipsam renovat in spiritu Christi. Inde fideles se unientes modum vivendi communiter, tendendi ad perfectionem, exercendi in communi opera religionis, caritatis etc. in concreto determinant. Vere, ut talis associatio formaliter sit societas religiosa etc., necnon ut personalitate morali gaudeat, approbari et constitui debet per competentem auctoritatem ecclesiasticam (cf. e. g. can. 492 § 1), quia ratione vitae communis respective communis studii perfectionis

evangelicae bonum commune Ecclesiae tangitur. Non autem indiget ulteriore explicatione, illa, quae dicta sunt de personis moralibus in genere quoad ius ad propriam vitam, ad subsidium debitum ad hanc vitam propriam gerendam, hic dicenda esse ratione fortiore. Immo, infra talem societatem eiusque instituta, quibus vita propria ordinatur, singula membra sphaeram *personalem* retinent, modo personali secundum proprium institutum vivere possunt, ita ut nunquam in Ecclesia habeatur collectivum, cuius partes propria personalitate et libertate careant.

Sicuti in omnes personas morales ecclesiasticas ita etiam in hac parte influxus Ecclesiae, respective personae moralis *maioris* in *minorem* tendit ad reddendam vere supernaturalem vitam talis personae moralis, vere ecclesiasticam, vere congruentem instituto e. g. talis ordinis; non autem tendit, nec legitime tendere potest, ut persona moralis possibilitate gerendi propriam vitam privetur.

Ita e. g. in CIC praebentur normae iuris *communis* pro societatibus religiosis (can. 487 ss.). Hae normae autem tamquam communia illa tantum statuunt, quae bonum commune Ecclesiae omnino exigit; non autem ordinantur hae normae ad vitam religiosorum diversarum societatum religiosarum quam maxime uniformem reddendam; immo constitutiones *propriae* supponuntur (can. 489); saepe ad dispositiones a constitutionibus propriis statutas fit relatio, et ita vita propria explicite recognoscitur. Proinde normae iuris communis in variis societatibus religiosis obligatoriae

quidem sunt, attamen applicationem habent in plurimis adaptatem propriae vitae.

c) *Quoad ordinem inter personas morales potestate iurisdictionis praeditas.*

In activitate sociali Ecclesiae indoles supernaturalis et indoles organisatoria quam strictissime conectuntur, ita ut in concreto separari non possint. Hinc quoad ordinem constituendum inter ipsas personas morales potestate iurisdictionis praeditas, i. e. inter Sanctam Sedem et personas morales tales infra Ecclesiam, respective inter personam moralem talem maiorem et minorem (e. g. provinciam ecclesiasticam et dioecesim) notanda sunt haec: Una ex parte ratione indolis supernaturalis ratio haberi potest *reservandi negotia iuridica,* quae de se etiam a persona morali minore, i. e. a subiecto auctoritatis eius, peragi possent. Altera ex parte illa, quae de *vita propria* gerenda dicta sunt de persona morali in genere, hic a *fortiori* applicantur, quia haec persona moralis proprium habet bonum commune sensu technico, et ita propriam potestatem publicam. Ita e. g. concessio dispensationis ab impedimento matrimoniali de se spectat ad Sanctam Sedem (can. 1040); ratio autem boni communis haberi potest concedendi talem facultatem — forte necessario concedendi — etiam Ordinariis locorum, e. g. per delegationem a iure (can. 1043, 1045), per facultates quinquennales etc. Pariter collatio officii ecclesiastici potest esse reservata Sanctae Sedi; attamen officia, quae directe ad curam animarum

immediatam spectant, ordinarie conferuntur per Ordinarium loci (cf. e. g. can. 455 § 1 quoad officium parochi); hoc enim requirit ordinata cura animarum.

Antequam in specie de exercitio potestatis iurisdictionis agimus, quoad functionem *legislativam* notamus: Legislatio canonica non procedit ex tendentia — saepe habita in Statu moderno — evolvendi propriam potestatem propter potestatem affirmandam, sed a voluntate implendi munus curandi cultum Dei et salutem hominum. *Codificatio* totius iuris canonici praesertim etiam finem habuit — non onerando ultra necessitatem vitam propriam fidelium et personarum moralium in Ecclesia — restringendi numerum legum, ita ut ius vigens clare perspici possit [4]. Eadem intentione motus Benedictus XV disposuit, qualis *procedura* tenenda sit, « si quando, decursu temporum, Ecclesiae universae bonum postulabit, ut novum generale decretum ab aliqua Sacra Congregatione condatur »; nempe « ea ipsa decretum conficiat, quod si a Codicis praescriptis dissentiat, Summum Pontificem de eiusmodi discrepantia moneat. Decretum autem, a Pontifice adprobatum, eadem Sacra Congregatio ad Consilium deferat, cuius erit, ad decreti sententiam, canonem vel canones redigere » [5]. Dolendum sane est hanc sapientissimam normam destinatam ad efficaciter tuendam unici-

---

[4] BENEDICTUS XV., *Const. Ap., Providentissima Mater Ecclesia,* qua Codex Iuris Canonici promulgabatur. (In principio ipsius CIC.).

[5] BENEDICTUS XV. *Motu Proprio, Cum iuris canonici, III.* (In principio ipsius CIC.).

tatem et perspicuitatem legislationis canonicae in praxim non fuisse deductam.

Notatu digna est etiam norma generalis (can. 19), secundum quam « leges quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi », i. e. tales leges restringi debent ad illa, quae verbis intelligi debent, non autem possunt extendi ad illa, quae verbis intelligi possunt. Si igitur interdum observatio fit talem interpretationem *formalem* in Ecclesia convenientem non esse, respondendum est Ecclesiam tali dispositione recognoscere libertatem personalem fidelium, quam sine necessitate non restringit. Immo ad dubia Sacris Congregationibus proposita, praesertim quoad quaestiones morales, non raro responsum datum est: Consulantur probati auctores. Quod responsum — hodie quidem minus in usu — non debet intelligi tantum tamquam negatio solutionis quaestionis forte nondum sufficienter dilucidae, sed etiam tamquam appellatio ad propriam *responsabilitatem personalem.*

Quoad exercitium potestatis iurisdictionis in specie tantum exempli causa aliqua magis fundamentalia notentur:

Primatus iurisdictionis Romani Pontificis est immediatus in omnes pastores et fideles; attamen *Sancta Sedes* curam *immediatam* ipsius vitae ecclesiasticae in personis moralibus ecclesiasticis (dioeceses, ordines etc.) *ordinarie* non per seipsam peragit; potius in personis moralibus, quae proprium habent bonum commune, habetur potestas iurisdictionis; non tantum Episcopi, quorum offi-

cium est iuris divini, sed etiam alii Praelati iuris habent potestatem iurisdictionis. Sancta Sedes vitam ecclesiasticam dirigit, Episcopos constituit, supremam vigilantiam et correctionem exercet, controversias componit, dubia resolvit, quaestiones iuridicas dirimit. Haec omnia, etsi etiam circa ordinem externum vitae Ecclesiae versantur, tamen in concreto necessario aut convenienter supremae auctoritati relinquenda sunt.

Ita « *Congregatio S. Officii,* cui ipse Summus Pontifex praeest, tutatur doctrinam fidei et morum » (can. 247 § 1). Hoc munere huius Sacrae Congregationis tamen non excludítur, quod doctrina erronea, quae in aliqua regione tantum periculum creat fidei fidelium, réfutatur ex parte Episcopi respective Episcoporum huius regionis (can. 1326; 1395 §§ 1, 3; 1397 § 5).

Ad Sacram *Congregationem Consistorialem* spectant ea, « quae pertinent ad constitutionem, conservationem et statum dioecesium » (can. 248 § 3); non autem aufert hoc munus Ordinariis locorum officium propria responsabilitate implendum, sed Sacrae Congregationis potius est vigilare, ut officium illud impleatur.

« *Congregationi Concilii* ea pars negotiorum est commissa, quae ad universam disciplinam cleri saecularis populique christiani refertur » (can. 250 § 1); curam autem disciplinae cleri et populi in concreto non exercet nisi quoad causas extraordinarias (can. 250 § 2).

Ad Sacram *Congregationem Religiosorum* spectant ea, « quae respiciunt regimen, discipli-

nam, studia, bona et privilegia religiosorum » (can. 251 § 1); horum autem concreta executio fit per Superiores religiosos secundum constitutiones talis societatis religiosae.

Simili modo quoad *quaestiones iudiciales* dirimendas quidem « integrum est cuilibet fideli in toto orbo catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu, cognoscendam ad Sanctam Sedem deferre vel apud eandem introducere » (can. 1569 § 1); tamen « in unaquaque dioecesi et pro omnibus causis a iure expresse non exceptis, iudex primae instantiae est loci Ordinarius » (can. 1572 § 1). Romano Pontifici respective Sanctae Sedis Tribunalibus eae tantum causae reservantur, quae necessario aut convenienter non nisi a suprema auctoritate in Ecclesia iudicari possunt (can. 1557).

« *Provinciae ecclesiasticae* praeest Metropolita seu Archiepiscopus »; sed potestas eius ad aliqua pauca negotia clare definita restringitur; ipsa haec negotia manifestant functionem Metropolitae esse subsidiariam, ita ut in concreto non habeatur restrictio iurisdictionis Ordinariorum locorum (can. 272, 274).

Conclusio.

In Ecclesia principium subsidiaritatis est applicabile et applicandum, in quantum Ecclesia est societas vere humana et vitam suam agit per activitatem vere socialem, organisatoriam. Neque ob-

stat applicationi principii subsidiaritatis indoles supernaturalis activitatis socialis Ecclesiae, quia activitas socialis etiam qua supernaturalis manet vere activitas socialis, omnis autem activitas socialis organisatoria natura sua est subsidiaria. In quantum bonum supernaturale haberi nequit nisi eo, quod a subiecto potestate sacra praedito confertur, principium subsidiaritatis — secundum partem negativam — applicari nequit, quia bonum supernaturale natura sua vires naturales humanas excedit; habetur autem hac ratione applicatio principii subsidiaritatis — secundum partem positivam — quatenus Ecclesia praestat homini auxilium necessarium ad finem supernaturalem attingendum.

Hinc etiam in Ecclesia « socialis quaevis opera vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis socialis » debet; quia hoc principium est generalis valoris, sicuti ipse Summus Pontifex Pius XII f. r. explicite declaravit, proinde valet « pro vita sociali in omnibus eius gradibus, et etiam pro vita Ecclesiae, sine praeiudicio structurae eius hierarchicae » [1].

Restrictio applicationis principii subsidiaritatis ratione structurae hierarchicae Ecclesiae nequidem est vera restrictio huius principii, sed simpliciter explicatur ex natura boni supernaturalis concrediti Ecclesiae. Si igitur iterum atque iterum nostris diebus fiunt lamentationes Ecclesiam non attendere principium subsidiaritatis, talis defec-

[1] *Allocutio*, 20.2.46, *Acta Ap. Sed.* 1946, 144 s.

tus certo certius non debetur ordinationi canonicae; ad summum haberetur, si hoc probari potest in casu concreto, defectus quoad observationem normae latae [2].

Wilhelmus Bertrams, S. I.

2 Tales lamentationes praesertim etiam eo tendunt, ut laicis maior recognoscatur, etiam institutionaliter, facultas et activitas in Ecclesia. Sine dubio ex applicatione principii subsidiaritatis laicis illa facultas et activitas recognoscitur, cuius sunt capaces. Dubitamus tamen principium subsidiaritatis posse applicari formaliter ad relationem inter clericos et laicos; principium subsidiaritatis formaliter est potius de relatione inter societatem et singulos, respective inter societatem maiorem et minorem; indirecte utique hoc principium relationem inter clericos et laicos tangit.

IMPEDIMENTUM AFFINITATIS

Antonius, dubie baptizatus in secta calvinistica, die 21 Augusti 1945 coram magistratu civili matrimonium contraxit cum Francisca, non baptizata. Defuncta Francisca Antonius die 5 Decembris 1948 matrimonium, iterum civiliter, contraxit cum Maria, filia sororis Franciscae et valide baptizata in Ecclesia anglicana. Hoc matrimonium infelicem habuit exitum et post tres annos Maria obtinuit sententiam divortii. Nunc Alida, catholica, vult contrahere cum Antonio, parato amplectendi fidem catholicam et recipiendi baptismum. Alida adit parochum, qui incertus utrum possit huic matrimonio assistere casum proponit cuidam canonistae.

Cardo quaestionis iuridicae.

Cum matrimonium ab Antonio prius celebratum iam sit solutum morte uxoris, status iuridicus Antonii in ordine ad matrimonium celebrandum cum Alida dependet a validitate aut invaliditate matrimonii sui cum Maria. Hoc matrimonium non est invalidum ob defectum formae; quia forma canonica pro Antonio et Maria non erat obligatoria; forma iure civili statuta non erat neglecta ideoque quidquid sit de baptismate Antonii, hic non habetur invaliditas ob formam civilem neglec-

tam. Unum tantum habetur impedimentum, ratione cuius licet movere dubium circa validitatem huius matrimonii, scilicet impedimentum affinitatis. In casu proposito enim Maria dicitur consanguinea Franciscae in secundo gradu lineae collateralis. Ad casus rectam solutionem igitur inquirendum est utrum matrimonium celebratum inter Antonium et Mariam sit invalidum ob impedimentum canonicum dirimens affinitatis.

In iure.

I. Pacificum est matrimonium, quod celebratur a personis quarum saltem alterutra est baptizata, regi iure canonico et proinde regi lege, qua statutum est impedimentum affinitatis.

II. Canon 1077 statuit: « Affinitas in linea collaterali usque ad gradum secundum inclusive dirimit matrimonium ». Filium autem sororis alicuius uxoris esse huic uxori consanguineam in secundo gradu lineae collateralis est evidens. Imo est consanguinea huius uxoris in gradu secundo mixto cum primo. Ex parte consanguinitatis utpote elementi constituentis fundamentum quo nititur affinitas non datur ratio dubitandi et disceptandi.

III. Aliter tamen res se habet cum altero elemento constituente, scilicet cum matrimonio valido. In canone 97 statuitur: § 1: « affinitas oritur ex matrimonio valido sive rato tantum sive rato et consummato », § 2: « Viget inter virum dum-

taxat et consanguineas mulieris ... ». Formulam primae paragraphi esse male electam, quia est ambigua et duas admittit interpretationes, est pacificum apud omnes canonistas. Qui nonnisi hanc paragraphum ante oculos tenet, sistere debet in admittendo dubio iuris et quidem dubio insolubili. Recta autem iuris interpretatio non permittit ut interpres sese restringat ad solum textum alicuius paragraphi aut unius canonis. Dantur media interpretationis quae applicantur soli textui unius legis, e. g. « leges interpretandae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam » (c. 18), sed dantur etiam plura alia media dissipandi dubium, quod vi solius textus unius canonis est insolubile. Quaedam huiusmodi media interpretationis indicantur in eodem canone 18; alia inveniuntur in aliis canonibus, e. g. cc. 22, 19, 23, 6 n. 4, 15. Et dantur etiam media naturalia seu regulae interpretationis quas quilibet vir intelligens et prudens occasione data adhibet, ut detegat verum sensum verborum ab alia persona prolatorum, sive haec sit legislator sive persona privata.

Non tamen licet interpreti haec media adhibere vel negligere pro libitu seu secundum quod ipsi convenit ad propugnandam aliquam thesim quae ipsi placet. Etiam usus mediorum interpretationis regendum est normis sive naturali prudentia et methodo scientifica commendatis, sive lege positiva praescriptis. Non licet interpreti concludere : « dubium iuris ; ergo applicatur canon 15 : lex non urget ; impedimentum in praxi non tenet », si nihil adhuc probaverit nisi quod verba legis

sunt ambigua et normae canone 18 statutae non praebent solutionem dubii. No fallor, hoc nimis frequenter fit. Applicatio canonis 15 debet esse nonnisi *ultimum* remedium ab obtinendum ius certum saltem pro praxi.

Meo iudicio sensus verborum canonis 97 § 1 semper fuit certus, etsi ipsa verba sola sint ambigua. Ad certitudinem hanc necessario pervenit interpres, qui recte applicat regulas interpretationis, quae in Codice praescribuntur. Iste sensus est: affinitas oritur ex quocumque matrimonio valido. Verba adiuncta ad « matrimonio valido » nihil aliud faciunt nisi ad maiorem claritatem et certitudinem declarare affinitatem oriri e matrimonio valido *independenter ab actu consummationis*. Hanc meam sententiam eiusque certitudinem probavi in meo articulo in « Ephemerides Iuris Canonici » 1948, fasc. 3, et deinde in libro meo: Vlaming - Bender: Praelectiones Iuris Matrimonii [4] p. 259. Et quidem tam rationibus positivis quam rationibus quibus demonstratur infirmitas rationis unicae quam sententiae meae adversarii afferre solent [1]. Complexui rationum quo nititur

---

1 Michiels. qui in prima editione sui libri « Principia generalia de Personis in Ecclesia » sententiam contrariam tenuit, in secunda editione confitetur et docet nunc, post promulgationem textus « Crebrae allatae » nullum dubium rationabile existere posse circa hoc quod sensus canonis 97 § 1 est ille, quem nos semper propugnavimus.

In hoc libro refert sententias diversas auctorum; non tamen rationes quas afferunt; minus adhuc has rationes crisi subiicit et in quantum afferuntur ad probandam sententiam suae propriae sententiae contrariam refutare conatur. Insuper Michiels me, ratione doctrinae in libro meo expositae comprehendit inter canonistas, qui admittunt impedimentum non vigere propter dubium

haec certitudo a me propugnata sese adiunxit factum notissimum. scilicet electio ab ipso legislatote alius formulae ad describendum eundem conceptum, idem scilicet fundamentum eiusdem affinitatis. In textu authentico, quo ius matrimoniale Orientalium codificatum est promulgatum (Motu Proprio *Crebrae allatae,* 18 Jan. 1949) legimus: Affinitas ex digeneia oritur ex matrimonio valido *etsi non consummato.*

Sane, proprie in quantum est *lex* ecclesiastica hic canon non habet vim iuris pro latinis. Sed nos agimus de *interpretatione,* non de *immutatione* iuris can. 97 statuti. Proinde nostri proprie interest utrum hic actus legislatoris nobis praebeat medium, quo cum certitudine morali possumus cognoscere sensum verum canonis 97 § 1. Ut res certa admittendum est legislatorem non statuere aliud fundamentum affinitatis pro Ecclesiis Orientalibus, aliud pro Ecclesia Latina. Deinde, legislatorem elegisse hanc aliam formulam, nullatenus ambiguam, ut etiam quantum ad materiam de qua viguit dissensus inter canonistas, clare et indubitanter manifestaret suam intentionem circa fundamentum affinitatis, de quo est sermo in canone 97 § 1.

Sequitur ut etiam hac via seu vi textu dicti *Motu Proprio* certum est verba canonis 97 § 1 sic esse legenda ut fundamentum affinitatis sit quodlibet matrimonium validum, a. v. sic ut ultima verba (post verbum « validum ») habeant sensum ex-

---

iuris. Id autem non esse meam sententiam quilibet videre potest qui articulum meum vel corrollarium in meo libro de hac re agens legit.

plicativum, non sensum restrictivum a. v. addita sint ut determinaretur cum maiori claritate matrimonium *etiam non consummatum* esse causam affinitatis. Et declaratio illa expresse facta sane non est inutilis, quia in iure veteris ius non erat sic.

Nil mirum quod hac immutatae formulae insertione in textum iuris Orientalium canonistae, qui hucusque acriter tenebant interpretationem contrariam sive tamquam certam sive tamquam dubiam seu probabilem, mutaverunt sententiam et docent nunc de vero sensu canonis 97 § 1 non dari amplius minimum dubium rationabile,[2] sicut facit Michiels in libri sui « Principia Generalia de Personis » nova editione (p. 262).

Statuere hanc interpretationem canonis 97 nunc esse certam non sufficit ad solutionem casus propositi. Attendere adhuc nos oportet ad aliam quaestionem. Motu Proprio « *Crebrae allatae* » promulgatum est die 18 Ianuarii 1949 et coepit vigere die 2 Maii eiusdem anni. In casu nostro agitur de matrimonio celebrato die 5 Decembris 1948. Datur igitur ratio inquirendi utrum huius matrimonii celebrationi applicandus sit canon 97 § 1 eo sensu, quem ipsum certo habere a nemine nunc in dubium vocari potest, an applicandum sit ius vigens ratione dissensus inter canonistas saltem plures. Quomodo iudicandum est de validi-

---

2 Nulla enim datur ratio a priori admittendi quod, si plures auctores admittunt certitudinem iuris, plures alii dubium iuris, horum sententiam esse veram, a. v. revera vigere dubium iuris. Vide L. Bender, « *Dubium iuris in canone 15* » in *Ephemer. Iur. Can.* 1955, n. 1.

tate matrimonii tunc temporis celebrati inter affines ratione matrimonii validi sed non inter duos baptizatos (non rati)? In abstracto tres responsiones sunt considerandae:

1. Constat de nullitate matrimonii. Nam constat sensum canonis 97 § 1 esse et semper fuisse: affinitas oritur ex matrimonio valido etsi non consummato.

2. Constat hoc matrimonium esse validum. Nam tempore celebrationis vigebat dubium iuris, scilicet dubium circa sensum verum canonis 97 § 1, ita ut dubium fuerit, utrum ex matrimonio non rato seu celebrato inter partes quarum saltem alterutra est non baptizata oriatur affinitas et consequenter impedimentum affinitatis. Porro, in dubio iuris lex etiam irritans et proinde impedimentum dirimens non urget. Ergo huic matrimonio non obstabat impedimentum affinitatis.

3. Invaliditas matrimonii est dubia. Nam tempore celebrationis plures docebant, ratione sat solida fulciti, haberi ius certum circa existentiam impedimenti; plures alii docebant vigere dubium iuris. Ergo dubium est utrum tempore celebrationis viguerit dubium iuris. Nam pro utraque parte militant rationes: pro certitudine impedimenti et pro dubio circa impedimentum [3].

---

[3] Mirari vix non possumus Michiels, qui docet nunc haberi non posse dubium rationabile circa sensum canonis 97 § 1, in fine huius capitis addere: « perdurante autem auctorum discordia ei (scilicet sententiae quae admittit dubium iuris) ut videtur denegari nequit quaedam probabilitas mere extrinseca, donec Sedes Apostolica rem apodictice solverit declaratione authentica ». Ni fallor reprobanda est huiusmodi methodus, quae merito vocari potest « cultus dubii ». Qui sic docent, agunt ac si dubium iuris

Mea sententia certum est sensum canonis 97 § 1 semper fuisse eundem, scilicet illum, quem ei semper tribui: affinitas oritur ex matrimonio valido quocumque, seu etiamsi non sit consummatum et *independenter a baptismo coniugum*. In hoc Codex non immutavit ius antiquum, quod etiam in fundamento affinitatis, scilicet copula carnali, numquam comprehendit baptismum personarum, inter quas copula locum habuit. Doctrina semper fuit: inter personas, quae contrahere intendunt non viget impedimentum affinitatis, si nulla earum sit baptizata; sed ut ipsa affinitas oriatur ex relatione (sexuali) in iure designata ut fundamentum et causa affinitatis, nullatenus requiritur ut personae inter quas habetur illa relatio sint baptizatae. Baptismus numquam est consideratus in iure tamquam pars fundamenti affinitatis.

Dubium igitur de quo sermo est apud auctores post Codicem erat dubium *subiectivum*. Si velimus loqui in terminologia canonis 17 dicere debemus: non habebatur « lex dubia », sed « verba legis in se certa ». Plures sane dubitabant. Sed causa huius dubii non erat, quia sensus legis *neces-*

---

est aliquod bonum in iure et sedulo fovendum et omni vi retinendum, non obstante qualibet certitudine qua scientifice dissipatur. Sic praecluditur quaelibet via ut aliqua controversia modo scientifico solvatur et omnia expectanda sunt a solo interventu superioris eiusque actu authentico. Apparet superiores non libenter dare interpretationes authenticas. Haec iam per totum tempus quo vigebat dissensus inter canonistas in re tanti momenti practici fuisset perutilis. Ipsi nunc usi sunt via prorsus accidentali et indirecta, casu ipsis aperta, ut afferant lucem circa sensum canonis 97 § 1, scilicet promulgatione Motu proprio « Crebrae allatae ».

sario manebat incertus. In iure adsunt regulae quarum recta applicatio duxisset ad dubium dissipandum. Propterea non omnes dubitabant. Causa dubii plurium erat quia isti plures non recte applicabant has interpretationis regulas et normas [4].

Pro me hoc iam constabat rationibus scientificis ad scientiam iuridicam pertinentibus, a. v. iudicio scientifico-critico omnium elementorum, quae in Codice, libris, articulis et disceptationibus inveniebantur. Eadem autem conclusio sequitur et quidem indubitanter ex facto quod legislator formulam novam et nullatenus ambiguam elegit et consulto inseruit in « Crebrae allatae ». Si enim canon 97 § 1 esset lex dubia ad normam canonis 17 ideoque ante promulgationem « Crebrae allatae » viguisset dubium iuris *obiectivum* seu dubium vigens vi ipsius textus canonis 97 § 1, tale dubium tolli nequit nisi vera *immutatione* legis seu iuris normativi ut aiunt. Textus enim iuris canone 97 contenti est promulgatus pro Ecclesia Latina. Ius vigens vi huius textus dubii tolli nequit, nisi legis textui substituatur alius legis textus sive in forma interpretationis authenticae sive alia forma authentica et promulgata. In hoc iuris statu non esset sufficiens alius et clarae formulae insertio in Codicem *Orientalium*. Codex enim Orientalium non *condit* seu *facit* ius pro Ecclesia Latina. Ius hucusque vigens in Ecclesia Latina, ratione Codicis habentis in canone 97 « legem dubiam » (ad normam canonis 17) et in canone 15

[4] Vide L. BENDER. *Dubium iuris in c. 15* in *Ephem. Iuris Can.* 1955, n. 1.

normam iuris : « lex in dubio iuris non urget » nequit cessare seu immutari promulgatione Codicis nullatenus vigentis pro Ecclesia Latina.

Et tamen nullo dubio obnoxium esse potest legislatorem insertione novae formulae etiam providisse incertitudini hic vel illuc vigenti inter Latinos circa ius Codice contentum. Hoc sequitur non ex sola electione et insertione novae formulae non ambiguae, sed ex hac insertione simul cum omissione alicuius interpretationis authenticae promulgatae pro Ecclesia Latina. Nisi velimus admittere illud absurdum quod omnes reiiciunt, scilicet quod legislator voluit alium conceptum affinitatis pro Orientalibus et alium pro Latinis, constringimur ad admittendum Legislatorem voluisse nova formula etiam dissipare dubium circa sensum canonis 97. Ipse igitur iudicat ad hoc sufficere novae formulae insertionem in Codicem Orientalium et non necessarium esse aliquem actum legislativum (interpretationem authenticam) circa ius Latinorum. Hoc autem supponit dubium circa canonem 97, apud plures canonistas motum et *fotum,* a Legislatore haberi dubium *subiectivum.* A. v. canon 97 continet « verba in se certa » (c. 17), quae indigent simplici declaratione. Hoc fieri potest interpretatione authentica, sed etiam aliis mediis e. g. simplici instructione non authentica. Interpretatio authentica est magis efficax erga eos, qui non facile audiunt instructiones non habentes strictam vim obligandi. Sed alia media seu simplices instructiones sufficiunt per se. Huiusmodi medium utile ad instruendos nos relate ad sensum

canonis 97 est insertio novae formulae in Codicem Orientalium.

Cum autem, ut in articulo nostro [5], praecipue ex canone 17 demonstravimus, dubium iuris de quo agit canon 15 (in dubio iuris lex non urget), esse dubium *obiectivum* seu dubium quod habetur vi legis dubiae seu vi legis cuius sensus etiam applicatione regularum interpretationis certo detegi nequit, sequitur quod etiam ante promulgationem « Crebrae allatae » non vigebat illud dubium iuris de quo valet « in dubio iuris lex non urget ». A. v. ius vigens ante diem 18 Ianuarii 1949 non differt a iure vigenti post hanc diem. Ideoque, qui nobiscum admittit nunc vigere ius, quo affinitas et impedimentum affinitatis oritur ex quocumque matrimonio valido etsi non consummato, et proinde etiam e matrimonio *infidelium,* debet admittere hoc ius etiam viguisse antea seu iam a momento quo Codex Iuris Canonici coepit habere vim iuris [6].

---

[5] Vide nota 4.

[6] Hac nostra elucubratione iam absoluta et ad directionem huius periodici missa, S. C. S. Officii promulgavit interpretationem authenticam huius tenoris: « an affinitas, in infidelitate contracta, impedimentum evadat pro matrimoniis, quae ineantur post baptismum, etsi unius partis tantum ». R. Affirmative. Die 16 Jan. 1957. (*A.A.S.* 1957, p. 77.). Hac responsione authentice confirmatur interpretationem qua semper interpretati sumus canonem 97 § 1. Post baptismum unius partis tantum enim nullatenus habetur matrimonium *ratum* in sensu *inter duos baptizatos* et tamen hoc matrimonium est causa affinitatis.

In facto.

Inter Antonium et Mariam certo vigebat impedimentum affinitatis, saltem quia Francisca est certo baptizata. Quapropter constat de nullitate matrimonii inter eos celebrati. Ex hoc autem quod constat de nullitate matrimonii inter Antonium et Mariam non sequitur ut Antonius et Alida possint ultro contrahere et ut parocho liceat assistere huic matrimonio, quin prius aliquid aliud fiat. Requiritur enim ut de invaliditate prioris matrimonii *legtime* constet, ut expresse statuit canon 1069 § 2. Legitime constare est constare ad normam iuris canonici, in foro externo. Hoc secundum diversitatem casuum fit aut sententia iudiciali in processu ordinario seu solemni, aut declaratione facta ad Ordinario loci ad normam canonis 1990. Haec autem declaratio tantumodo sufficit si adimpletae habeantur conditiones in hoc canone designatae. Ut ex certo et authentico documento ... etc. constiterit de existentia impedimenti affinitatis requiritur ut ex huiusmodi documentis constet: 1. Mariam esse consanguineam Franciscae in secundo gradu. 2. Matrimonium inter Antonium et Franciscam fuisse valide celebratum. Ad hoc requiruntur duo documenta authentica. Documentum nulli suspicioni obnoxium de matrimonio *valide* celebrato non tam facile habetur, cum neque partes acatholicae neque auctoritates civiles curam habent de statu libero secundum leges canonicas, quae tamen urgent pro *omnibus* baptizatis.

Declaratio aut sententia nullitatis est unica

spes, quam Antonius et Alida fovere possunt. Solutionem matrimonii ab auctoritate suprema ecclesiastica vi privilegii fidei (sic dicti privilegii Petrini) sperare nequeunt. Agitur enim de matrimonio consummato et saltem dubie rato, cum Maria sit baptizata et de Antonii baptismate vigeat dubium probabile. Dissolutionem in tali casu Ecclesiam concedere non posse iam natura rei constat. Hodie idem insuper constat ex declaratione S. C. S. Officii, data die 10 iunii 1937, in ordine ad applicationem canonis 1127.

Dr. L. Bender, O. P.

MISSALE ROMANUM SLAVONICUM

Inter libros liturgicos, in ultimis 30 annis a S. Sede in lingua ecclesiastico-slavica editos, sine dubio eminet Missale Romanum Slavonicum. Libri sacri, qui cum Approbatione S. Sedis — tramite non interrupto — pro ritu byzantino-slavico, recensionis vulgatae et recensionis rutenae, eduntur, in Catalogo Librariae Vaticanae annuntiantur ibidemque venum dantur [1]. Missale Romanum Slavonicum, Polyglottis Vaticanis anno 1927 impressum in praefato Catalogo non recensetur neque hic Romae emi potest, cum prodierit expensis Gubernii Regni Jugoslaviae. Exemplaria vero huius Missalis exstant in Bibliotheca Vaticana, in Propaganda Fide, in Pont. Instituto Orientali, in Pont. Collegio Illyrico de Urbe.

Descriptio Missalis Slavonici

Jam in fronte libri natura, historia et finis breviter indicatur:

MISSALE ROMANUM
SLAVONICO IDIOMATE

ex decreto sacrosancti Concilii Tridentini restitutum, S. Pii V Pontificis Maximi jussu editum, a Pio X reformatum et Ssmi P. N. Pii XI auctoritate vulgatum.

Romae - Typis Polyglottis Vaticanis, 1927.

---

1 Catalogus « Libreria Editrice Vaticana », 1956, pg. 44-51.

Missale Romanum Slavonicum perfecte conforme est Missali latino in forma externa, in ipsis officiis et divisione officiorum, in textibus liturgicis et rubricis, in notis musicalibus et ornamentis; differt tantum linguâ. Expressio « slavonico idiomate » significat linguam ecclesiastico-slavicam (vel glagoliticam vel palaeoslavicam), quae etiam in libris liturgicis ritus byzantino-slavico a catholicis et dissidentibus adhibetur. Haec lingua ecclesastico-slavica dividitur in recensionem meridionalem et septemtrionalem. Missale Romanum Slavonicum editum est in recensione meridionali; libri liturgici vero ritus byzantino-slavici eduntur in recensione septemtrionali. Ovio modo dici potest: lingua russica se habet ad linguam ecclesiastico-slavicam sicut lingua classica italica nostri temporis se habet ad linguam italicam, qua locutus est et in quâ scripsit celeberrimus poeta Dante. Recensio vero meridionalis distat a recensione septemtrionali sicuti lingua latina scholasticorum distat a lingua latina in Commentario « Acta Apostolicae Sedis » adhibita. Recensio septemtrionalis est universalior; viget enim ut lingua liturgica apud Russos, Ucrainos, Bulgaros, Serbos, Albo-Ruthenos et censetur ut perfectior.

Chronica Missalis Slavonici

Lingua ecclesiastico-slavica in diversis saeculis fluctuat intra limites recensionis meridionalis et septemtrionalis. Modo propinquat recensionem septemtrionalem, modo iterum ab illa recedit et revertitur ad recensionem meridionalem. Haec

oscillatio facile colligitur ex chronicis eius editionum:

1631: Cura R. P. Raphaelis Levakovič OFM, archiepiscopi Acridensis Missale Slavonicum (glagoliticum) editur jussu P. Urbani VIII, typis S. Congregationis de Prop. Fide. Lingua ecclesiastico-slavica oscillat versus recensionem septemtrionalem.

1706: Apparet secunda editio eiusdem Missalis, quam Rev. can. S. Hieronymi de Urbe, Johannes Pastrič praeparavit.

1741: Jussu P. Benedicti XIV cura Mathaei Karamani, ep. Asorensis, postea archiepiscopi Jadrensis Missale Romanum Slavonicum (glagoliticum) iterum editur, typis S. Congregationis de Prop. Fide. Lingua ecclesiastico-slavica maxime ad recensionem septemtrionalem appropinquat.

1893: Jussu P. Leonis XIII Carolus Parčič, can. S. Hieronymi de Urbe procurat novam editionem. Lingua ecclesiastico-slavica iterum magis recedit a recensione septemtrionali.

1905: Locum habet altera editio Missalis, nuper editi.

1927: Ultima et simul vigens editio Romae procurata est a Rev. Dr. Josepho Vajs. Auctor medium tenet inter recensionem meridionalem et septemptrionalem, respicit usum eius extra limites territorii « Illyrici ». Scriptio glagolitica substituitur litteris la-

tinis; transcriptio fit secundum phoneticam recensionis septemtrionalis [2].

Diffusio Missalis Slavonici

Territoria et loca, in quibus privilegium viget utendi hoc Missali, quattuor documentis S. Sedis circumscribitur:

a) In Concordato cum Regno Serbiae, die 24 Junii 1914 inito, sub art. 15 dicitur:

« Porro Sanctitas Sua consentit, ut catholici ritus romani in Regno Serbiae possint in sacra liturgia uti lingua palaeoslavica, glagolitis characteribus expressa et quidem in iis paroeciis, quae postea determinabuntur » [3].

b) Rescripto S. R. C., die 20 Maii 192z conceditur amplum privilegium utendi hoc Missali Slavonico in territoriis Bohemiae et Moraviae pro determinatis locis et determinatis diebus [4]:

« Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV supplicibus votis et precibus Episcoporum Bohemiae et Moraviae benigne annuens, speciali de gratia indulget:

Ut lingua veteroslavica, characteribus glagolitis expressa (ex libris ab hac Apostolica Sede recognitis et approbatis) possit certis diebus in

---

[2] Indolem philologicam editionum praesertim editionis anni 1741 illustrat R. P. Marcus Japundžič T.O.R. in sua dissertatione: *Matteo Karaman* (*1700-1771*), Vita, attività missionaria e redazione del messale glagolitico, Pont. Instituti Orientalis, anno 1955.

[3] Cfr. Mercati Angelo, *Raccolta di Concordati*, pg. 1100-1103.

[4] Rescriptum S.R.C., Ditionis Czeco-slovacicae, D. n. 38/1920.

anno (festis ss. Cyrilli et Methodii, S. Venceslai, S. Ludmilae, S. Procopii, S. Johannis Nepomuceni) celebrari Missa cantata integra in locis et sanctuariis insequentibus: Velehrad in Moravia, in Sazava, in Vysehrad Pragae, in Emaus, monasterio O. S. B. Pragae fundato, in Capella S. Venceslai et ad sepulcrum S. Johanni Nepomuceni in ecclesia cathedrali ad S. Vitum, ad sepulcrum S. Ludmilae in ecclesia S. Georgii in arce Pragensi, Vetero-Boleslaviae in basilica, ubi, S. Venceslaus martyrii mortem subiit, in Monte Sacro (Svatà Hora) prope Pribram. Die 21 Maii 1920 ».

c) Concordatum cum Gubernio Jugoslaviae anno 1935 initum, sed a Parlamento non ratificatum inservit ut norma directiva; ibidem ampla facultas et possibilitas episcopis conceditur, ut eligant pro propriis dioecesibus usum linguae slavonicae:

Allegato

« La S. Sede conferma l'uso tradizionale che nella messa latina l'epistola e l'evangelo vengano cantati in lingua nazionale slava e mantiene le concessioni fatte nei riguardi dell'uso del Rituale in lingua nazionale, a patto che l'uso della lingua latina rimanga intatto per le parrocchie non slave e per i gruppi delle parrocchie non slave con maggioranza slava, in armonia con le deliberazioni della S. Sede in tale materia.

Essa conferma l'uso della lingua paleoslava (glagolitico) nella sacra liturgia, nell'ampiezza e nelle forme riconosciute dai Pontefici Leone XIII e Pio X di santa memoria.

In quanto all'estendere l'uso del glagolitico la S. Sede non si oppone che, nelle parrocchie di lingua slava, i vescovi, in armonia con la loro coscienza e saggezza, possano permettere l'uso della lingua paleoslava nella Santa Messa, laddove ciò corrisponda all'unanime desiderio dei fedeli. I vescovi informeranno ogni volta la S. Sede.

Independentemente da ciò, è permessa la celebrazione della messa in glagolitico nelle chiese del Regno di Jugoslavia, il giorno della festa dei Santi Cirillo e Metodio, anche se questa venisse rinviata alla seguente domenica, a condizione che il sacerdote celebrante la messa ed i cantori conoscano sufficientemente tale lingua.

Fatto in Vaticano, addì 25 luglio 1935.

E. Card. Pacelli »[5].

d) Vi Rescripti S. R. C., dati die 18 Decembris 1940 confertur Pont. Collegio Hieronymiano de Urbe facultas, ut sacerdotes, qui proveniunt ex regionibus, ubi viget lingua slavonica (palaeoslavica), in hac lingua litare valeant. — Privilegium est omni anno renovandum[6].

Rescriptum P. Urbani VIII de Missali Slavonico

In hoc Rescripto, quod etiam Missali Romano Slavonico anni 1927 praemittitur, indicatur intentio et spes, quam S. Sedes de hoc Missali habuit:

[5] *L'Europa Orientale*, XXII (Roma, 1942) pg. 286/87.

[6] S.R.C. Indultum, N. R. 39/940. — Plura de usu et diffusione huius Missalis vide in dissertatione R. D. Nicolaj Sojat: *De privilegio linguae palaeoslavicae in Liturgia Romana*, Romae, Pont. Universitas Gregoriana, 1947.

URBANUS PAPA VIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Ecclesia, Catholica, cui, divina favente clementia, nullo meritorum nostrorum suffragio praesidemus, sicuti una est, ita requirit nostrae pastoralis vigilantiae sollicitudo ut Christifideles idipsum non solum sapiant, sed etiam, quantum possibile est, omnes etiam unanimes uno ore in orationibus et sacrificiis honorificent Deum. Cum itaque, sicut accepimus, Missale idiomate Slavonico olim a fel. rec. Joanne Papa VIII praedecessore nostro concessum, a centum circiter annis typis editum non fuerit, atque inde acciderit, ut Slavorum Ecclesiae Missalium inopia adeo laboraverint, ut plerisque in locis, nec Sacerdotes Sacrosanctum Missae Sacrificium offerre, nec populi Ecclesiae praecepto de illo audiendo satisfacere commode potuerint: Nos Missalium inopiae hujusmodi ad Divini nominis laudem et gloriam, animarumque Christifidelium illarum partium salutem occurrere volentes, Venerabilibus Fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotio fidei in universum Orbem propagandae praepositis iniunximus, ut quamplura Missalia, Slavonico conscripta idiomate, a Provincia Dalmatiae Romam jussu nostro afferri, iisque per nonnullos linguae Slavonicae peritos iuxta emendationes a fel. etiam rec. Pio V et Clemente VIII Romanis Pontificibus similiter praedecessoribus nostris factas, et eorum litteris Apostolicis approbatas, correctis, Missale,

quod Romano prorsus conforme esset, componi, illudque praefato idiomate Slavonico ad usum et commodum eorundem Christifidelium Ecclesiarum, locorum et Provinciarum, ubi hactenus praefato idiomate celebratum fuit, imprimi curarent ».

(Sequuntur instructiones disciplinares de abrogatione Missalium Slavonicorum praecedentium et de obligatione utendi novo Missali).

« Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 29 Aprilis 1631. Pontificatus Nostri anno octavo.

M. A. Maraldus ».

Ex tenore Rescripti P. Urbani VIII, praesertim ex redactionibus huic Rescripto praecedentibus apparet: intentionem et spem S. Sedis in editione Missalis Slavonici non fuisse solum, ut territoria « Illyrica » habeant suos libros liturgicos slavicos, verum etiam ut Missale Romanum Slavonicum esset instrumentum pro conversione nationum stirpis slavicae; id quod colligitur ex sequentibus:

1) Magna cum cura et sollicitudine Cardinalium, « negotio fidei in universum Orbem propagandae praepositorum », Missale Romanum Slavonicum corrigitur, cuius censores generatim fuerunt Rutheni, periti linguae Slavonicae, fautores tamen recensionis septemtrionalis.

2) Commissioni pro correctione institutae non permittitur recedere a textu antiquo, magis

universali, Praedecessorum P. Pii V et Clementis VIII [7].

3) Expressio « Illyricum », quae in prima et secunda redactione legitur et novem vicibus occurrit, a Congregatione Cardinalium supprimitur et substituitur expressione ampliori et universaliori, nempe « Slavonicum », qui terminus a P. Joanne VIII adhibetur [8].

4) Orta discussione de titulo Missalis, num « Missale idiomate slavonico ad formam Missalis iussu S. D. N. Urbani VIII editum » vel « Missale Romanum slavonico idiomate iussu S. D. N. Urbani VIII editum », ipse Romanus Pontifex P. Urbanus VIII in Sessione tertii februarii 1631 litem dirimit et eligit secundam formulam, quae retinetur usque ad nostra tempora [9].

Spes S. Sedis: Missale Romanum Slavonicum posse esse istrumentum pro conversione nationum stirpis slavicae tunc temporis fefellit; in praesentibus conditionibus effulgere videtur.

Ios. M. Schweigl, S. I.

---

7 Arch. Prop. Fide, Lett. volg. T. 6, fol. 148.

8 Arch. Prop. Fide, Scritture riferite T. 263, fol. 355.

9 Arch. Prop. Fide, Acta, Tom. 8, fol. 11. — De Rescripto P. Urbani VIII et de iis, quae ei praecedunt, scripsit R. D. Johannes Ilijič in sua dissertatione: *Das glagolitische Missale aus dem Jahre 1631*, Romae, Pont. Universitas Gregoriana, 1949.

MONUMENTA

SS. D. N. Pius Pp. XII

1 - NUNTIUS RADIOPHONICUS

(*AAS.* XXXIX [25 ian. 1957] p. 5)

UNIVERSIS ORBIS EPISCOPIS ET CHRISTIFDELIBUS DATUS, PRIDIE PERVIGILIUM NATIVITATIS D. N. IESU CHRISTI, ANNO MCMLVI.

Augurio natalizio

L'inesauribile mistero del Natale sta per essere annunziato ancora una volta agli uomini della terra, oggi, forse più che mai, assetati di verità e di sicurezza. L'arcano fulgore, che irraggiò nella Notte santa dall'umile culla del Figlio di Maria, ed i cori angelici annunzianti la pace, fatti rivivere nelle anime dallo splendore e dalle melodie dei sacri riti, rinnovano alla presente umanità, delusa da tante fallite speranze, il divino invito a cercare nel mistero di Dio la chiarezza e nell'amore di Lui la vita. Possano tutti gli uomini accogliere il celeste invito, e, con la sincerità fiduciosa dei pastori, cui per primi fu rivelato il mistero del Natale, dirsi reciprocamente: « Andiamo fino a Betlemme, e vediamo questo avveni-

mento che il Signore ci ha fatto conoscere »[1]. La presente generazione come le altre che la precedettero e a cui non mancarono nè il tormento dell'ignorata verità, nè le angosce di terribili eventi, tornerebbe dalla culla del Redentore glorificando e lodando Dio, poichè anche di essa Cristo è l'unico Salvatore.

Sia pertanto questo, diletti figli e figlie, l'augurio natalizio che il Nostro cuore di Padre, amareggiato ma non depresso, intende di esprimervi quest'anno, in cui minacciose procelle sono tornate a sconvolgere gli orizzonti della pace. Agli uomini nuovamente atterriti, che scrutano nella notte un lembo di luce e di sereno, tale che acquieti il loro spirito angosciato dalle profonde contraddizioni del presente secolo. Noi additiamo la divina culla di Betlemme, donde riecheggia ancora il vaticinio della sicura speranza: « *Erunt prava in directa, et aspera in vias planas* », « le vie tortuose diventino diritte e le scabrose diventino piane »[2].

La contraddizione che grava sulla umanità di oggi

Senza dubbio il peso di una flagrante contraddizione grava sulla umanità del ventesimo secolo, quasi ferendola nell'orgoglio: da una parte, è la fiduciosa aspettazione dell'uomo moderno, artefice e testimone della « seconda rivoluzione tecnica », di poter creare un mondo di pienezza in beni e in opere, affrancato dalla povertà e dal-

1 Luc. 2, 15.
2 Luc. 3, 5.

l'incertezza; dall'altra, è l'amara realtà dei lunghi anni di lutti e di rovine col conseguente timore, in questi ultimi mesi aggravati, di non riuscire a fondare anche soltanto un modesto inizio di durevole armonia e pacificazione. Qualche cosa, dunque, non procede rettamente nell'intero sistema della vita moderna, un essenziale errore deve corrodere la sua radice. Ma dove esso si nasconde? come e da chi può essere corretto? In una parola, riuscirà l'uomo moderno a superare, anzitutto interiormente, l'angosciosa contraddizione, di cui è autore e vittima?

Attitudine di fronte ad essa dei cristiani ...

I cristiani sono convinti di poterla vincere, rimanendo saldi sul terreno della natura e della fede, mediante una coraggiosa quanto prudente revisione dei valori in questione, e primariamente di quelli interiori. Il loro realismo, che si estende sull'intero universo e non trascura le esperienze del passato, li persuade che essi non si trovano in condizioni più sfavorevoli dei loro antenati, i quali egualmente con la fede riuscirono a sormontare interiormente le contraddizioni del loro tempo. Essi sono convinti che la stessa odierna contraddizione costituisce la prova della profonda frattura tra la vita e la fede cristiana, e che questo male occorre innanzi tutto sanare.

... e dei senza religione

Ben diversa è invece l'opinione di non pochi altri, che, esasperati dalla contraddizione, ma re-

frattari a rinunziare al sogno della onnipotenza dell'uomo, vorrebbero sottoporre a revisione anche quei valori che non sono in loro potere, che sfuggono al dominio dell'umana libertà, quali la religione e i diritti naturali. In sostanza, essi stimano ed insegnano che la fondamentale contraddizione del nostro tempo può essere rimossa dall'uomo stesso senza Dio e senza religione. Essa — dicono — non potrà escludersi, finchè l'uomo moderno, creatore ed insieme creatura dell'epoca tecnica, non andrà fino in fondo sulla sua nuova strada. E — aggiungono — egli deve persistere nell'opera iniziata di estendere il suo potere sull'essere, senza imporsi limiti e senza riguardo alla religione e all'idea, che da questa deriva, dell'uomo e del mondo. Nel fermarsi in qualche modo a mezza strada, ossia nella ricerca di un qualsiasi compromesso tra religione e mentalità tecnica, essi indicano l'erronea base e la radice della odierna contraddizione. In altre parole, essi rinunziano all'invito del cielo di recarsi a Betlemme, dove l'uomo, soltanto là, può apprendere « ciò ch'è accaduto e che cosa il Signore ci ha fatto conoscere », ossia, la totale ed obiettiva nostra realtà.

Ma l'uomo della « seconda rivoluzione tecnica » non può respingere la chiamata di Dio senza inasprire la contraddizione e le sue conseguenze. L'invito alla verità e la promessa della « pace in terra » vale anche per lui. Chinato in adorazione davanti alla culla dell'Uomo-Dio, egli vedrà la totale verità, e quindi l'armonia del suo universo. Nel Figlio di Dio fatto uomo riconoscerà bensì la dignità della natura umana, ma altresì i suoi

limiti: egli riconoscerà che il senso profondo della vita umana e del mondo non riposa su calcolate formule e leggi, ma sul libero fatto del Creatore; egli si persuaderà che soltanto allora possederà veramente « luce » e « vita », quando si legherà alla verità come a qualche cose di assoluto, che sfavillò per la prima volta nella sua pienezza a Betlemme. Intorno a questo triplice riconoscimento intendiamo ora d'intrattenervi.

I - Dignità e limiti della natura umana

Conoscenza e accettazione della realtà umana

Il primo passo verso il superamento interiore della odierna contraddizione muove dalla conoscenza e accettazione della realtà umana in tutta la sua ampiezza. Sulla strada verso la conquista di questa verità, in cui con pena si cimentò l'antico pensiero, il credente si muove più speditamente, poichè la fede gli spiana il cammino, rimuovendo i pregiudizi e le remore, quali sono la sfiducia dello scettico o il breve respiro del razionalista, che impediscono ogni avanzamento verso la luce. Con la mente libera ed aperta ad ogni possibile grandezza, il cristiano non ha che da chinarsi alla culla di Betlemme per apprendere la verità sulla natura umana, raccolta, come in una visibile sintesi, nel neonato Figlio di Dio. L'origine, l'essenza, il destino e la storia dell'uomo sono legati a quell'Infante, al fatto stesso della sua nascita tra noi. I vagiti di Lui sono come il racconto della nostra storia, senza la cui cognizione la natura dell'uomo resterebbe un'impenetrabile enigma.

Forza e debolezza della natura umana

Infatti, dinanzi alla culla del Redentore, il credente conosce la primigenia bontà e la forza dell'uomo, donata per grazia, non dovuta, nella felicità del Paradiso; medita però anche sulla sua debolezza, che si palesò dapprima nel peccato dei progenitori, e fu poi la dolorosa eredità che lo accompagnò, col flusso incessante di altre colpe, in tutto il successivo cammino in una terra divenuta a lui quasi ostile.

La colpa originale

Soffermandosi a indagare intorno al suo potere, il cristiano sa che il dominio dell'uomo sopra le cose e le forze della natura, ancora per divina grazia, sarebbe stato esercitato per sè soltanto a beneficio e non a pericolo della umana società, la cui storia, di nuovo per grazia, si sarebbe iniziata senza oppressione di angustia e di miseria, ma nel libero sviluppo delle forze, tra condizioni favorevoli al più ampio ed alto progresso. Tuttavia l'adoratore del neonato Figlio di Dio sa anche che la colpa originale e le sue conseguenze privarono l'uomo non del dominio sulla terra, bensì della sicurezza nell'esercitarlo, e sa altresì che col decadimento seguìto alla prima colpa non andarono distrutte la capacità nè la destinazione dell'uomo di formare la storia, ma che il suo cammino si sarebbe trascinato con penoso avanzamento tra una mescolanza di fiducia e di miseria, di ascesa e di declino, di vita e di morte, di sicu-

rezza e di incertezza, fino all'ultima decisione alle porte dell'eternità.

L'opera della redenzione

Presso la culla del neonato Figlio di Dio il credente non soltanto scopre il suo passato e le condizioni presenti della sua natura, bensì apprende il suo nuovo destino, opera di un amore infinito, e in che modo egli può riguadagnare le perdute altezze. Egli sa infatti che in quella culla giace l'umano e divino Salvatore, il suo Redentore, venuto tra gli uomini per sanare le ferite mortali inflitte dal peccato alle loro anime, restituire la dignità della figliolanza divina e conferire le forze della grazia, affinchè superino, se non sempre esteriormente, almeno interiormente, il generale disordine provocato dal peccato d'origine ed aggravato dalle colpe personali.

La dignità della natura umana e i suoi limiti

Anche in quest'intimo superamento, cui è indispensabile la divina grazia, il cristiano lo compie mediante la conoscenza della vera natura umana redenta da Cristo, della sua dignità e dei suoi limiti.

Guardatelo all'opera e in che modo egli sa avvalersi di questa conoscenza a guisa di « verità che fa gli uomini liberi »[3], e come sostegno della vita, ancorchè circostanze difficili od anche mortali impediscano il loro esterno superamento. Un cristiano posto in simili condizioni, che sogliono

[3] Cfr. Io. 8, 32.

spesso indurre altri a ribellarsi contro la stessa vita, non chiederà, nè desidererà da Dio nulla che non sottoponga all'assoluta sapienza e bontà del volere divino. E, mentre trova ragionevole e giusto che Dio non sia obbligato a creare il migliore di tutti i mondi, trae conforto dal pensiero che lo stesso Dio, quale Padre amorevole, non si lascia prescrivere la misura della grazia e degli altri aiuti agli uomini, se non dall'infinita santità e giustizia della sua sempre benevola volontà, la cui mira è che tutti gli uomini possano in libertà conseguire il loro eterno fine.

Come, allora, dovrà comportarsi il credente dinanzi alla penosa contraddizione, che grava sul mondo moderno e di cui testè parlavamo? Benchè egli sia nel felice possesso di tutti gli elementi atti a dominarla nel proprio interno, non potrebbe nè dovrebbe esimersi dal contribuire a risollevarla anche esteriormente. Pertanto primo dovere del cristiano sarà di persuadere l'uomo moderno a non considerare la natura umana nè con sistematico pessimismo, nè con gratuito ottimismo, bensì a riconoscere le reali dimensioni del suo potere. Egli inoltre si adopererà di far comprendere ai contemporanei della « seconda rivoluzione tecnica » che essi non hanno bisogno di liberarsi dal peso della religione, per superare la contraddizione, ed anzi per non sentirla più affatto. Al contrario, proprio la religione cristiana pone la contraddizione sotto quella luce, che sa separare il vero dal falso ed offrire, a quanti ne soffrono la stretta, l'unico varco per uscirne senza scosse nè rovine.

Falsa concezione del peccato e sue conseguenze ...

Per adempire questo dovere con illuminata carità, è opportuno che il cristiano conosca più concretamente il modo di pensare dell'uomo detto moderno, tutt'altro che realistico, riguardo al peccato. Coloro, infatti, che non tollerano negli schemi del loro mondo il concetto della colpa originale e dei peccati personali con le loro conseguenze; non potendo, d'altra parte, trascurare l'esperienza che l'uomo è predisposto anche moralmente a cadere, ascrivono le perverse inclinazioni soltanto a morbosità, a debolezza funzionale, per sè sanabili. Ed assicurano che, non appena saranno conosciute pienamente le leggi, alle quali l'uomo è sottoposto nei suoi rapporti col mondo circostante e fin nelle profondità della sua anima, si giungerà al completo risanamento delle presenti deficienze. Occorrerà perciò — essi soggiungono — attendere il giorno, in cui dalla piena conoscenza del meccanismo interiore dell'uomo sorgerà l'arte terapeutica atta a guarire le sue morali disposizioni morbose. Come il moderno potere sulla nanatura esteriore, frutto della conoscenza approfondita delle leggi che la governano, rende possibile ogni costruzione tecnica, così non vi è ragione di dubitare che altrettanto successo sarà ottenuto nel regolare il complesso morale dell'uomo. Perchè mai — essi si domandano — soltanto l'uomo dovrebbe rimanere la sola costruzione invincibilmente falsa e irriducibile?

... nel concetto del delitto e della pena ...

Di tal modo di falsare la realtà, già fin da ora si raccolgono le deplorevoli conseguenze. La mollezza generalmente lamentata nell'educazione, la eccessiva indulgenza di fronte al delitto, il silenzio sulla colpa e l'avversione all'idea della pena anche giusta, sono le immediate conseguenze di una concezione dell'uomo, nella quale tutto è in sè buono, e tutte le mancanze — si afferma — derivano dal non saper adattare rettamente l'uomo nell'ingranaggio di funzioni, a cui egli col suo mondo circostante è soggetto.

... nelle questioni della vita sociale e statale

Propter illud periculum formis modernioribus inhaerens, et propter necessitatem ordinandi universam oblationum fidelium disciplinam, eamque, aequitate servata, apte componendi in omnes dioeceseos et universalis Ecclesiae necessitates, manifestum est intervenire posse et debere auctoritatem ecclesiasticam competentem normas praescribendo praeter ius commune. De quibus dicendum est.

Et quidem quoad opera missionalia attinet, quoniam Sancta Sedes Opus quoddam universale instituit, nempe Pium Opus a Propagatione Fidei « unum ac vere catholicum ... ad labores missionariorum *stipe collata* sustinendos, atque ad pecuniam a fidelibus oblatam Missionibus distribuendam », veluti « Pontificale *instrumentum stipibus fidelium* ad usum Missionum universarum *colli-*

gendis » (cfr. Motu Proprio Pii XI, 3 maii 1922, in AAS, 1922 pp. 324, 326) una cum Opere Pontificio a S. Petro Apostolo (cfr. Motu Proprio, 24 iun. 1929, in AAS, 1929, pp. 342, 345), duae Instructiones latae sunt de quibus ab initio memini, circa conciliandi modum actionum Pontificiorum Operum Missionalium et Institutorum religiosorum in stipibus corrogandis. Sed circa modos ipsos corrogandi stipes, seu de formis concretis eas colligendi, id est, per mendicationem seu quaestuationem, per epistolas et nuntios, per capsas etc., Instructiones praedictae supponunt disciplinam generalem et particularem iuris, quia haec disciplina ordinem publicum dioeceseom sive universim sive particulatim tangit. Itaque pertinet ad Ordinarios et ad S. Congregationes in respectiva competentia normas praebere opportunas.

Sic quaestio generalis proponitur: an usus formarum pro stipibus colligendis in scopum pium, quae extra communem conceptum « stipis cogendae », de qua in canonibus 621-624 et 1503, recensentur, sit subiectus Ordinario loci.

B) De formis stipum corrogandarum.

Pro stipibus corrogandis in forma mendicationis vel quaestuationis valent, ut evidens est, can. 621-624, et 1503. Id est, pro regularibus mendicantibus, ab ipso iure conceditur facultas quaestuandi « in dioecesi ubi eorum religiosa domus est constituta »; ut extra dioecesim stipem quaeritent, indigent ii regulares praeterea scripta licentia Or-

dinarii loci ubi eleemosynas colligere cupiunt (can. 621 § 1). Conditio autem mendicantium postulat, quod emendicato ex incertis eleemosynis vivere debeant, et talis conditio vitae religiosae esset abolenda, nisi coniuncta cum facultate quaestuandi. Ita Wernz-Vidal, *Ius Decretalium*, t. III, p. 439, Cfr. cit. S. C. de Religiosis, 21 nov. 1908 decr. *De colligendis eleemosynis*, II, n. 3°. Ceteri religiosi iuris pontificii, ut stipem quaerere valeant, peculiari Sanctae Sedis privilegio indigent, et praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci, nisi aliter in ipso privilegio cautum fuerit (can. 622).

Non videtur dubitari posse in his canonibus agi de vera et propria mendicatione seu personaliter facta per vias publicas et generaliter ostiatim. Clarum etenim est, privilegium iuris communis regularibus mendicantibus competens ad illam formam stipis quaerendae se referre. Decretum S. C. Ep. et Reg. *Singulari*, 27 mart. 1896, circa mulieres Institutorum votorum simplicium, id etiam supponit. Agitur enim de sororibus ad opus quaeritandi eleemosynas mittendis et de cautelis ab iisdem adhibendis (cfr. num. 8 ibidem) in quaestuationis *itinere*, circa tempus (vr. gr.: « ante solis ortum et post occasum eleemosynas per loca non quaeritent »), circa modum incedendi (vr. gr.: « non nisi binas, aetate et animo maturas » cfr. can. 623), circa modum petendi (vr. gr. « eleemosynas numquam arroganter vel tamquam debitas postulent ») etc. In decreto autem S. C. de Religiosis *De colligendis eleemosynis* (vide supra) pariter sermo est de stipe quaeritanda eadem forma.

Utrisque, sive mendicantibus sive non mendicantibus cautelae proponuntur quae talem formam respiciunt. Vr. gr. in parte I decreti, proxime citati, n. 12 dicitur: « Religiosi quaestuantes semper illa, qua decet, humilitate, modestia, *munditie* eniteant; saecularium, praesertim mulierum cuiuscumque sint conditionis, familiaritatem caveant: *loca* suae professioni minime congrua omnino devitent, etc. ».

Etiam in interpretatione canonis 1503, in quo prohibetur privatis, tam *clericis* quam laicis « stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel *fine* » sine debitis licentiis, auctores concordes sunt ibidem agi de stipe quaeritanda per modum rogationis personalis seu mendicationis, ut supra dicebamus.

At de aliis formis colligendi stipes, id est, per litteras vel per nuntia in foliis periodicis, per indictas suscriptiones pecuniarum in foliis publicis, per pueros et cooperatores in domos particulares missos, per sic dictas « lotterias » institutas, circumiens sortes venditando, per appositionem capsarum in negotiis publicis, per collectas in comitiis clausis vel in ipsis ecclesiis, de his Codex iuris canonici cum silere videatur, iuxta interpretationem doctorum, dicitur ea nomine stipis collaticiae iuxta sensum technicum canonis non venire. Ratio huius est, quod duo decreta pro religiosis data, de quibus supra, has formas non solum non comprehendunt, sed etiam decretum *Singulari* quasdam saltem earum positive excludit. Ait num. 4: « Nihil tamen impedit, quominus Superiorissae, *nulla petita licentia* ad sublevandam

domuum vel piorum operum, quibus praesunt, inopiam, possint eleemosynas undequaque sponte oblatas accepto habere, vel etiam per litteras impetrare ab honestis ac benevolis personis quibuscumque, *usquedum a legitimo Superiori rationabili ex causa non prohibeantur.*

Ex hoc ergo auctores normam sequentem deducunt: « Ordinario loci integrum est etiam hos modos mendicandi prohibere, (intellige: sine debitis licentiis), quamvis iure communi non sint interdicti ». Sic Beste U., *Introductio in C. I. C.*, p. 427. Id est, possunt esse rationabiles causae propter quas Ordinarii loci unam vel aliam ex formis praedictis pro sua dioecesi prohibeant, vel etiam omnes, sine debitis licentiis praesertim Ordinarii loci vel Ordinariorum locorum.

Nam evidens est non omnes illos modos eamdem disciplinam pati. Vr. gr. petitio eleemosynarum per litteras quae mitti possunt ad personas in dissitis regionibus habitantes, non potest habere eamdem disciplinam quam petitio per pueros aut cooperatores intra fines alicuius loci, aut per capsas intra limites territoriales alicuius dioecesis. Sic etiam nuntia in foliis periodicis quae ambitum diffusionis habent extra dioecesim, quandoque extra ipsam nationem. Bene quidem dictum est quod folium impressum ut publici iuris fiat, licentia requiratur ad normam iuris (can. 1385 § 1, n. 2°); et in quibusdam casibus, ut si de foliis agatur, quae ad causas beatificationum et canonizationum Servorum Dei quoquo modo pertinent, requiratur licentia Sacrorum Rituum Congregationis. Haec licentia diversum habet scopum ab ea qua in nostra quaestione agitatur.

Sic patet quam difficile sit in hac re normam quamdam dare communem pro omnibus formis modernis eleemosynas colligendi pro scopo pio.

Sufficiat mihi considerare ea quae praescripta fuerunt a Concilio Provinciali Mechliniensi quinto (a. 1937) in titulo XIII: *de collectione eleemosynarum*. In quo, postquam urgent episcopi canonem 1503, limitando etiam et conditionem statuendo ipsis licentiis ab Ordinariis datis, iisdem praescriptis ligant non tantum eos « qui iter faciunt ut pecuniam quaeritent, sed etiam qui stipem cogunt per epistolas sic dictas circulares et schedulas postales (c. chèques-postaux) ». Imo « easdem licentias obtinere debent qui pecuniam colligere intendunt per nuntium diariis seu ephemeridibus quibuscumque inserendum ». (decr. 161). Et adhuc: « Reprobantur inconsueti modi eleemosynas colligendi, illi praesertim qui spiritum negotiationis, ut aiunt, sapiunt. In modo quaerendi eleemosynas servetur gravitas quae finem pium operaque religiosa decet. In specie ne instituantur spectacula, aliave eiusmodi, ut *loteries, concours, Kermesses flamandes, foire de charité, tombola,* nisi obtentis omnibus licentiis requisitis et regulis honestatis christianae adamussim servatis » (decr. 162). Non mihi dubium est Patres Concilii voluisse religiosos quoque ligare, non solum et regulares, sed etiam mendicantes. Tamen difficile est concipere, quod mendicantibus liceat eleemosynas in dioecesi, ubi eorum religiosa domus est constituta, colligere per strictam mendicationem (quod est maius) et non liceat per epistolas circulares (quod est minus). Iuxta Regulam Iuris 35 in VI: « Plus semper in

se continet quod est minus »; et ex Regula Iuris 53 in VI: « Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus ».

Sed in genere dici potest in facultate Ordinariorum esse interdicere intra limites suae dioecesis quasvis formas adhibere colligendi eleemosynas pro scopis piis sine licentia, si bonum publicum id exigat, et quatenus rationabilis causa adsit. Quodsi fecerint, opportunum est, ut de iure religiosorum ea tantum detrahant quae necessaria sunt ut ordo debitus servetur in necessitatibus Ecclesiae satisfaciendis. Si umquam, heic valet illa Regula Iuris antiqui (Dig. 50, 17, 90): « In omnibus quidem, maxime in iure, aequitas spectanda est », « quoniam conditores legum aequitatis convenit esse fautores » (Cod. Iust. 5, 14, 8).

Exempli gratia ea quae Institutis missionalibus accidunt afferri praestat. Nam « per Instructionem diei 8 decembris 1929 Sacra Congreg. de Propaganda Fide presse determinavit iura et officia Instituti Missionalis, cui missio concredita est, erga ipsam missionem et statuit Instituto incumbere *onus* suppeditandi missionibus, sibi commissis, non solum missionarios sed etiam, saltem ex parte, *media*. Nunc vero media pro missionibus colliguntur inter fideles, unde implicite Instituta missionalia facultate corrogandi stipem gaudere debent. Sed requiritur semper licentia Ordinarii loci, scriptis data, atque etiam licentia proprii Superioris religiosi. Facultas id genus peculiari ratione tribuenda est Institutis, exclusive missionariis ». Ita Paventi X., Adnotationes ad Epist. circa habitudinem inter Pontificia Opera missionalia et

Instituta religiosa in missionibus adlaborantia, in *Monitor ecclesiasticus*, 1951, p. 256.

Quapropter S. C. de Prop. Fide in Instructione de apto modo pro missionibus stipem corrogandi, die 29 iun. 1952 (AAS, 1952, pp. 549-551), monet: « Instituta Missionalia in omni cooperationis missionalis genere in patria promovendo Ordinarii loci permissionem per Directionem Dioecesanam pro missionibus obtineant atque ea nomina et species vitent, quae errores circa finem Institutis missionalibus et Pontificalibus Operibus assignatum in mente fidelium gignere vel profectui eorumdem Pontificalium Operum graviter obstare queant ».

Quodsi hae relationes valent intra ambitum collectionum pro missionibus, etiam de collectionibus in genere piis in dioecesi agendis, suadent quamdam aequitatem esse servandam. Quae aequitas, in iure quo utimur, commissa est Ordinariis locis, salvis privilegiis Sedis Apostolicae et in particulari privilegio mendicantium regularium.

* * *

Per modum igitur conclusionum haec statuenda videntur:

1) Religiosis omnibus licet quaestuationem per litteras vel per nuntia in foliis periodicis facere. Ordinarius, autem, loci ex causa rationabili id absque eiusdem licentia fieri, prohibere potest, salvo privilegio regularium mendicantium; ab omnibus autem observantiam canonis 1385 exigere debet.

2) Nisi expressa habeatur interdictio Ordinarii loci, et salva obligatione obtinendi licentiam de qua in canone 1385, licet stipem pro piis operibus vel institutis vel missionibus in foliis periodicis petere, aut per pueros vel laicos cooperatores, vel sic dictas « lotterias » colligere. Cum, vero, Ordinarius loci sit ex iure communi custos boni publici ecclesiastici, ille potest praeviam suam licentiam obtinendam exigere, praesertim si iure particulari imponatur; cui obligationi etiam exempti tunc subduntur.

3) Collocatio capsarum in publicis negotiis per se non est genus quaestuationis in sensu canonico huius verbi. Verumtamen agitur de colligendis eleemosynis pro scopis piis cum responsabilitate plena, quae diversam mensuram induere valet. Quapropter Ordinarii loci est normas tradere ex quibus pateant mensura, responsabilitas eleemosynarum colligendarum, necnon modus annuntiandi opus pium. Quibus normis, ordini publico consulentibus, omnes, etiam exempti, subduntur.

R. Bidagor, S. I.

DE PRAESENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA

Sensus et valor perstans Allocutionis Liturgicae d. d. 22. Septembris 1956

1. Pius XII die 22. Septembris 1956 Romae amplam habuit Allocutionem ad Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Praelatos, Sacerdotes, Religiosos, qui interfuerant Assisiensi Congressui Internationali Liturgico-pastorali. In huius Allocutionis parte II, cap. 2, quod inscribitur « Praesentia Christi », Pontifex paulum diutius moratus est in delineanda quorundam Theologorum theoria, quae quoad aliquam partem Pontifici non probatur, utpote quae doctrinae traditae non sufficiat.

2. Scopus inquisitionis scientificae (non quidem dogmaticae, sed historicae atque litterariae-criticae) quae hisce fit, est: 1) referre et explicare, quidnam Allocutio hos theologos dicat docere; 2) quodnam iudicium ipsa Allocutio de hac doctrina enuntiet; 3) investigare utrum hoc, per ipsam Allocutionem enuntiatum iudicium valere perstet, an per subsequentem aliam voluntatem Pontificis fuerit modificatum.

3. Quod attinet ad dictos Allocutionis theologos duplex *quaestio facti* poni potest: 1) an verba Allocutionis asserant, esse revera huiusmodi theologos; 2) quinam hi sint in particulari.

Quod spectat quaestionem facti, primo sensu intellectam, dubitari non potest, Pontificem non lo-

qui de systemate aliquo in abstracto sumpto seu solummodo mente conficto atque excogitato; sed de systemate, a quibusdam theologis revera et serie proposito et defenso. — Quoad quaestionem facti, secundo sensu intellectam, verbis Allocutionis nullus omnino (nec directe nec indirecte) in individuo nominatur vel insinuatur: liber, articulus, Auctor, Professor, theologiae Docens, nulla determinata schola theologica vel determinatus theologorum coetus, qui theoriam, in Allocutione tamquam « non-sufficientem » designatam, tenuerit vel teneant. Si primo aspectu alicui forte videtur, hos vel illos auctores eam tenere vel tenuisse, si autem horum sententia, quoad rem et substantiam accurate inspecta, patefacit contrarium: contra veritatem et aequitatem offenderetur, asserendo, eos adnumerari posse Theologis, Pontifici non-probatis. — Quaestio facti, hoc secundo sensu intellecta, est extra materiam et scopum huius articuli; quaestio facti, primo sensu intellecta, est intra materiam articuli, quia exhibet circumstantiam, quae verbis Allocutionis circa dictam theoriam explicite et univoce enuntiatur.

4. *Textus capitis secundi* Allocutionis, in quantum versatur circa allegatam theologorum doctrinam, est hic:

« Dès que le spéculation théologique entreprend de discuter sur la manière dont le Christ est présent dans l'Eucharistie, apparaissent sur nombre de points de sérieuses divergences de vues. Nous ne voulons pas entrer dans ces controverses spéculatives; mais Nous désirerions indiquer certaines limites et insister sur un principe fondamental d'interprétation, dont l'oubli Nous cause quelques préoccupations.

La spéculation doit prendre comme règle que le sens littéral des textes de l'Ecriture, la foi et l'enseignement de l'Eglise ont le pas sur le système scientifique et les considérations théoriques; c'est la science qui doit se conformer à la révélation, et non l'inverse. Quand une conception philosophique déforme le sens naturel d'une vérité révélée, c'est qu'elle n'est pas exacte, ou qu'on ne l'utilise pas correctement. Ce principe trouve son application dans la doctrine de la présence réelle. Certains théologiens, tout en acceptant la doctrine du Concile sur la présence réelle et la transsubstantiation, interprètent les paroles du Christ et celles du Concile de telle sorte, qu'il ne subsiste de la présence du Christ qu'une sorte d'enveloppe vidée de son contenu naturel. A leur avis, le contenu essentiel actuel des espèces du pain et du vin est « le Seigneur au ciel », avec lequel les espèces ont une relation soi-disant réelle et essentielle de contenance et de présence. Cette interprétation spéculative soulève de sérieuses objections, lorsqu'on la présente comme pleinement suffisante, car le sens chrétien du peuple fidèle, l'enseignement catéchétique constant de l'Eglise, les termes du Concile, surtout les paroles du Seigneur exigent que l'Eucharistie contienne le Seigneur lui-même. Les espèces sacramentelles ne sont pas le Seigneur, même si elles ont avec la substance du Christ au ciel une soi-disant relation essentielle de contenance et de présence. Le Seigneur a dit: « Ceci est mon Corps! Ceci est mon Sang! ». Il n'a pas dit: « Ceci est une apparence sensible qui signifie la présence de mon Corps et de mon Sang ». Sans doute, il pouvait faire que les signes sensibles d'une relation réelle de présence soient des signes sensibles et efficaces de la grâce sacramentelle; mais il s'agit ici du contenu essentiel des « *species eucharisticae* », non de leur efficacité sacramentelle. On ne peut donc admettre que la théorie, dont Nous venons de parler, fasse pleinement droit aux paroles du Christ, que la présence du Christ dans l'Eucharistie ne signifie rien de plus et que cela suffise pour pouvoir dire en toute vérité de l'Eucharistie: « *Dominus est* ».

Sans doute la masse des fidèles n'est pas en état de comprendre les problèmes spéculatifs difficiles et les essais d'explication concernant la nature de la présence du Christ. Le Catéchisme Romain d'ailleurs invite à ne pas discuter de ces questions devant eux, mais il ne mentionne ni ne propose la théorie esquissée ci-dessus; encore moins affirme-t-il qu'elle épuis le sens des paroles du Christ et les explique pleinement. On peut continuer à chercher des explications et des interprétations scientifiques, mais elles ne doivent pas faire sortir, pour ainsi dire, le Christ de l'Eucharistie et ne laisser dans le tabernacle que des espèces eucharistiques conservant une relation soi-disant réelle et essentielle avec le Seigneur véritable qui est au ciel.

Il est étonnant que ceux, qui ne se contentent pas de la théorie exposée ci-dessus, soient rangés au nombre des adversaires parmi les « physicistes » non-scientifiques, ou que l'on n'hésite pas à déclarer à propos de la conception soi-disant scientifique de la présence du Christ: « Cette vérité n'est pas pour les masses ». (*Act. Ap. Sed.* 48 (1956) pg. 719-721).

5. Theologi, quorum scientifica theoria per haec verba Allocutionis enarratur, indubitate tenent:

1) doctrinam de transsubstantiatione iuxta Concilii Tridentini definitionem, (Sess. XIII, cap. 4 et can. 2; Dz. 877. 884);

2) doctrinam de Christi in Eucharistia praesentia, ab eodem Concilio definitam in eadem Sessione XIII, cap. 1 et can. 1 (Dz., 874. 883);

3)doctrinam, item a Concilio Tridentino delineatam, de duplici atque distincta Christi praesentia: altera coelesti, secundum quam « semper ad dexteram Patris assideat iuxta modum exsistendi naturalem »; alteram terrestrem, secundum

quam « multis in locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit » (1. c., cap. 1, Dz. 874);

4) doctrinam Concilii Tridentini, eadem in Sess. XIII enuntiatam, de SS.ma Eucharistia, tamquam vero Novae Legis Sacramento cum plena Sacramenti efficacia ex opere operato.

Ad unumquodque ex his quattuor punctis applicari possunt modo allegata Allocutionis verba: « Chez les catholiques, il n'y a, à cet sujet, aucun doute, aucune diversité des opinions. Mais, dès que la spéculation théologique entreprend de discuter sur la manière, dont le Christ est présent dans l'Eucharistie, apparaissent sur nombre de points de sérieuses divergences de vues » (AAS., 1956, pg. 719). Dictorum theologorum systema scientificum, quod verba Allocutionis referunt, exhibet « une spéculation théologique sur la manière, dont le Christ est présent dans l'Eucharistie ».

6. Huius speculationis theologicae *fundamentum* aliquod in eo est, quod censent: nullam substantiam corpoream fieri localiter praesentem per suum Esse substantiale, sed per correlatam quantitatem. Haec duo autem — (substantia-quantitas) — in ordine naturali ita inter se sunt iuncta, ut, ubi habetur substantia corporea, habeatur etiam correspondens quantitas (et per eam in loco praesentia); et viceversa, ut, ubi habetur quantitas, habeatur etiam correspondens substantia. Unde in commercio humano absona haberetur assertio: in publica quadam festivitate praesentem quidem fuisse realem determinati hominis « quantitatem » (externam eius figuram secundum altitudinis et amplitudinis dimensionem, formam, colorem, phy-

siognomiam aliaque quibus species externa hominis apparet), at non constare, utrum simul adfuerit huius hominis « Esse substantiale » (seu ipsum « hominem » cum sua substantia). Dubitarent omnes de sana mente eius, qui tale quid serio assereret.

7. At (supposita communi et praevalente doctrina catholica de speciebus Eucharisticis) dici debet: hunc naturalem nexum inter substantiam corpoream et correspondentem quantitatem (atque inde resultantem in loco praesentiam) non esse simpliciter et absolute inseparabilem, sed per omnipotentiam divinam non solum separari posse, sed in Eucharistia revera separari. Ideo, ratione habita revelationis de SS.mo Sacramento, non simpliciter et absolute asseri potest: semper et ubique, ubi habetur « quantitas » (et vi eius « in loco praesentia »), necessario haberi etiam correlatam substantiam; nec viceversa: ubi habetur alicuius corporis « Esse substantiale », eodem loco semper et necessario haberi etiam correspondentem quantitatem (et vi eius in loco praesentiam).

Sic apparet *fundamentum perdifficilis inquisitionis* speculativae, quae scl. relatio intercedat inter « *substantiam* praesentem » et « *praesentiam* substantiae »; insuper, in quo, speculative sumpta, ultimatim consistat « *essentia* praesentiae »; quae ergo numquam deesse potest, quin cesset ipso facto ipsa praesentia. Et si « essentia praesentiae » variis modis realisari potest, quaeri debet: quodnam elementum omnibus modis sit commune et ita indispensabiliter necessarium, ut ipso deficiente, deficiat ipsa praesentia.

Ante consecrationem habentur super altare « substantiae » panis et vini et utriusque substantiae correspondens « quantitas »; facta consecratione restant quidem eaedem quantitates (species eucharisticae, super altare positae), nullatenus restant panis et vini substantiae. Neque species eucharisticae post consecrationem physice uniuntur cum substantia Corporis et Sanguinis Christi, tamquam « accidentia », quae inhaereant corpori et sanguini tamquam earum subiecto inhaesionis; sed hae species secundum Catechismum Rom. (pars II, cap. IV, n. 43) « sine aliqua re subiecta constant ».

8. His generalibus considerationibus suppositis, si acceditur ad speculationem theologicam dictorum theologorum Allocutionis, verba Allocutionis referunt: ipsos ponere essentiam praesentiae Christi in qualificata relatione sacrarum specierum ad Christum Dominum. Haec relatio in eo est, quod species eucharisticae, positae in determinato loco, ubi sunt, dicant veram et realem ubicationis relationem ad Christum, et per hanc suam relationem dant Christo veram et realem sub speciebus praesentiam (magis accurate dictum: « praesentitatem »).

Secundum eosdem theologos ante consecrationem eadem « quantitas », qua nunc species eucharisticae constituuntur, dixit et habuit veram et realem relationem ad substantiam panis et vini; per hanc suam veram et realem ubicationis relationem tribuit pani et vino veram et realem praesentiam in loco « quantitatis » ubicatae.

Dicta horum theologorum speculatio theologica etiam ita describi potest: Ante consecrationem unicus dictae

relationis ubicationis *terminus ad quem*, quam quantitas panis et vini habuit, fuit panis et vini substantia; ad nullum alium terminum haec « quantitas » ordinabatur aut pertinebat; ideo huic soli et nulli alteri « termino ad quem » dedit in loco quantitatis praesentiam. Post consecrationem eadem « quantitas » (nunc: species eucharisticae), ubicata in loco ubi posita est, habet unicum « terminum ad quem » relationis ubicationis, relate ad quem — (vi transsubstantiationis panis et vini) — physice ordinatur et physice pertinet, verum corpus et verum sanguinem Christi; et per hanc suam relationem huic corpori et huic sanguini communicat veram et realem praesentiam (seu « praesentitatem »), ita ut dici possit et debeat: substantiam Christi sub hac quantitate — (idest sub his sacris speciebus) — esse vere et realiter praesentem; vel — (ut modus loquendi magis menti et doctrinae horum theologorum adaptetur) —: Christum sub speciebus eucharisticis « *esse habentem* » super altare veram et realem « praesentitatem ».

Non agitur de quaestione, utrum haec horum theologorum theologica speculatio rerum realitati correspondeat vel ab ea discrepet; sed unice quaeritur, quid verba Allocationis hos theologos dicant dicere. Est quaestio litteraria-critica, non dogmatica.

Consideratio praesentiae Christi, modo facta, initium sumpsit a speciebus eucharisticis earumque relatione « continentiae »; sed procedere etiam potest a substantia Corporis et Sanguinis Christi, quae sub his speciebus continentur et praesentes sunt. De hac altera consideratione statim agetur; antea tamen duae observationes inserendae sunt.

9. Prima observatio est haec: In expositione antecedenti adhibitus est terminus « praesentitatis » in oppositione ad terminum « praesentiae ». Hoc factum est, ut

menti et voluntati dictorum theologorum plenius satisfiat, et ut clarius appareat, quo sensu velint intellegi. Quae infra dicentur de « Anti-physicistis » — (terminus « Physicistarum », tamquam terminus quo ipsi illi theologi suos adversarios designent, in ipsa Allocutione nominatur) — ostendent, hanc distinctionem et terminologiam non solum esse convenientem, sed quodammodo necessariam. Hic terminus in Allocutione non occurrit, neque a respectivis Allocutionis theologis, neque secus hucusque a theologis est adhibitus, sed ab auctore est efformatus, ut respectivis Allocutionis theologis obsecundet eisque brevem terminum offerat, quo, quod ipsi velint significare, significetur, neque necessarium sit longas semper circumscriptiones adhibere. Sed haec terminologia non est fundamentum neque ipsius theoriae, de qua delineanda agitur, neque descriptionis huius theoriae per verba Allocutionis. Argumentatio fit ex *re,* quae termino significatur, non ex *termino,* quo significatio fit. Potest ergo quilibet secundum gustum et beneplacitum suum terminologiam admittere vel reicere; *res* — (idest: materia et obiectum huius theoriae) — manet eadem, et quidem talis, qualis a respectivis theologis iuxta verba Allocutionis intellegitur et explicatur.

In hac terminologia, si « praesentia » praedicatur de aliqua re, denotat et *rem,* quae est praesens, et huius rei *praesentiam* (seu « ubicationem in loco »). « Praesentitas » e contra denotat rei praesentiam, praecisive vel presse sumptam seu ubicationem in loco, prout distinguitur a re, in loco posita. In hac terminologia « praesentia » et « praesentitas » simili modo distinguuntur et opponuntur sicut « *res quanta* » et « *quantitas* rei ». Theologi Allocutionis suis verbis volunt inprimis exprimere suam speculationem theologicam de Christi praesentia, praecisive sumpta (quae exhibetur termino « praesentitatis », et prout distinguitur a *Christo* praesenti. Et hanc Christi « praesentitatem » — (secundum verba Allocutionis) — constitui dicunt et volunt per memoratam illam relationem ubicationis, quam species eucharisticae vere et realiter habent ad Corpus et Sanguinem Christi, in

quem unice et totaliter feruntur tamquam in « terminum ad quem ». — Haec observatio de « essentia praesentiae » restringitur ad praesentiam *substantiae corporeae;* non respicit conceptum et terminum praesentiae universaliter sumptae, qua continetur etiam praesentia Dei, Angelorum, animarum defunctorum; (qui conceptus, universalissime sumptus, est analogus, non univocus). Neque hae praesentiae attenduntur, si earum manifestatio in determinato loco fiat sub aliqua specie materiali et visibili, (cf. quae habentur in Gen. XVIII, in libro Tobiae de Archangelo Raphael, in Evangelio de apparitione Angelorum ad sepulchrum Christi die resurrectionis (Lc. XXIV. 4 sqq. Joh. XX, 14), de defuncto Samuele, exhibente se Regi Saul (1. Reg. XXVIII, 11-19), de Moyse, apparente in transfiguratione Domini (Lc. IX, 30 sqq.) etc. etc.).

10. Secunda observatio est haec. Secundum verba Allocutionis dicti theologi specierum eucharisticarum relationem « continentiae » et « praesentiae » referunt ad « le Seigneur au ciel » (« Dominum in coelo »), tamquam ad « terminum ad quem ». Exclusive attento sensu lexicographico et grammaticali, verba « le Seigneur au ciel » intellegi possunt de « Domino *qui* est in coelo » (le Seigneur *qui* est au ciel ») et de « Domino *quatenus* est in coelo » (« le Seigneur *en tant qu'il est* au ciel »). Attentis vero omnibus respectivis relationis verbis, attento contextu atque doctrina illorum theologorum, prout in Allocutione enarratur, phrasis « le Seigneur au ciel » intellegi debet de « Domino *qui* est in coelo », excluso sensu « Dominus *quatenus est in coelo* ». Numquam Allocutio facit dictos theologos relationem praesentiae referre ad Christum, *quatenus* est in coelo; at semel explicite et univoce haec praesentia refertur ad Christum, *qui* est in coelo, (« le Seigneur véritable *qui* est au ciel »); bis occurrit phrasis, quae grammaticaliter non est univoca : « le Seigneur au ciel » et « avec la substance du Christ au ciel ». In tali autem casu eligi debet sensus semel explicite et univoce significatus, reiecto opposito (« Seigneur *en tant qu'*il est au ciel ») qui nullibi refertur, neglecto sensu lexicographice incerto. — Hic sensus « Dominus *qui* est in coelo »

insuper ex contextu et ex doctrina istorum theologorum exigitur. Sensus « Dominus *quatenus* est in coelo » faceret hos theologos asserere quod est contra sanam mentem, aut in dubium vocare vel negare, quod salva fide catholica addubitari non potest, et quod hos theologos non admittere, verba Allocutionis non enuntiant. Contra sanam enim mentem esset: asserere Christum esse praesentem in altari per suam « praesentiam in coelo » — (nam haec « praesentia in coelo » est proprius sensus verborum: « le Seigneur en tant qu'il est au ciel »). — Praeterea theologi isti, tale quid asserentes, quoad rem negarent duplicem et distinctam Christi praesentiam: alteram in coelo, alteram super altare, quam tamen (uti supra n. 5, 3 iam monitum est) hi theologi omnino admittunt.

Utrum autem talis explicatio « praesentiae Christi super altare » « per praesentiam Christi in coelo » dogmatice omnino admitti possit; utrum ab aliquibus theologis talis explicatio revera statuatur; utrum talis sensus ab hoc vel illo per erroneam interpretationem verborum Allocutionis illis theologis imputetur; utrum aliqui ipsi hanc falsam sententiam teneant vel tenuerint, falso intellegentes aut interpretantes theologos, de quibus loquitur Allocutio: hae sunt quaestiones, quae versantur extra rhombum huius articuli; articuli tamen est explicite significare et urgere: *verba Allocutionis* istis theologis talem interpretationem nullo modo attribuere, immo excludere.

11. Istorum Allocutionis Theologorum theologica de Christi praesentia, praecisive sumpta, (idest de « praesentitate ») speculatio initium etiam sumere potest — (ut supra monitum est) — a dictae relationis ubicationis « termino ad quem », scl. a *Christo,* eius Corpore et Sanguine. Haec consideratio potest vocari « passiva » seu « continentiae passivae ». Plures textus Concilii Tridentini praeferunt formam passivam prae activa, dicendo:

Dominum nostrum vere, realiter et substantialiter *contineri* sub specie illarum rerum sensibilium, (Sess. XIII, cap. 1, can. 1 et 5). Secundum dictos Theologos Corpus et Sanguis Christi habent sub speciebus aliquod « contineri » necnon veram realemque in loco specierum « praesentitatem », non quidem ratione ipsius « Esse substantialis », sed ratione « *correlatae quantitatis* », in determinato loco positae. Et haec quantitas ubicata refertur (per supra expositam *relationem*) ad substantiam Corporis et Sanguinis Christi. Quantitas dicitur « correlata » respectu relationis ad *correspondentem* substantiam. Correspondens substantia vero aut est substantia *propria,* aut est substantia *aliena.* « Propria » illa dicitur substantia, quacum quantitas vi ordinis naturae iungitur in unum ESSE naturale; ita naturalis quantitas Christi in coelo correspondentem seu correlatam substantiam, (ad quam vere, realiter, substantialiter et exclusive refertur), habet substantiam Christi, et quidem tamquam substantiam *propriam.* — Quantitas sacrarum specierum ante consecrationem habuit correspondentem et correlatam substantiam panis et vini, tamquam substantiam *propriam*; post consecrationem species habent correspondentem et correlatam substantiam, (ad quam vere, realiter atque exclusive feruntur) substantiam Christi, sed non ut « propriam » — (hoc sensu, quod cum substantia Christi non uniantur in unum Esse naturale), — sed ut substantiam hoc sensu *alienam;* cui tamen substantiae alienae — (per specierum in loco positionem et per suam sub hoc respectu ad Corpus Christi realem et exclusivam relationem) — dant

veram et realem in loco specierum ubicationem seu « praesentiam » (« praesentitatem »). Nam secundum hos theologos « praesentia », praecisive intellecta (seu « praesentitas »), nil est nisi haec (vera et realis) per correlatam quantitatem, in determinato loco positam, ubicationis relatio. Haec praesentia seu praesentitas ab his theologis praedicatur et praedicanda dicitur, de ipso *Christo,* non de speciebus; nam secundum ipsos Christus « *est habens* » dicto modo in loco specierum per species sacras veram, realem, physicam praesentiam (praecisive intellectam).

12. Hisce pars positiva speculationis theologicae illorum theologorum, prout verbis Allocutionis delineatur, quoad substantiam absolvitur. Quod si quaeritur, quodnam iudicium Allocutio de hac parte positiva, separatim sumpta ferat, respondendum est: *nullum;* hanc partem neque approbat neque reprobat. Nihilominus ad eam (separatim sumptam) applicari potest Allocutionis generalis notificatio: Pontificem in speculationes theologicas nolle intrare; relinquere vero theologis libertatem continuandi scientificas inquisitiones et interpretationes.

Recurrit hoc loco monendum, quod supra n. 3 dictum est, scl.: non sunt carpendi vel suspecti habendi theologi, utpote verbis Pontificis contrarii, qui in theologica speculatione de praesentia Christi eandem hic descriptam vel aliam ei similem sententiam tenent. Hi utuntur iure suo et libertate sentiendi, quoad hoc omnibus concessa. Sed, ita ipse Pontifex monet, ipsi sicuti omnes alii in instituendis speculationibus scientificis debitos li-

mites ne excedant neve fundamentale omnis in rebus fidei et morum interpretationis principium neglegant, (cuius principii oblivione Pontifex se anxie occupari dicit). Hoc principium fundamentale in Allocutione in hoc contextu hisce fere verbis significatur: sensum litteralem textuum S. Scripturae, communem fidelium fidem, instructionem Ecclesiae praecedere systema scientificum et considerationes theoreticas; scientiae esse sese conformare revelationi, et non viceversa. Ideo conceptionem philosophicam, quae naturalem sensum alicuius veritatis revelatae deformet, aut non esse exactam aut non recte applicari.

Expositam hanc dictae illorum theologorum theologicae speculationis partem positivam de natura atque notione « praesentiae » praecisive sumptae (« praesentitatis ») offendere contra aliquam veritatem naturalem evidentem aut contra revelationem, prout S. Scriptura aut traditione divina exhibetur, non ex ipsis huius theoriae, (idest: eius partis positivae), elementis eruitur, neque per verba Allocutionis enuntiatur a Pontifice. Ideo de hac parte positiva negari debet: eam Pontifici *non probari*, utpote *non-sufficientem veritati catholicae;* e contra dicendum videtur: *partem positivam*, separatim sumptam, exhibere *sententiam libere inter theologos disputatam*, quam quis tenere possit.

13. Dicta tamen istorum theologorum theologica speculatio non absolvitur hac parte positiva; iunctam habet *partem negativam*. Haec pars negativa non ex natura rei, sed per voluntatem illorum theologorum cum parte positiva iungitur, et ab illis *per modum unius* proponi solet, constans parte po-

sitiva et parte negativa. — De se theologus posset separatim tenere atque docere partem positivam; a tractanda autem parte negativa omnino abstinere (« abstrahentium non est mendacium »), aut posset explicite et positive apud se statuere et etiam ad extra manifestare: se admittere quod Allocutio ultra partem positivam exigit, sed se, disserendo de parte positiva speculationis theologicae nolle intrare in exponendum elementum quod Allocutio exigat. — De facto illi Allocutionis theologi suam theoriam *per modum unius* proponunt; theoria autem, sic proposita, iam non potest qualificari, prout modo qualificata est, sel.: « *sententia libera, quam, qui vult tenere, libere et licite tenere potest* ». Et de facto in Allocutione, in qua dicta speculatio theologica tamquam aliquod « unum et totum », constans parte positiva et negativa, describitur, tali favorabili qualificatione non ornatur.

Pars negativa secundum verba Allocutionis in eo consistit, quod respectivi theologi contendant: doctrinam catholicam de Christi in SSmo Sacramento praesentia *exhauriri et absolvi* per illam ab iis depictam veram atque realem Corporis Christi sub sacris speciebus « praesentitatem », constitutam per illam veram ac realem relationem specierum ad Corpus Christi; nihil aliud in doctrina catholica haberi, nihilque amplius ab ea requiri. — De hac assertione negativa verbis Allocutionis hoc exhibetur iudicium: « Cette interprétation spéculative soulève de sérieuses objections, *lorsqu'on la présente comme pleinement suffisante* », insuper: « On ne peut donc admettre que la théorie, dont Nous venons de parler, *fasse pleinement droit aux*

paroles du Christ »; et iterum negatur de hac theoria « qu'*elle épuise le sens des paroles du Christ et les explique pleinement* ». In quo haec « insufficientia » dictae theoriae consistat, Allocutio sic denotat: « Le sens chrétien du peuple fidèle, l'enseignement catéchétique constant de l'Eglise, les termes du Concile, surtout les paroles du Seigneur exigent que l'Eucharistie contienne *le Seigneur lui-même* ». His dictis, Allocutio statim ita pergit: « *Les espèces sacramentelles ne sont pas le Seigneur,* même si elles ont avec la substance du Christ au ciel une soi-disant relation essentielle de contenence et de présence ». — Et quasi hoc nondum sufficeret, Allocutio addit: « Le Seigneur a dit: *' Ceci est mon Corps ' ' Ceci mon Sang '*. Il n'a pas dit: « Ceci est une apparence sensible qui signifie la présence de mon Corps et de mon Sang ». Allocutio exhibet ergo illos theologos, ut negantes: in Eucharistia ultra veram et realem Christi sub speciebus « praesentiam » (idest: « praesentitatem ») haberi *ipsum Christum*. Hanc esse (secundum verba Allocutionis) eorum mentem, extra omne dubium ponitur ultimo Allocutionis alinea, quod est de his theologis, et in quo dicitur:

> « Il est étonnant que ceux, qui ne se contentent pas de la théorie exposée ci'dessus (idest: de sola requisita praesentitate) soient rangés au nombre des adversaires parmi les « physicistes » non-scientifiques, ou que l'on n'hésite pas à déclarer à propos de la conception soi-disant scientifique de la présence du Christ: « Cette vérité n'est pas pour les masses », (AAS., 1956, pg. 720/21).

Ergo secundum hos theologos — (iuxta verba Allocutionis) — in Eucharistia habetur illa ab iis

analysata et descripta vera atque realis « praesentia » (seu « praesentitas ») Christi; non habetur, sed explicite excluditur ipsum Christi Corpus physicum. Qui Christi Corpus physicum exigunt, ab his theologis extra campum verae scientiae esse dicuntur, atque in inscientificae suae mentis testimonium et diffamationem designantur nomine « Physicistarum ». In Allocutione de iisdem theologis statim adicitur: eos urgere, veritatem et genuinam theologicam scientiam stare ex parte dictis « physicistis » contraria; hanc autem « veritatem » capere et ferre, « massam fidelium » non esse capacem, ideoque quoad hoc « massae » esse parcendum. Haec horum theologorum contra « physicistas » univoca et decisa positio ostendit, supra positam terminologiam et distinctionem inter « praesentiam » et « praesentitatem » esse convenientem et secundum quid necessariam, ut dictis theologis eorumque speculationi theologicae, pro posse, satisfiat; volunt enim et urgent Christi in Eucharistia « praesentitatem », nolunt et reiciunt eius in ea « praesentiam », quae includeret — (prout ab iis reiecti et reprobati « physicistae » statuunt) — Christi physicum Corpus.

14. Nihilominus nulli horum theologorum ullo modo in mentem venit, addubitare vel negare: in Eucharistia Corpus et Sanguinem Christi vere, realiter, substantialiter contineri; hanc eorum fidem et doctrinam supra n. 3. iam memoravimus. His autem Theologis persuasum est: se sua theologica speculatione atque interpretatione terminis Concilii plene satisfacere; nam Concilium nihil voluisse definire et nihil definivisse nisi *merum*

factum « praesentiae »; Concilium deliberato consilio abstinuisse ab omni quoad naturam et essentiam praesentiae theoria speculativa, quam voluit relinquere et reliquit theologis. Cuius mentis Concilii testem esse ipsum Catechismum Romanum. — Theologis autem Allocutionis, ipsa attestante, persuasum est, se *facto praesentiae* Corporis Christi sua theoria plene satisfacere. Quam eorum persuasionem et assertionem Pontifici non probari, sed ab eo non-sufficientem declarari, allegata Allocutionis verba univoce enuntiant. Ob eandem rationem eorum theoria, quae per modum unius proponitur et propagatur, « *ut totam* » eidem iudicio subici, patet; nullo tamen inde petito praeiudicio quoad primam eius partem, positivam, separatim sumptam.

Ex dictis etiam patet: sola verba: « Christum sub speciebus sacris — (vi earum Esse quantitatis, in determinato loco ubicatae) — habere ibidem veram et realem praesentiam, eodem modo, quo vi quantitatis naturalis, in coelo positae habeat praesentiam in coelo »: non patefacere utrum respectivus assecla dictae illius speculationis theologicae, qui hanc assertionem enuntiat, pertineat — (ut his terminis Allocutionis utamur) — ad « physicistas », an ad « Anti-Physicistas »; nam et uni et alteri eandem hanc phrasim cum plena sinceritate proferunt, aliter et aliter eam intellegentes.

15. Prae oculis haberi debet: ultra theoriam in Allocutione expositam esse plures alias de Christi in Eucharistia praesentia theorias speculativas, alias affines theoriae expositae, alias alterius omnino indolis. Et urgent alii: omnipoten-

tiae divinae patere insuper vias et modos praesentiae stabiliendae, quae omnem hucusque factum conatum intelligentiae humanae superent, et quibus constituantur « praesentiae », sublimes, verae et verissimae, ordinis tamen essentialiter altioris, de quarum ne possibilitate quidem homines forte hucusque cogitaverint. Nullus sane theologus facile praesumpserit, circumscribere omnipotentiam divinam eique finem et limitem designare. Sed omnes hae sublimis speculationis considerationes versantur extra rhombum et materiam huius articuli, cuius est: *non nisi unam illam theoriam proponere, de qua Allocutio verba facit;* ab aliis articulus abstrahit, tenens tamen: omnes illas sublimis ordinis « praesentias », si ultra « praesentiam » — (intellectam sensu « praesentitatis ») — non ponunt ipsum Christum, (sicuti « Physicistae » exigunt), non effugere qualificationem in Allocutione enuntiatiam, scl.: eas « *non sufficere doctrinae catholicae* », ideoque (et in quantum tales) « *non probari Pontifici* ».

Sed tertia vice moneatur et urgeatur, quod supra n. 3 et n. 12 dictum est: contra veritatem et aequitatem offendere, qui « theologis reprobatis » adnumerare ausus fuerit alios theologos, quoad scientiam theologicam primae notae et quoad mentem ecclesiasticam omni exceptione maiores, qui quoad partem positivam speculationis theologicae plus minusve appropinquent ad theoriam speculativam supra expositam similemve, sed explicitis verbis docent et declarant, se tenere et profiteri: in Eucharistia haberi ultra illam qualificatam Christi « praesentiam » ipsum Christum, eius Corpus et Sanguinem.

16. Quod attinet ad *normam agendi*, quae circa theoriam, verbis Allocutionis delineatam, servari debeat, plures normae in quaestionem veniunt; sed non nisi duarum mentio facienda videtur:

1) « In iis, de quibus theologi libere inter se disputant, unicuique libertas sentiendi quod ipsi magis placet, concedi et intacta relinqui debet ».

2) In iis, in quibus Pontifices, in exercitio Magisterii ordinarii, ipsi docendo mentem suam manifestaverint, (prout in casu praesenti), in Litt. Encycl. « Humani generis » haec norma statuitur, (inprimis de Litteris Encyclicis, dein vero de aliis quoque actibus doctrinalibus ipsius Pontificis):

« Neque putandum, ea quae in Encyclicis Litteris proponuntur, assensum per se non postulare, cum in iis Pontifices supremam sui Magisterii potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario haec docentur, de quo illud etiam valet: « Qui vos audit, me audit »; ac plerumque quae in Encyclicis Litteris proponuntur et inculcantur, iam aliunde ad doctrinam catholicam pertinent.

Quod si Summi Pontifices in actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorundem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse » (AAS. 42, (1950) pg. 568).

17. Ultimo loco tangi debet quaestio de *persistendo iudicio Pontificis*, in Allocutione quoad dictam « de praesentia Christi » theoriam enuntiato.

Die 19 Martii 1957 publicatum est Motu Proprio « Sacram communionem », quo Indulta

a Constitutione Apostolica « Christus Dominus » extenduntur. Hoc Actu Pontificio plures prioris disciplinae Jejunii Eucharistici per Const. Ap. « Christus Dominus » restrictiones, necnon rigorosior usus rationum atque motivorum, quibus pristina disciplina fuit fulta, missa facta sunt. Quo recentissimo facto omnibus iterum innotuit: 1) esse ipsius Summi Pontificis actus, etiam sollemnes et publicos, qui per subsequentem ipsius Pontificis actum modificari, derogari, etiam ex toto abrogari possint; 2) talium actuum tales modificationes, derogationes, abrogationes fieri et fieri debere per alterum actum ipsius Pontificis eumque publicum; cuius ratio est, quia actus Pontificis, qui (sive ex natura rei, sive ex positiva voluntate ipsius Pontificis) totam Ecclesiam respiciunt, promulgatione (sensu iuris intellecta) indigent. Si fit simplex « declaratio » (idest non abrogatio, derogatio in sensu iuris, vel simile quid) etiam haec « declaratio », ut eius ratio *in publico* haberi debeat, hac vel illa via « publicari » debet, ut ad omnium notitiam perveniri possit.

Quaeritur: 1) utrum Allocutionis partis II caput 2, quod inscribitur « de praesentia Christi », huiusmodi modificationis *capax* sit, et 2) utrum *de facto* talem modificationem per subsequentem voluntatem Pontificis subierit.

18. Quoad primam quaestionem: quidam actus Pontificis capaces sunt subsequentis quoad sensum modificationis, per ipsum Pontificem peragendae, alii actus sunt talis modificationis incapaces, alii ex parte capaces, ex parte incapaces.

Inter actus ipsius Pontificis in materia ieiu-

nii Eucharistici et actus Pontificis in quaestione « praesentiae » non est omnimoda paritas. Primi actus sunt in materia disciplinae mere ecclesiasticae, quae, ut talis, tota quanta pendet a libera voluntate Pontificis, in ordine tamen ad bonum commune Ecclesiae. Secundi actus sunt in materia doctrinali, in qua, quod modificationes subsequentes spectat, potestas Pontificis in aliquibus est absolute nulla (in « effatis infallibilibus »), in aliis est sat limitata, in aliis est maior; in « effatis fallibilibus » neque proprie dictus « error » est absolute exclusus, et « error » semper retractari potest. Axioma: *quod semel verum est, semper verum est,* (idest assertio, quae semel conformis fuit veritati obiectivae, semper remanet veritati conformis): habet plenum valorem; supponit tamen, quod « veritas obiectiva » fuerit obtenta. At si veritas nondum fuit obtenta, sed tantummodo « verisimilitas », non valet simile axioma: « quod semel est verisimile, semper est verisimile ». Verisimilitas augeri, imminui, totaliter auferri potest; ideoque etiam assertio alicuius verisimilitatis modificari potest in subsequentem assertionem auctae, diminutae, totaliter negatae verisimilitatis. In huiusmodi casibus etiam doctrinalis enuntiatio ipsius Pontificis per subsequentem Pontificis enuntiationem modificari, severior mitiorve, reddi potest. — Asserere, in enuntiatione Pontificis, prout verbis Allocutionis exhibetur, nullum omnino esse punctum — (subordinatum, obiter tantum et per transennam tactum) — quod alicuius subsequentis per ipsum Pontificem modificationis sit capax: esset nimium dicere.

At *possibilitas* modifiationis, etsi conceditur, non est *actualitas atque realitas* modificationis; neque haec ex illa ullo modo inferri vel deduci potest. Quoad hanc modificationis actualitatem et realitatem, ut de ea constet eaque habeat effectum, requiritur novus correspondens actus publicus authenticus ipsius Pontificis. Nam securitas iuris non fert, fieri modificationem (derogationem, abrogationem, immutationem; sive partialem sive totalem) alicuius actus publici authentici, nisi per aequivalentem alterum ipsius Pontificis actum authenticum publicum. Iam vero usque in praesentem diem nulla publicatio atque promulgatio contrarii actus Pontificii habetur. Ideo omnis omnino (etiam partialis) modificatio per subsequentem actum ipsius Pontificis negari potest et debet; standum est verbis ipsius Allocutionis, *in sensu obvio* intellectis, idest intellectis « secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam » (can. 18); subsidiaria provocatio ad « ad mentem legislatoris » in casu locum non habet; nam verba Allocutionis, considerata secundum propriam significationem in textu et contextu, non manent « dubia vel obscura » (can. 18).

Quibus omnibus attentis, concludendum est: iudicium ipius Pontificis, prout verbis ipsius Allocutionis d. d. 22 septembris 1956 in ipsa Allocutione enuntiatur de dicta theoria atque theologica speculatione circa Christi in Eucharistia praesentiam, in pleno vigore perstare.

F. Hürth, S. I.

DE EXEMPTIONE CONGREGATIONIS MARIANAE POST CODICEM

In articulo praevio [1], examinatis documentis Sanctae Sedis quibus fundamentum validum exemptionis Congregationum Marianarum est positum, de earum exemptione post Codicem continuata nunc manet agendum. Quicumque post annum 1948 studium de Congregationibus Marianis instituit, ille prae oculis Constitutionem Apostolicam *Bis Saeculari* [2] Summi Pontificis Pii XII retineat necesse est. In eadem enim praeclara constitutione principia iuridica dictarum Congregationum iamdiu stabilita de novo referens et relationem inter Congregationes et Actionem Catholicam auctoritative statuens, Pontifex epitomen totius iuris Congregationum Marianarum conficere curavit.

Structura iuridica Congregationum Marianarum neque est complexa neque canonistas problematibus molestis onerat. Attentis vero necessitatibus fidelium hodiernis apostolatuque multiformi quo dictae necessitudines sublevantur, Romanis Pontificibus visum fuit normas statuere quibus plures associationes fidelium, inter quas enumerandae sunt Congregationes Marianae, efficacius et fructuosius in communem finem apostolatus laicalis, seu Actionis Catholicae, conspirent. Modo

---

[1] Periodica, 45:392 ss.

[2] AAS 40:393.

particulari normas quae regulant apostolatum Congregationum Marianarum, S. P. Pius XII condidit.

His igitur praemissis, altera pars huius studii complectetur duplicem quaestionem generalem:

1) de exemptione Congregationum Marianarum post Codicem retenta;

2) de relatione inter Congregationes Marianas et Actionem Catholicam.

I

De exemptione Congregationum Marianarum post Codicem retenta

Congregationes Marianae, Sodalitati Primae Primariae Collegii Romani rite aggregatae sunt consociationes religiosae ab ipsa Ecclesia erectae ac constitutae [3], quae ordinantur ad fovendam in membris suis ardentissimam devotionem, reverentiam et amorem filialem erga Beatam Virginem Mariam, et ope huius devotionis et tam bonae Matris patrocinio ad reddendos fideles sub ipsius nomine congregatos bonos Christianos, qui sincere satagant se in suo quisque statu sanctificare [4], et

---

[3] *Bis Saeculari*, AAS 40:399; Bulla Gregorii XIII *Omnipotentis Dei* apud Mullan, *La Congregazione Mariana studiata nei documenti*, n. 513. Congregationes Marianae Primae Primariae Romanae aggregantur ut privilegiis et indulgentiis huic concessis frui valeant. Potestas aggregandi uni R. P. Generali Soc. Iesu competit. Elenchus Indulgentiarum et Privilegiorum relatorum videri potest ad finem libelli nominati *Regulae Communes Congregationum Marianarum*, Roma 1951, pp. 26 ss.

[4] AAS 40:394. Hic breve tractatur de vita spirituali sodalis mariani.

enixe curent, quantum eorum conditio socialis permittit, ut salvent et sanctificent alios et defendant Iesu Christi Ecclesiam contra impiorum hominum impetus [5].

Ante promulgationem Codicis Iuris Canonici Congregationes Marianae in locis propriis Societati Iesu vel eidem Societati commissis vi exemptionis ab Apostolica Sede concessae non tenebantur iure communi iuxta quod ordines religiosi in erigendis et aggregandis confraternitatibus sibi reservatis, item archiconfraternitatibus in aggregatione aliarum confraternitatum omnino stare debebant formulae a Clemente VIII praescriptae et decretis de consensu Episcopi et eius litteris testimonialibus, nisi speciali guaderent indulto apostolico. De formula Clementina eiusque praescriptis iam locuti sumus [6]. Quamvis longe maior pars Congregationum extra loca Societatis sit instituta quaeque privilegio exemptionis ab Ordinario loci non gaudeat, iuvat prae oculis tenere distinctionem inter utramque classem. De illa distinctione scite animadvertit Ramière:

« In antiqua Societate nonnisi in nostris domibus erigebantur sodalitates, et ita quidem ut hae essent pars et quasi membrum istius domus a qua esse independens non haberent. (Gregorius XV, *Alias pro parte*, et praesertim Benedictus XIV, *Laudabile*.) Restituta vero Socie-

---

[5] *Regulae Communes*, no. 1. Haec definitio ostendit auctorem erectionis Congregationum earumdem duplicem finem, scil., sanctificationem ipsorum sodalium medio praestantissimo devotionis Marianae obtinendam, et apostolatum proprium. Cf. etiam BUSUTTIL, Commntarium in Const. Apost. *Bis Saeculari*, Roma 1949, n. 191.

[6] Periodica 45:392 ss.

tate permisit Leo XII (7 mart. 1825) erectionem etiam externarum sodalitatum quas dirigeret quilibet sacerdos: utriusque classis ratio diversa sedulo prae oculis habenda est ne modernis externis sodalitatibus temere applicentur ea quae antiquis internis erant propria, uti est, in specie, omnimoda subiectio sodalitatis Societati et independentia ab Ordinario. Huic enim pertinent, in externis sodalitatibus, confectio, adaptatio, approbatioque statutorum, sacerdotis moderatoris institutio, ius visitationis, etc. In antiquis e contra de tali subiectione immunis erat sodalitas, ut quae esse et bona non haberet a Societatis bonis et esse distincta » [7].

Relatam distinctionem memorat Pius XII:

« Qui enim huiusmodi Sodalitatum intimum perspexerit regimen, facile idem cernerit, alias ab Episcopis et Parochis, alias, ex privilegio, a Nobismetipsis ac, delegatione a Nobis accepta, a Praeposito Generali Societatis Iesu regi ».

« Cui arctae catholicorum hominum veluti militari unitati minime illud officit, quod id genus sodalitates, ab ignatiana familia primitus excitatae, eiusdem quasi surculi adiectionesque videantur, praesertim cum earum pars, exigua illa tamen, a Societatis Iesu sacerdotibus ex Nostra, ut diximus, delegatione dirigatur » [8].

Retenta igitur hac distinctione, videndum est quomodo memorata exemptio integra maneat. In litteris apostolicis, *Paterna Caritas*, Pius XI ipsa verba sui praedecessoris Leonis XIII sumens, omnia privilegia omnesque gratias Societati Iesu iam concessas de novo confirmavit.

« Itaque, eiusdem Decessoris Nostri Leonis XIII verba mutuantes et Nostra facientes, eisque vim atque effi-

---

7 RAMIÈRE-BESSON, *Compendium Instituti Societatis Iesu*, Tolosae, 1896, p. 371.

8 AAS 40:397. Vid. AGUIRRE, Periodica 37:360.

caciam Nostra addentes auctoritate, ' omnes et singulas Litteras Apostolicas quae respiciunt erectionem, institutionem et confirmationem Societatis Iesu per Praedecessores Nostros Romanos Pontifices a fel. rec. Paulo III ad haec usque tempora datas, tam sub plumbo quam in forma brevis confectas, et in illis contenta atque inde secuta quaecumque, *necnon omnia* et *singula* vel directe vel per communicationem cum aliis Ordinibus regularibus eidem Societati impertita, quae tamen dictae Societati non adversentur, neque a Tridentina Synodo aut ab aliis Apostolicae Sedis constitutionibus in parte vel in toto abrogata sint et revocata, *privilegia, immunitates; exemptiones, indulta* hisce Litteris confirmamus et apostolicae auctoritatis robore munimus, iterumque concedimus ».

Quam Decessoris Nostri privilegiorum et iuris peculiaris Societatis Iesu confirmationem ex certa scientia et propensa erga eandem Societatem voluntate, iteramus atque apostolicae Nostrae auctoritatis robore, quatenus opus sit, denuo munimus, eamque etiam post novum Codicem Iuris Canonici plene vigere edicimus, iis tantum exceptis privilegiis, quae a Canonibus eiusdem Codicis expresse revocata fuerint, neque a Nobis dein quocumque modo restituta » [9].

Quia Pontifex in roborandis gratiis Societati Iesu antea concessis usus est verbis prorsus generalibus, vix relinquitur locus ambigendi condicionem Congregationum Marianarum internarum pristinae immunitatis in vigore manere Codice promulgato. In qua immunitate denuo confirmata includuntur quaedam ministeria Societatis Iesu exercenda inter quae moderatio Sodalitatum Marianarum *internarum* locum peculiarem tenet.

In exordio Constitutionis Apostolicae *Bis Saecularis,* Pius XII dictas gratias dictaque privile-

[9] AAS 25:245.

gia Sodalitatum Marianarum sollemniter approbavit rataque habuit.

« Bis saeculari die auspicato vertente, ex quo Marianas Congregationes a Gregorio XIII perpetuo erectas atque institutas Benedictus XIV Aurea Bulla Gloriosae Dominae novis beneficiis solidavit, apostolici Nostri muneris ducimus non modo earumdem Sodalitatum moderatoribus sociisque paterne gratulari, verum etiam privilegia gratiasque amplissimas, quibus, quattuor ferme saeculorum decursu, plures Decessores Nostri Nos ipsi, ob tot tantaque in Ecclesiam promerita, huiusmodi Sodalitia ditavimus, rata ac sollemniter confirmata declarare » [10].

Attenta hac sola declaratione apostolica, ulteriore probatione exemptionis Sodalitatum internarum opus non est. Iuvat vero principia Canonis 4 breviter inspicere ut ex hoc quoque fonte videatur quomodo dicta exemptio censenda sit integra.

Canon 4: « Iura aliis quaesita, itemque privilegia atque indulta quae ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur ».

Praeter nostrum scopum est commentarium in hunc canonem conficere. Applicare vero principia inibi statuta Congregationibus Marianis internis (etsi numero relative paucis) otiosum non arbitramur. Imprimis habenda est exemptio dictarum Congregationum supra discussa uti verum privilegium. Spectat enim ad ius privatum quo regitur status iuridicus Congregationum internarum

10 AAS 40:393.

independenter a iurisdictione locorum Ordinariorum. Illud ius in pluribus praescriptis pontificiis est conditum [11]. At relata immunitas non est exaggeranda, spectata magna conformitate inter ius commune de associationibus fidelium et ius Congregationum Marianarum etiam internarum [12] necnon plena dependentia universarum consociationum ab Hierarchia in operibus apostolicis agendis [13].

Quia Canon 4 de personis moralibus loquitur, pauca quae nostro studio inservient perpendere operae pretium videtur. In quantum spectat ad associationes fidelium, Canon 687 ad Canonem 100 nos remittit ut determinari possit utrum necne associationes huiusmodi personae morales in Ecclesia iure nominari valeant. Codex personarum moralium elenchum non tradit; quasdam memorat [14]. De personis moralibus in Ecclesia hoc principium statuit Canon 101 § 1:

« Catholica Ecclesia et Apostolica Sedes moralis personae rationem habent ex ipsa ordinatione divina; ceterae inferiores personae morales in Ecclesia eam sortiuntur sive ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione data per formale decretum ad finem religiosum vel caritativum ».

---

11 Periodica 45:392 ss.

12 Haec conformitas comperta est, comparatis regulis communibus et documentis pontificiis de Congregatione cum praescriptis iuris Codicis de fidelium associationibus.

13 AAS 40:394 ss.

14 Cf. Canones 100 § 1; 687; 391; 423 ss., 427 ss., 1597; 488 40; 673 § 1 etc. qui spectant ad personas morales collegiales. Vid. etiam GILLET, *La personnalité juridique en droit ecclesiastique*, Malines 1927, pp. 241 ss.

Cum tota quaestio versatur circa personam moralem collegialem, nobis utile erit proponere notionem eiusmodi sicut a P. Michiels fuse expressam:

« Persona moralis collegialis in Ecclesia (seu societas, collegium, corpus, corporatio etc., ut statim videbimus ubi de terminologia in iure consecrata) est ens iuridicum materialiter constans ex pluribus personis physicis ad determinatum finem communem religiosum vel caritativum communibus mediis permanenter prosequendum immediate vel mediate associatis in unum corpus seu collegium ad normam iuris legitime constitutum, in se unum et per se stans, ab auctoritate publica ecclesiastica agnitum est ut subiectum quorumdam iurium et officiorum in Ecclesia etc. » [15].

Primo et principaliter ut associatio iure habeatur ut persona moralis in Ecclesia requiritur erectio canonica, quae, sensu stricto, est actus superioris ecclesiastici quo associatio constituitur talis persona cum iuribus propriis, perpetuitate (Canon 102), iure patrimoniali (Canon 1495 § 2) iure standi in iudicio (Canon 1649) [16]. De mera approbatione associationis hic non agitur. Ex hac formali decreto erectionis nata est persona moralis nec videtur requiri aliqua formula consecrata in qua explicitis verbis declaratur ens collegiale in dictam personam erigi [17]. In Constitutione Apos-

15 *Principia generalia de personis in Ecclesia*, ed. altera, Tornaci, 1956, pp. 356-357.

16 Cf. VROMANT-BONGAERTS, *De Fidelium Associationibus*, ed. altera, Lovanii 1955, n. 7.

17 Ait MICHIELS, *o. c.*, p. 427: « Personalitas moralis ex ipso iuris praescripto demonstratur quoque, ni fallimur, *ex facto* quod legislator ecclesiasticus in aliqua lege explicite asserit ens colle-

tolica *Bis Saeculari* Pius XII vocat Congregationes Marianas a Gregorio XIII perpetuo erectas atque institutas [18]. Porro apertis verbis Pontifex de erectione auctoritativa Congregationum loquitur:

« ... apostolica Nostra auctoritate nonnulla capita enucleate indicamus sodalibus marianis ubique terrarum communia atque ab omnibus quorum interest, religiose servanda.

I. Congregationes Marianae, Sodalitati *Primae Primariae* Collegii Romani rite aggregatae, sunt consociationes religiosae ab ipsa Ecclesia erectae ac constitutae ...

II. Legitima Congregatio Mariana ea tantum est habenda quae ab Ordinario competente sit erecta, videlicet, in locis propriis Societatis Iesu aut eius curae commissae, a Praeposito Generali; in ceteris vero quibuslibet ab Episcopis loci, vel, de eius consensu formali, a praedicto Praeposito Generali [19].

---

giale aut non collegiale specifice determinatum *erigi, constitui, institui,* aut *erigendum,* constituendum, instituendum esse *a competente auctoritate publica ecclesiastica,* vel erectionem, constitutionem, institutionem eius determinatae auctoritati publicae esse reservatam. Quamvis sane terminus *erigere, constituere, instituere* relate ad ens collegiale aut non collegiale specifice determinatum in lege ecclesiastica adhibitus *ex se solo* non semper habeat sensum iuridicum specificum erigere vel constituere in personam moralem, sed non raro in lege adhibeatur sensu omnino generico simplicis erectionis eiusdem substrati materialis, merito admitti videtur quod legislator ecclesiasticus, quando in lege agit de erectione aut constitutione alicuius collegii aut instituti *ab auctoritate publica,* regulariter, idest, nisi aperte constet contrarium, agere intendit de erectione vel constitutione eius in personam moralem, atque proinde quod officium aut institutum istud ad mentem legislatoris gaudet personalitate morali ex ipso iuris praescripto ».

Cf. Idem, p. 410 et REGATILLO, *Institutiones Iuris Canonici,* I, ed. 2ª, Santander 1946, n. 772.

[18] MULLAN, *o. c.,* nn. 514, 531, 532.

[19] AAS 40:399.

Ad normam Canonis 687 secundum quem « ad normam Canonis 100, tunc tantum fidelium associationes iuridicam in Ecclesia personam acquirunt, cum a legitimo Superiore Ecclesiastico formale obtinuerunt erectionis decretum », tali personalitate Congregationes Marianae ornantur. Inter quaestiones incidentales de personalitate iuridica acquirenda oriri potest ea quae spectat ad structuram hierarchicam consociationis. Attento iure Codicis forma hierarchica seu ad modum organici corporis instituta diserte non exigitur. Ut efficacius finis associationis obtineatur fere semper organizationem quamdam, etsi minimam, necesse habeat. Hisce verbis quaestioni propositae responderet P. Matthaeus Conte a Coronata:

Duplex autem species personalitatis iuridicae collegialis agnoscitur a Codice, personalitas collegialis *simplex* et personalitas collegialis *ad modum organici corporis*. Differre autem videtur persona moralis collegialis simplex a persona morali collegiali ad modum corporis organici quod *haec* ius habeat ad normam statutorum et sacrorum canonum *celebrandi comitia, edendi peculiares normas* quae ipsum sodalitium respiciant, eligendi administratores bonorum, officiales et ministros; *illa* quibusdam ex his iuribus destituatur [20].

Cf. Canones 687 et 686 § 3; in Canone 687 dicitur per *decretum formale erectionis* acquiri in Ecclesia personalitas iuridica; in Canone 686 § 3 clare affirmatur decretum formale erectionis dari posse ad societatem quae non sit constituta ad modum corporis organici; datur ergo personalitas iuridica collegialis *organica et non organica* [21].

---

20 *Institutiones Iuris Canonici*, I, ed. 4ª a, Taurini, 1950, p. 885.

21 Idem, p. 885, nota 7. Vide etiam REGATILLO, *Interpretatio et Iurisprudentia Codicis Iuris Canonici*, ed. 3ª, Santander, 1953, n. 352.

Neque Codex, referens corpus organicum, notionem eiusmodi proponit [22]. Hinc recurrendum est ad ius anterius ubi breviter describitur [23]. Singula elementa in documentis pontificiis memorata essentialia non videntur. Iuxta decreta S. C. Ind. sequentia puncta in corpore organico apparent:

1. praeses, consiliarii vel alii officiales qui regimen associationis exercent;
2. probatio candidatorum;
3. publica receptio candidatorum;
4. impositio scapularis, habitus, vel alius insignis distinctivi [24]. Iamvero iuxta Regulas Communes Congregationum Marianarum, « quae omnibus Congregationibus enixe commendantur » a Summo Pontifice [25], haec praescribuntur:

1. ut, data erectione auctoritativa [26], Congregationes constituantur cum hierarchia interna [27], quae, etsi non de rigore [28], sit utilissima [29]:
2. ut nomina candidatorum inscribantur in libro Congregationis [30];
3. ut tempus probationis candidatorum admissionem praecedat [31];

---

22 Canones 686 § 3; 707 § 1; 693 § 3.

23 S. C. Ind., Dec. Auth., 453, III; 5129, VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici*, I, ed. 7ª, Mechliniae, 1949, n. 845, REGATILLO, *Institutiones I. C.*, n. 772.

24 REGATILLO, *Institutiones I. C.*, n. 791.

25 AAS 40:399.

26 Ibidem.

27 *Regulae Communes*, Tit. 7, 8.

28 VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, n. 845.

29 BERINGER, *De Congregationibus Marianis*, Graecii et Viennae, 1909, p. 33; S. C. Ind., Dec. Auth., 308, 2; 312, 2.

30 *Regulae Communes*, Ttit. 5, n. 27.

31 *Regulae Communes*, Tit. 5, n. 24.

4. ut insignia quaedam minora, ut numismata, candidatis imponantur [32].

Ex hucusque exploratis nulla apparet solida ratio cur singulae Congregationes vocari nequeant personae morales. Quaeret quispiam utrum associatio, etsi ab auctoritate ecclesiastica condita, destituta vero iure patrimoniali, persona moralis recte nominari possit. Dicta capacitate patrimoniali privantur Congregationes internae, disponente Sede Apostolica. Nam Benedictus XIV perpetuo statuit, decrevit et mandavit ut Congregationum internarum:

« ... confratres nullum ius, nullumque dominium, nullamque actionem supra aedes, vasa mobilia, ornamenta et supellectilia quaecumque tam sacra quam profana ad easdem Congregationes ... spectantia et pertinentia » haberent [33].

Haec dispositio apostolica integra manet etiam nova disciplina introducta. Data capacitate patrimoniali personis moralibus in genere, de exceptionibus disponit Codex. Sic de associationibus legitime erectis loquitur in Canone 691 § 1: « Associatio legitime erecta, *nisi aliud expresse cautum sit,* bona temporalia possidere et administrare potest sub auctoritate Ordinarii loci etc. « Idem ius patrimoniale conceditur institutis religiosis a Canone 531 « *nisi ... in regulis et constitutionibus excludatur aut coarctetur* ». Concludi exinde potest cum P. Michiels:

« ... *capacitatem patrimonialem non esse essentialem* seu absolute necessariam personae moralis in Ecclesia

32 *Regulae Communes,* Tit. 5, n. 27.

33 Periodica 45:423.

praerogativam nec proinde exclusivem pesonalitatis indicium; personalitas ex aliis quoque iuribus demonstratur, praeprimis vero ... ex capacitate personaliter agendi in iudicio » [34].

Attenta pacifica natura plurium sodalitatum in Ecclesia occasio utendi iure standi in iudicio vix umquam orietur, quod sane de Congregationibus Marianis certissime est affirmandum.

Ad normam relati Canonis 4, privilegia et indulta in usu manere debent nec revocata, nova disciplina promulgata. Legenti historiam Congregationum Marianarum internarum, clare apparebit earum privilegia in desuetudinem numquam esse lapsa. Praeterea pluries indultum exemptionis a Sancta Sede est de novo confirmatum [35]. E contra, cum Codex privilegia concessa revocare intendit, ita expresse disponit [36]. Neque exemptioni Congregationis obstat praescriptum Canonis 71, quia privilegium examinatum non est in Codice contentum. His inde argumentis collatis concludendum est illam exiguam partem aciei ordinatae marianae, quas Congregationes internas vocavimus, privilegium exemptionis vetustum retinere.

---

[34] MICHIELS, *o. c.*, p. 459; GILLET, *o. c.*, p. 273; CAPPELLO, *Summa Iuris Publ. Eccl.*, ed. 5ª, Roma, 1943, n. 42.

[35] Periodica 45:397 ss.

[36] Videantur Canones 343 § 2; 403; 460 § 2; 519; 522; 544 § 2; 654; 774 § 1; 876 § 1; 964, 10; 1157; 1356 § 1; 1576 § 1.

De Relatione inter Congrationes Marianas et Actionem Catholicam

Quaestio intime coniuncta cum iure Congregationum Marianarum illa est quae circa apostolatum dictarum Congregationum et Actionis Catholicae versatur. Utraque enim consociatio indole propria apostolica est. Haec relatio examinanda sequenti ordine tractabitur: 1) de notione Actionis Catholicae agetur; 2) dein nativa aptitudo Congregationum Marianarum ad apostolatum ostendetur; et 3) potestas Ordinarii loci exclusiva in apostolatum laicalem statuetur.

1. *Notio Actionis Catholicae*

Actio Catholica tamquam institutum iuridicum novum est in Ecclesia, in quantum regulas quibus operatur apostolatus laicalis, Pontifices recentiores condiderunt [37]. Exordium vero huius instituti laudabilis iam in Ecclesia primaeva apparuit cum Paulus Apostolus « in epistola ad Philippenses (c. IV, v. 3) adiutores suos commemorat, cupitque adiuvari illas, quae secum ipso laboraverunt in evangelio » [38]. Est renovatio igitur spiritus apostolici apud laicos manifestata, spiritus inde ab Ecclesia neo-nata vigentis et numquam extincti.

Prae oculis habito scopo huius partis, scil., habitudinem inter Actionem Catholicam et Congregationes Marianas proponere, pauca de natura

---

37 Acta pontificia Pii XI et Pii XII doctrina de Actione Catholica abundant.

38 Encyclica *Quae Nobis* ad Card. Bertram, AAS 20:384 ss., Periodica 16-17:236 ss.

Actionis Catholicae sunt dicenda. Ea quae « sunt cuiusvis Actioni Catholicae communia principia ac fundamenta » Pius XI lucide nobis tradidit [39].

a) Actio Catholica alio non spectat « nisi ut laici apostolatum hierarchicum quodammodo participent »; laboribus apostolicis laicorum « Episcoporum adest et suffragatur auctoritas ».

b) Finis ultimus Actionis Catholicae est « ut Christi Domini regnum proferat ».

c) Finis proximus est ut fautores Actionis Catholicae promoveant « christifidelium ex omnibus nationibus coniunctionem in iis quae ad mores religionemque pertinent » et ut « valeant ad fidei doctrinaeque christianae principia cum late disseminanda, tum valide tuenda, tum denique privatim publiceque promovenda ».

d) Virtutes congruae in sociis Actionis Catholicae lucere debent. Illi exhibeant « solidam pietatem, uberem sanae doctrinae cognitionem et plenam morum integritatem » ut apostolatum fructuose exerceant. « Nequaquam partium studiis » implicentur.

e) Fructus quidam sperati Actionis Catholicae sunt: reddere Catholicos « ad publica munia ... aptiores »; provehere reipublicae « prosperitatem in qua proximus finis continetur societatis civilis »; facere « id .... omne, quod ad societatem hominum tranquillandam tuendamque confert »; « ad evangelicam doctrinam ac legem illos » allicere ac trahaere, « qui nullo cum sacerdotibus commercio usque, facile in seditiosorum hominum fallacias pravasque artes concederent » [40].

His praenotatis, Actio Catholica brevius definiri potest: « christifidelium apostolatus, qui suam Ecclesiae operam conferunt eiusque pastorali muneri complendo quodammodo auxiliantur » [41].

---

[39] AAS: 20:387.

[40] AAS 20:385-387. De solutione quaestionum socialium ope Actionis Catholicae vid. AAS 29:189 ss., Periodica 26:324 ss.

[41] AAS 40:398; 20:296; 21:665.

Inde ab encyclica *Ubi Arcano* edita [42] maxima documentorum copia tum a Sancta Sede tum ab aliis fontibus prodivit ita ut fere nulla quaestio de Actione Catholica sit remissa [43].

2. Naturalis Aptitudo Congregationum Marianarum ad Actionem Catholicam.

Ad communem finem Actionis Catholicae conspirare valent quaelibet consociationes christifidelium quae quovis modo bonum spirituale vel sociale proximi promovere cupiunt. Nil mirum igitur si Mater Ecclesia eas vocat ad auxilium illis praestandum qui ope spirituali vel materiali graviter indigeant. Tales societates ut auxiliares Actionis Catholicae a S. P. Pio XI expresse agnoscuntur.

« Hac sane ratione ipsae quoque sodalitates atque instituta, quae ad excolendam pietatem, ad religionis doctrinam latius impertiendam, ad reliqua apostolatus socialis genera fovenda pertinent, auxiliares Actionis Catholicae vires efficientur, atque ambitu cuiusque integre servato, concordiam et consensum ordinatam colligationem mutuamque intelligentiam, quae saepe saepius commendavimus, auspicato firmabunt » [44].

Quod Congregationes Marianae accommodatae sunt ad Actionis Catholicae vexillum ferendum ex earum indole testatur Pius XII et apud capita apostolica auctoritate et religiose servanda [45], haec dicit:

---

42 AAS 14:692.

43 Bibliographiae copiosae referuntur apud VROMANT, o. c., pp. 154 ss., et in Nouvelle Revue Théologique, Tables Générales vol. LXVII-LXXVII, Tournai, 1956.

44 AAS 28:159 ss., Periodica 26:327.

45 AAS 40:399.

« Inter primarios Congregationum fines habendus est apostolatus omnimodus, socialis praesertim, pro Christi regno propagando Ecclesiaeque iuribus defendendis, ab ipsa ecclesiastica Hierarchia eisdem demandatus; ad quam veram plenamque cum apostolatu hierarchico cooperationem praestandam propriae Sodalitatum normae ad huiusmodi cooperationis modos pertinentes nullatenus sunt variandae aut innovandae » [46].

Spiritu oboedientiae imbuti, sodales mariani Actionis Catholicae fautores idonei efficiuntur ideoque, Episcopis ducibus, fructus uberiores operum sperari possunt. Meritoriam oboedientiam sodalium his verbis laudat Pontifex:

« Phalanges hae mariales, gloriosis maiorum vestigiis insistentes suisque legibus religiose obsequentes, primas sibi appetant, *ecclesiastica Hierarchia auspice et duce,* in laboribus ad maiorem Dei gloriam animarumque bonum suscipiendis constanterque perferendis, adeo ut in re catholica propugnanda, provehenda, vindicanda, tamque validissimae copiae viresque spirituales sint habendae » [47].

« Cum vis tota catholicorum in unam veluti aciem ordinatam coalescentium in sacrorum Pastorum potestati obtemperatione reponenda sit, quis non videat quam opportuna apostolatus instrumenta Sodalitates Marianae censeantur, ob earumdem absolutum fervidumque, non solum erga hanc Apostolicam Sedem obsequium quae totius est ecclesiastici ordinis caput et fundamentum, sed etiam, pro sua quaeque indole ac facultate, erga Ordinariorum mandata et consilia humili submissione docilique oboedientia? » [48].

« Quae quidem veluti congenita in marianis sodali-

---

[46] AAS 40:401.
[47] AAS 40:394.
[48] AAS 40:396.

bus ' reverentia modestaque in sacros Pastores observantia ' ex ipsis eorum legibus hauriatur necesse est » [49].

« Ex ea prima institutone Marianae Sodalitates sibi leges ' ad sentiendum cum Ecclesia ' tamquam tesseram proposuerunt, eorum nempe dictis parendi, quos ' Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei ' (Act. 20 : 28), nativam quamdam proclivitatem videntur exhausisse; qua fit ut iisdem validissimo subsidio in Christi regno dilatando et fuerint et sint futurae » [50].

Recensitis notis essentialibus Actionis Catholicae eisdem que cum structura iuridica Congregationum Marianarum collatis, concludit Summus Pontifex :

« Ex his nitide igitur evincitur Marianas Sodalitates, ut earum leges ab Ecclesia approbatae alte edicunt, consociationes esse apostolico spiritu imbutas quae cum asseclas suos ad ipsos sanctitatis vertices interdum evectos incitent ad perfectam ceterorum etiam christianae vitae formam salutemque sempiternam, sacris Pastoribus praesidibus, procurandam, atque ad Ecclesiae iura tutanda, illud etiam assequuntur ut Virginis Deiparae impigri praecones regnique Christi propagatores instructissimi comparentur » [51].

« Quae cum ita sint, Marianis Congregationibus, sive earum leges considerentur, sive natura, propositum, molimina atque acta, notarum nulla, quibus Actio Catholica insignitur, est deneganda, quandoquidem haec, ut totiens Decessor Noster f. r. Pius XI professus est, rite definiatur : ' Christifidelium apostolatus, qui suam Ecclesiae operam conferunt eiusque pastorali muneri complendo quodammodo auxiliantur ' » [52].

---

49 AAS 40:397; Reg. Comm. 33.

50 ibidem.

51 ibidem.

52 AAS 40:398. Quod aptitudo descripta reducitur in praxim apparet ex bonis operibus a sodalibus peractis quae ab ipso Pontifice nominantur. AAS 40:396.

3. Potestas Ordinarii loci exclusiva in apostolatum laicalem.

Quamvis ex probatis constet Congregationes Marianas internas exemptionem suam retinuisse post ius Codicis inductum, exceptio huic immunitati a iurisdictione Ordinarii loci clare statuitur in Constitutione *Bis Saeculari*. Omnes associationes in quantum participant de apostolatu laicali hierarchiam sequi tenentur, nec cuiquam sodalitati independenter ab Ordinario loci agere licet. Ex sequentibus dictis conclusio certa est eruenda.

« Qui enim huiusmodi Sodalitatum intimum perspexerit regimen, facile idem cernerit, alias ab Episcopis et Parochis, alias, ex privilegio, a Nobismetipsis ac, delegatione a Nobis accepta, a Praeposito Generali Societatis Iesu regi; *universas tamen* in *apostolicis laboribus* assumendis et prosequendis sui proprii *Episcopi* vel etiam interdum *Parochi* potestati subici. Quapropter, cum et ab Ecclesiastica Hierarchia inter apostolicae militiae copias excipiantur ab eaque in operibus adoriendis et perficiendis plane pendeant, iure meritoque, ut quondam notavimus, hierarchici apostolatus cooperatrices sunt dicendae » [53].

Inter capita iuris Mariani religiose servanda a Pontifice proposita, haec sunt sedulo notanda:

« *n. V. Omnes* Congregationes Marianae, modis accidentaliter diversis at substantialiter iisdem, non secus atque alii coetus apostolicus operibus dediti ab Ecclesiastica Hierarchia dependent » [54].

« n. VI. Ne in Dei regno propagando religionisque iuribus tutandis christianae militiae ordines dissipentur viresque enerventur, mariani sodales, maiorum vestigiis

---

[53] AAS 40:397.

[54] AAS 40:400.

ipsique hodiernae agendi rationi fideliter insistentes, in apostolicis operibus suscipiendis et prosequendis, meminerint: loci Ordinariorum potestatem ad normam sacrorum canonum, firmisque semper Sedis Apostolicae praescriptis et documentis, habere in *omnes prorsus* suae ditionis Sodalitates circa externi apostolatus exercitium; parochum in *omnes* ... Sodalitates opera apostolica in suo territorio exercentes illa potestate frui a sacris canonibus legitimisque statutis dioecesanis eidem concessa ad rectam externi apostolatus ordinationem » [55].

Modus dirigendi apostolos laicos prudenti iudicio Ordinariorum locorum relinquitur. Quapropter sive mandatis sive consiliis sive approbatione operum iam inceptorum sive quolibet alio modo ipse Episcopus christifideles in apostolatu operoso ducere potest.

Quamvis societates multiformes conspirent in apostolatum socialem operandum, intacta manere debet iuridica forma uniuscuiusque. Et hoc quoque lucidis verbis declaratur auctoritate apostolica. In allocutione habita ad Sodales Marianos Pius XI principium edidit sequentibus verbis:

« Quisque autem, pro modulo, viribus ac praeparationibus *hoc auxilium afferre et contribuere potest et debet*: *non opus est praeterea proprias bene agendi rationes et normas deserere*: *quin immo subsistere debent omnes hae formae ineundi bonum. Non igitur est dicendum eas in alias constitutionis formas convertendas esse* ... » [56].

Et Pius XII repetitis expressionibus alibi dictis compendiose easdem protulit:

---

55 ibidem.

56 Allocutio ad sodales Romanos, 30 mar. 1930, Acta Romana S. I., 6:447.

« ... ut saepius ab hac Apostolica Sede edictum st ' Actio Catholica non in orbe clauso versatur ' tamquam quibusdam rigide definitis circumscripta limitibus non violandis, neque ita, ' quod habet sibi propositum, peculiari via ac ratione assequi contendit ' ut ceteras actuosas catholicorum consociationes vel de medio tollat vel absorbeat, quas potius sui muneris ducat oportet ' coagmentare, amice componere, uniusque incrementa in aliarum commodum derivare, plena cum animorum concordia, unione, caritate '. Nam ut nuperrime monuimus, ' in hoc eximio apostolatus fervore, Nobis probatissimo, nonnullorum error est praecavendus, qui quaecumque in animorum bonum suscipiuntur, ad unam veluti formam redigere cupiunt '; cum haec agendi ratio penitus ab Ecclesiae mente discrepare dicenda sit, quae quidem nedum id genus ' ultro egerminantis florentisque vitae coarctationem ' probet, qua quaevis apostolica opera uni cuidam consociationi unive paroeciae concredantur; quin potius multiformi unitati favet in eiusmodi operibus gerendis, per fraternam utique conspirationem, Episcopis Moderatoribus, in unam metam viribus unitis dirigendis » [57].

Sequentia capita iterant dictum principium fuse expositum:

III. Congregationes Marianae, quippe quae hodiernis Ecclesiae necessitatibus plene congruere sunt dicendae, debent ex Summorum Pontificum voluntate suas *leges indolem, institutionem intactas servare* [58].

XI. « ad ... veram plenamque cum apostolatu hierarchico cooperationem praestandam *propriae Sodalitatum normae* ad huiusmodi cooperationis modos pertinentes *nullatenus sunt variandae aut innovandae* [59].

XII. Porro cum Sodalitates cuilibet alii consociationi debeant, *sub* sacrorum Pastorum ductu et potestate ope-

---

[57] AAS 40:398.
[58] AAS 40:400.
[59] AAS 40:402.

ram suam conferre atque industriam, necesse non est singulos sodales alii coetui etiam nomen dare » [60].

Iure igitur haec nota de integre servanda forma singulorum institutorum, quae merito apostolatum laicalem participant, includi potest in conceptu Actionis Catholicae iuxta mentem Ecclesiae quae « multiformi unitati favet in eiusmodi operibus gerendis, per fraternam utique conspirationem, Episcopis moderatoribus, in unam metam viribus unitis dirigendis ».

In memoriam revocat Pontifex ea quae ante plures annos, dum adhuc munere Secretarii Status fungebatur, ad sodales marianos in Menzingen (Helvetia) allocutus est:

« Quominus autem Congregationes Marianae pleno iure dici possunt " Actio Catholica B. M. Virgine auspice et afflante suscepta ", nullo impedimento sunt earum confirmatio notaeque peculiares; quae potius, ut fuerunt, ita " sunt eruntque illustrioris catholicae animorum institutionis tutela ac praesidia " » [61].

Et tandem ex ipsis regulis communibus Congregationum Marianarum, quasdam memorat Summus Pontifex quae formam Congregationis exprimunt easdemque affert ad corroborandas notiones ab Ipso iucunde explicatas. Ulterius notare licet plures regulas communes suum proprium fundamentum iuridicum habere in documentis a prioribus Pontificibus exaratis [62].

---

60 Ibidem; vid. etiam BUSUTTIL, *o. c.*, nn. 291-292.

61 AAS 40:398.

62 Cf. *Reg. Comm.* e. g., nn. 1, 12, 13, 14, 33, 42, 43.

RECAPITULATIO

In hac altera parte ad probandum Congregationum Marianarum exemptionem etiam post Codicem continuari transivimus. Nota distinctione retenta inter Congregationes ab Episcopis et eas a Praeposito Generali S. I. gubernatis, primo exemptio his antiquitus concessa perdurare asseritur, disciplina de associationibus fidelium inducta. Dictum privilegium post Codicem integrum manere ex litteris apostolicis *Paterna Caritas* Pii XI et *Bis Saeculari* Pii XII iure concluditur. Aliud argumentum ex principiis statutiis in Canone 4° confici potest.

Dein explicatur relatio inter Congregationes Marianas et Actionem Catholicam quia utrumque institutum apostolatui laicali deditum necessitatibus hodiernis pro posse subvenit. Inspecta notione Actionis Catholicae data a Sancta Sede vidimus quomodo indole sua Congregationes facile se ad opera apostolica accommodare possint. Ultimo indicata est exclusiva potestas Hierarchiae in omnem modum apostolatus laicalis a quavis consociatione fidelium exercendi, servata tamen consociationis indole propria. Quae omnia expressa sunt auctoritative in litteris Pontificum, maxime in Constitutione Apostolica *Bis Saeculari* Pii XII, qua Congregationum Marianarum patrimonium iuridicum largiter ditavit.

Iacobus Risk, S. I.

MONUMENTA

SS. D. N. Pius Pp. XII

5 - ALLOCUTIO

(*AAS.* XXXXIX [27 mart. 1957] p. 129)

SUMMUS PONTIFEX, CORAM PRAECLARIS MEDICIS, CHIRURGIS ATQUE STUDIOSIS, QUAESITIS RESPONDIT DE CATHOLICA DOCTRINA QUOAD ANAESTHESIAM, A SOCIETATE ITALICA DE ANAESTHESIOLOGIA PROPOSITIS [1].

Trois questions religieuses et morales concernant l'analgésie.

Le IX[e] Congrès National de la « Società Italiana di Anestesiologia », qui s'est tenu à Rome du 15 au 17 octobre 1956, Nous a posé, par l'intermédiaire du Président du Comité organisateur, le Professeur Piéro Mazzoni, trois questions, qui portent sur les implications religieuses et morales de l'analgésie au regard de la loi naturelle, et surtout de la doctrine chrétienne contenue dans l'Evangile et proposée par l'Eglise.

Ces questions, d'un intérêt incontestable, ne manquent pas de soulever chez les hommes d'aujourd'hui des réactions intellectuelles et affectives; chez les chrétiens en particulier se manifestent à

---

1 Habita die 24 Februarii mensis, a. 1957.

cet égard des tendances fort divergentes. Les uns approuvent sans réserve la pratique de l'analgésie; d'autre seraient enclins à la rejeter sans nuances, parce qu'elle contredirait l'idéal de l'héroïsme chrétien; d'autres encore, sans rien sacrifier de cet idéal, sont prêts à adopter une position de compromis. C'est pourquoi on Nous demande d'exprimer Notre pensée au sujet des points suivants :

1. Existe-t-il une obligation morale générale de refuser l'analgésie et d'accepter la douleur physique par esprit de foi?

2. La privation, de la conscience et de l'usage des facultés supérieures provoquée par les narcotiques est-elle compatible avec l'esprit de l'Evangile?

3. L'emploi de narcotiques est-il licite pour des mourants ou des malades en péril de mort, à supposer qu'il existe pour cela una indication clinique? Peut-on les utiliser même si l'atténuation de la douleur s'accompagne probablement d'un abrègement de la vie?

Nature, origine et développement de l'anesthésie

L'avènement de la chirurgie moderne fut marqué au milieu du siècle dernier par deux faits décisifs : l'introduction de l'antisepsie par Lister, après que Pasteur eut prouvé du rôle des germes dans le déclenchement des infections, et la découverte d'une méthode efficace d'anesthésie. Avant qu'Horace Wells eut songé à utiliser le protoxyde d'azote pour endormir les patients, les chirurgiens

étaient obligés de travailler rapidement, sommairement, sur un homme qui se débattait en proie à d'atroces souffrances. La pratique de l'anesthésie générale allait révolutionner cet état de choses et permettre des interventions longues, délicates, et parfois d'une audace étonnante; elle assurait en effet tant au praticien qu'au patient les conditions primordiales de calme, de tranquillité et le « silence musculaire » indipensable à la précision et à la sécurité de tout acte chirurgical. Mais elle imposait en même temps une surveillance attentive sur les activités physiologiques essentielles de l'organisme. L'anesthésique en effet envahit les cellules et réduit leur métabolisme, il supprime les réflexes de défense et ralentit la vie du sujet déjà compromise plus ou moins gravement par la maladie et par le traumatisme opératoire. Pleinement absorbé par son travail, le chirurgien devait en outre tenir compte à chaque instant des conditions générales de son patient: responsabilité lourde surtout en cas d'opérations particulièrement graves.

Aussi a-t-on vu depuis quelques années se développer une nouvelle spécialisation médicale, celle d'anesthésiste, appelée à jouer un rôle croissant dans l'organisation hospitalière moderne.

Rôle de l'anesthésiste

Rôle souvent effacé inconnu du grand public, moins brillant que celui du chirurgien, mais essentiel lui aussi. C'est entre ses mains, en effet, que le malade confie sa vie, pour qu'il lui fasse tra-

verser avec le plus grande sécurité possible le moment pénible de l'intervention chirurgicale. L'anasthésie doit d'abord préparer le patient, médicalement et psychologiquement. Il s'informe avec soin des particularités de chaque cas, afin de prévoir les difficultés éventuelles, que causerait la faiblesse de tel ou tel organe; il inspire confiance au malade, sollicite sa collaboration, lui donne une médication destinée à le calmer et à préparer l'organisme. C'est lui qui, suivant la nature et la durée de l'opération, choisit l'anesthésique le mieux adapté et le moyen de l'administrer. Mais surtout, au cours de l'intervention, il lui incombe de surveiller étroitement l'état du patient; il reste, pour ainsi dire, à l'affût des symptômes les plus légers, pour savoir exactement le degré atteint par l'anesthésie et suivre les réactions nerveuses, le rythme de la respiration et la pression sanguine, afin de prévenir toute complication possible, spasmes laryngés, convulsions, troubles cardiaques ou respiratoires.

Quand l'opération se termine, commence la partie la plus délicate de son travail: aider le patient à reprendre ses sens, éviter les incidents, tels que l'obstruction des voies respiratoires et les manifestations de shock, administrer des liquides physiologiques. L'anesthésie doit donc unir, à la connaissance parfaite des techniques de son art, de grandes qualités de sympathie, de compréhension, de dévoûment, non seulement en vue de favoriser toutes les dispositions psychologiques utiles au bon état du malade, mais aussi par un sentiment de vraie et profonde charité humaine et chrétienne.

Variété et progrès des anesthésiques

Pour accomplir sa tâche, il dispose aujourd'hui d'une gamme très riche de produits, dont les uns sont connus depuis logtemps et ont subi avec succès l'épreuve de l'expérience, tandis que d'autres, fruit de recherches récentes, apportent leur contribution particulière à la solution de ce problème ardu : supprimer la douleur sans provoquer de dommage à l'organisme. Le protoxyde l'azote, dont Horace Wells ne parvint pas à faire reconnaître les mérites, lors de l'expérience réalisée à l'Hôpital de Boston en 1845, conserve toujours une place honorable parmi les agents couramment en usage dans l'anesthésie générale. Avec l'éther, déjà utilisé par Crawford Long en 1842, Thomas Morton expérimentait en 1846, dans le même hôpital, mais avec plus de bonheur que son collègue Wells. Deux ans plus tard, le chirurgien écossais James Simpsom prouvait l'efficacité du chloroforme ; mais ce sera le londonien John Snow qui contribuera le plus à en propager l'emploi. Une fois passée la période initiale d'enthousiasme, les défauts de ces trois premiers anesthésiques se révélèrent clairement ; mais il fallut attendre la fin du siècle pour qu'apparaisse un nouveau produit, le chlorure d'éthyle, insuffisant d'ailleurs lorsqu'on désire une narcose prolongée. En 1924, Luckhardt et Carter découvraient l'éthylène, le premier gaz anesthésique qui soit le résultat d'une recherche systématique de laboratoire, et, cinq ans après entrait en usage le cyclopropane, dû aux travaux de Henderson, Lucas et Brown : son action rapide et profonde exige

de qui l'utilise une connaissance parfaite de la méthode à circuit fermé.

Si l'anesthésie par inhalation possède une suprématie bien établie, elle affronte depuis un quart de siècle la concurrence croissante de la narcose intraveineuse. Plusiers essais tentés auparavant avec l'hydrate de chloral, la morphine, l'éther, l'alcool éthylique, ne donnèrent que des résultats peu encourageants, et parfois même désastreux. Mais a partir de 1925, les composés barbituriques entrent dans l'expérimentation clinique et s'affirment nettement, après que l'évipan eut démontré les avantages incontestables de ce type d'anesthésiques. Avec eux, on évite les inconvénients de la méthode par voie respiratoire, l'impression désagréable de suffocation, les dangers de la période d'induction, la naussée au réveil et les lésions organiques.

Le pentothal sodique, introduit en 1934 par Lundy, assura le succès définitif et la diffusion la plus large de ce mode d'anesthésie. Désormais les barbituriques seront utilisés, soit seuls pour des interventions de brève durée, soit en « anesthésie combinée » avec l'éther et le cyclopropane, dont ils abrègent la période d'induction et permettent de réduire la dose et les inconvénients ; parfois on les utilise comme agent principal et l'on compense leurs défauts pharmacologiques par l'usage du protoxyde d'azote et de l'oxygène.

La chirurgie cardiaque

lium pars ». De sensu horum verborum consulantur probati auctores, (Canonistae et Moralistae). « Pars » semper mensuram sumit a « *toto* », cuius est pars; « totum » in casu de quo agitur esse potest integra urbs, integer pagus, integra paroecia, integra communitas religiosa, integrum aliquod hospitale vel nosocomium, (si hi « plures » accedere non possunt ad aliam Ecclesiam). Res relinquenda videtur prudenti iudicio Ordinarii loci. — His verbis inculcatur Monitum S. Officii d. d. 22 Martii 1955: « De Missis vespertinis non excessive concedendis (AAS., 1955 pg. 218), de cuius « Monitum » sensu et causa fuse actum est in hoc folio periodico, anno 1955, pg. 209-226. — Cavendum tamen est, ne quis propter verba, ex can. 806 § 2 desumpta, facultatem concedendi Missas postmeridianas limitare velit ad *festa de praecepto*; licentia nunc dari potest etiam pro quovis alio die, dummodo Missa postmeridiana postuletur a reddendo facili accessu ad sacram Communionem vel ad Missae assistentiam pro « notabili parte christifidelium ». Nam hac est ratio principalis, cur haec ampla facultas omnibus locorum Ordinariis fuerit concessa. — Quoad sacerdotes, qui *bis vel ter Missam* eodem die celebrant (sive Missas antemeridianas sive Missas postmeridianas), Motu Proprio tacet; valent ergo regulae in pristinis documentis stabilitae; idest in Constitutione et in correspondente Instructione, (Const. n. IV, AAS., 1953, pg. 22; et Instr. n. 7, pg. 48; Commentarium pristinum, Periodica: 1953, pg. 67-683). Aliqua tamen mitigatio pristini iuris introduci potest ex Motu Proprio eo in casu, in quo sacerdos in die

Nativitatis ex oblivione ad ablutionem adhibuit etiam vinum, neque « debet » dicere alias Missas. Non obstante potu vini, binationem vel trinationem perficere valebit, interponendo tamen post illam ablutionem tres horas; tunc enim novae legi ieiunii satisfacit, abstinendo scl. per tres horas a cibo solido et a potu alcoholico.

Notari insuper debet: sacerdos, qui plures (duas, tres) Missas dicit, si inter unam et alteram Missam inter positum fuerit spatium saltem trium horarum, ad ablutionem etiam vinum adhibere non solum potest, sed *debet*; prout in rubricis Missae praescribitur. Ita explicitis verbis monet et urget Em. Card. Ottaviani, Pro-Secretarius S. Officii, in suo libello « Il digiuno Eucaristico », pg. 8, n. 3); (In « Studi cattolici, rivista di teologia pratica ». Anno I, Giugno 1957) n. 1).

De *communione vespertina* in hoc n. 1. Motu proprio siletur. Secundum Const. Ap. et secundum Instructionem S. Officii (n. 15) communio vespertina permittebatur exclusive *in* Missa vespertina, immediate *ante* vel *post* eam; communio vespertina, independens a Missa vespertina, erat prohibita. — Ex quadam Notificatioen auctoritativa, die 13 Aprilis 1957, iussu et nomine S. Officii quibusdam Theologis in Urbe Roma data, constat: secundum mentem S. Officii distributionem Communionis postmeridianae independenter a Missa postmeridiana prohiberi n. 15. Instructionis S. Officii d. d. 6 Decembris 1953. — Idem effertur in modo allegato libello, ab Emo. Cardinali Alf. Ottaviani, Pro-Secretario S. Officii recenter edito, « Il digiuno eucaristico » pg. 7, ad n. 1.

6. De *ieiunio eucharistico,* idest de *cibo et potu, a quo abstinendum* est, seu de *materia ieiunii eucharistici* (Motu Proprio n. 2. — Const. Apost. n. II, III, V, VI. — Instr. nn.: 1, 4, 9, 13, 15. — Pristinus Commentarius, Periodica, 1953, pg. 59, 77, 81).

a) De *cibo solido*, a quo per tempus ieiunii euch. sit abstinentum, in Motu Proprio nulla datur definitio neque descriptio, (sicuti neque data fuit in Constitutione neque in Instructione). Recurrendum est ergo ad commune et sanum iudicium commercii humani. « Cibus solidus » censendus est, quod homines dicunt « *edi* », « potus », quod dicunt « bibi ». Cibus et potus in aestimatione et distinctione hominum solent considerari secundum « *statum aggregationis* », in quo res *in os mittuntur,* non secundum « statum aggregationis » in quo res tandem *diglutiuntur*. Ita: saccharum, chocolatum, pastillae, caramellae, etc. etc., si per diuturnum tempus in ore retinentur, emolliuntur, dissolvuntur et una cum saliva tamquam fluidum quid diglutiuntur, nihilominus omnes hae res secundum commune commercii humani iudicium non dicuntur « bibi », sed « *edi* ». — Neque puls et pulticula ab hominibus habetur « potus », sed cibus. Sunt ergo praeter cibos firmos et duros etiam cibi molles et lenes. Hi sunt *cibi,* non *potus*.

« Cibus solidus » per tres horas ante celebrationem vel Communionem *interdicitur*.

7. b) Neque de *potu* in Motu Proprio (sicut non in Constitutione et Instructione) ulla datur definitio vel descriptio; ergo quoad « potum » quoque ad commune hominum iudicium recurri debet.

Homines dicunt « potum » id, quod communiter dicitur « *bibi* ». Et hoc quoque dici solet *secundum statum aggregationis,* in quo in os mittitur, (prout modum expositum est quoad « cibum »). — Hic potus potest esse potus *purus* aut potus *nutritivus,* id est potus, in quem immissae sunt materiae nutritivae, (dummodo hae in materia fluida, in quam immissae sunt, ita dissolvantur, ut totum secundum rationabile iudicium dici debeat « fluidum », non ut, totum sit materia fluida, (seu « potus ») continens tamen particulas parvas cibi solidi non dissoluti). — Ita in potum immitti possunt: saccharum, chocolatum, lac, ova (in statu, prout a natura praesentantur), condimenta fluida, prout hodie in variis formis passim offeruntur ad condenda nutrimenta, tam solida quam fluida.

8. Potus distinguuntur alcoholici et non-alcoholici. *Potus alcoholici* ii censeri debent, quae passim ab hominibus tales nominari solent, (vinum, cerevisia, whisky, rhum, varii « liquores », quae maiore vel minore quantitate « alcoholi » constituuntur). Habetur « potus alcoholicus », sive tales potus pure et separatim sumuntur, sive immissi in alium potum, in se non alcoholicum, e. gr. « cognac » missum in lac, « liquor » missus in coffeam vel in team. — Secundum praxim hucusque servatam, etsi quantitas alcoholi, immissa in alium potum, fuit omnino parva, potus tamen habendus erat « alcoholicus »; (non ergo admissum est axioma « parum pro nihilo computatur »). Ratio huius severitatis est: periculum abusus (cf. 1. Cor. XI, 21 sq.), praeterea postulatum summae reverentiae, « quam supremae Jesu Christi maiestati debemus,

cum eum Eucharisticis delitescentem velis sumpturi sumus » (Constitutio, AAS, 1953, pg. 16; cf. pristinum Commentarium, pg. 28, 47). — In priore disciplina distinguebatur potus alcoholicus communiter dictus (« potiones inter mensam suetas, v. gr. vinum, cerivisiam, etc. »), a potu alcoholico qualificato, seu « liquore » (liqueur, liguore), qui semper, etiam inter mensam, fuit prohibitus ante Communionem; (cf. Instructionem n. 13; pristinum Commentarium pg. 78). — Haec distinctio, post disciplinam Motu Proprio, non iam attenditur; « liquores » abhinc tractantur sicut alii potus alcoholici.

Secundum Motu Proprio « potus alcoholicus » *prohibetur* per tres horas ante Celebrationem vel Communionem; aequiparatur quoad hoc « cibo solido ».

9. De natura « *potus non-alcoholici* » nil addendum est, sufficiunt quae n. 7 in genere de « potu » exposita sunt. — *Prohibetur* per unam horam ante celebrationem vel Communionem.

10. Motu Proprio numerus 2. his verbis finitur: « Aquae sumptione ieiunium non frangitur ». In Constitutione iam statutum fuit (in n. I): « Principium tamen generale et commune omnibus in posterum est, sive sacerdotibus sive christifidelibus: aquam videlicet naturalem Eucharisticum ieiunium non frangere », (AAS, 1953, pg. 22); Instructio, aliena 1, idem effert (AAS., l. c., pg. 47); (Commentarium pristinum, pg. 24 n. 8). — Accurate consideranti textum, statim apparet differentia inter Motu Proprio et duo documenta officialia antecedentia: in prioribus adhibetur ter-

minus « aquae *naturalis* », in recenti terminus « aquae » sine ulteriore addito. In INSTRUCTIONE terminus « aquae *naturalis* » ita specificatur: « idest ' aqua ', sine ulla cuiuslibet elementi adiectione » (l. c.). — Nunc terminus « *aquae* » sumi potest et debet, prout intellegitur in communi usu commercii humani. Utrum « aqua » admixtum habeat aliquid alterius elementi, non iam attenditur; sufficit quod respectivus potus ab hominibus habeatur et dicatur « aqua ». Ideo primo loco omnes species « aquae naturalis » continentur, quas scl. immediate ipsa natura offert, dein aliae species aquae, quibus aliquid alienae materiae est additum, (materiae sive solidae, sive fluidae sive aëreae: gasium, e. gr. acidum carbonicum), dummodo totum ab hominibus dicatur « aqua ». (De hac re fusius actum est in pristino COMMENTARIO, pg. 24-25, n. 8).

11. De *tempore* ieiunii servandi. MOTU PROPRIO n. 2 sic incipit: « *Tempus* ieiunii eucharistici servandi a sacerdotibus ante Missam et a christifidelibus ante sacram Communionem, *horis sive antemeridianis sive postmeridianis,* limitatur ... ». Ergo sublata est diversitas temporis, significata in CONSTITUTIONE et in INSTRUCTIONE, in quibus habetur norma alia pro horis matutinis, alia pro horis vespertinis; abhinc eadem regula valet pro tempore antemeridiano et pro tempore postmeridiano.

Diversitas temporis, quae nunc attendi debet est diversitas in temporis *duratione* quoad abstinentiam servandam; et haec diversitas mensuram sumit a *diversitate materiae,* quae sumi prohibe-

tur: *cibus solidus et potus alcoholicus per tres horas; potus non-alcoholicus per unam horam,* computandae a « termino ad quem », scl. a Celebratione vel Communione. — In *supputandis tribus horis* vel *hora una* applicanda est norma canonis 33 § 1: « In supputandis horis diei standum est communi loci usui; sed in privata Missae celebratione, in privata horarum canonicarum recitatione, in sacra communione recipienda et in ieiunii vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium ». — Haec canonis 33 norma abhinc quoad ieiunium eucharisticum non iam est magni momenti, quia tempus huius jejunii abhinc non iam computatur a « media nocte ». — Accedit tamquam norma supputationis Responsum Com. Pont. ad Interpret. CIC d. d. 29 Maii 1947.

Dub. I. An, electo uno temporis supputandi modo, hic, vi canonis 33 § 1, in actionibus formaliter diversis mutari possit.

I. An tres Missae celebratae nocte Nativitatis Domini sint actiones formaliter diversae. *Resp.*: Ad I. Affirmative. — Ad. II. Negative. (AAS., 39 (1947) pg. 373, A. I). —

In quibusdam regionibus horarium maxime favorabile est horarium commercii aërei.

Ultima quaestio est: num ratione supputationis horarum admitti possit « *parvitas materiae* », an supputatio sit mathematica, a momento ad momentum. Sententia hucusque communior, ne dicatur « simpliciter communis », tenuit non admitti parvitatem materiae. — Hinc, quando secundum

tempus maxime favorabile — (quod quis iuxta normam can. 33 § 1 eligere potest et elegit) — tempus currere coeperit, supputatio horarum secundum acribiam mathematicam fieri debet.

12. De *condicionibus,* a quibus usus Indultorum Motu Propio dependeat.

In *antecedenti disciplina* Constitutionis *et* Instructionis « Actualis usus » Indultorum, quae his documentis concedebantur, factus fuit dependens a *certis condicionibus,* et ad has condiciones restringebatur. Initio dictae Constitutionis Pontifex antiquam serveritatem inculcavit, et manifestavit mentem: « velle se per Apostolicas has Litteras summam huius legis consuetudinisque vim confirmare ad Eucharisticum quod atitinet ieiunium, ..., ita quidem, ut ii solummodo, qui in necessitate versentur, his concessionibus frui possint secundum eiusdem necessitatis rationes »; et paulo post: « Ieiunii eucharistici lex, a media nocte pro iis omnibus vigere pergit, qui in *peculiaribus condicionibus* non versentur, quas per Apostolicas has Litteras exposituri sumus ». Posito hoc generali principio, Constitutio transiit ad denotandas in particulari condiciones, in quibus *solis* ad actualem usum Indultorum procedi possit; assignantur tres casus: *labor debilitans, hora tardior, iter longum,* si et in quantum in iis observatio ieiunii nimium aggravari queat, et sic fiat Obstaculum communionis recipiendae; (Constitutio, AAS., 1953, pg. 22, 17-18). Instructio eosdem casus enumerat, sed magis in particulari pertractat (Instructio: nn. 5 ,10). In n. 5, inculcat: « Tres casus supra numerati tales sunt, ut omnia comprehendat rerum

adiuncta, in quibus legislator praefatam facultatem concedere intendit ideoque quaelibet vitetur interpretatio quae facultates concessas amplificet » (AAS., 1953, pg. 48-49). — Hi tres casus in se significant *incommoda obiectiva,* quae tamen, actualem ut usum Indultorum licitum facerent, debuerunt etiam evadere *incommoda subiectiva,* idest talia, quibus huic homini observatio ieiunii reddebatur gravis et difficilis. — Tandem, ut in hac re tanti momenti haberetur vigilantia, et obtineretur securitas, praescriptum fuit petendum consilium confessarii, (cf. Commentarium Pristinum pg. 38, 61, 64-67).

Fuerunt ergo *tres condiciones,* a quibus secundum Instructionem et secundum Constitutionem licitus actualis usus Indultorium dependebat:

1. subsumptio casus particularis sub uno *ex tribus casibus,* taxative stabilitis;

2. *incommodum grave,* obiectivum et subiectivum, huius hominis, proveniens ex ieiunii observatione;

3. *consilium confessarii,* adprobans usum Indultorum in hoc casu particulari.

Haec de pristina disciplina.

13. Motu Propio « Sacram Communionem » nullam ex his condicionibus neque ullas alias assignat, a quibus usus actualis Indultorum dependeat. Talis dependentia non excluditur per ipsa Indulta; nam Indulta versantur circa *materiam* (cibum-potum) et circa *tempus* abstinentiae; condiciones versantur circa *circumstantias, sub quibus* Indultum cibi et temporis adhibere fas est. Indulta respiciunt ergo « *id quod* », condiciones res-

piciunt « *circumstantias, sub quibus* » ad hoc « id quod » provocari, illudque adhiberi possit. Si hoc « id quod » solummodo adhiberi posset in casibus « laboris debilitantis, horae tardioris, longi itineris », in nihilo per hanc dependentiam tangeretur, modificaretur, diminueretur ipsum « id quod » Indulti. At « posse dependere » et « de facto dependere », sunt res omnino diversae; nulla autem affertur positiva ratio, (neque in ipso Motu Proprio neque in adiecto alio documento publico), qua talis dependentia stabiliatur; ideo haec dependentia negari tuto potest. E.mus Card. Pro-Secretarius S. Officii in Articulo « Uno storico Documento », concomitante publicationem Motu Proprio in *L'Osservatore Romano* (N. 69, d. d. 23 Martii 1957) indubiis verbis effert: has condiciones et clausulas amplius non iam valere; idem repetit idem E.mus Cardinalis in suo libello, supra allegato « Il digiuno eucaristico » pg. 5. — Utrum etiam habeatur « principium iuridicum », certum et in iure agnitum, qua talis dependentia « materiae » a « circumstantiis » in praesenti casu positive et peremptorie excludatur, in « parte iuridica » examinabitur

14. De *Missis mediae noctis* aut primis diei horis.

Motu Proprio numerus 4. non potest subsumi sub titulo « extensio favorum », caderet sub titulo « exstinctio favorum »; exstinguitur enim antiquissimus favor, secundum quem supputatio obligationis ieiunii naturalis, (quod saeculis praeterlapsis coincidebat cum ieiunio eucharistsico) coepit ab illa media nocte, qua dies celebrationis vel communionis initium sumpsit; non ab aliqua hora

hanc mediam noctem antecedenti. Ita in canone 808 pro sacerdote celebrante initium ieiunii servandi designatur *media nox*: « Sacerdoti celebrare ne liceat, nisi ieiunio naturali a *media nocte* servato ». Idem initium ieiunii servandi designatur in canone 858 § 1 pro fidelibus, qui ad s. communionem accedunt: « Qui a *media nocte ieiunium* naturale non servaverit, nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti, nisi urgeat mortis periculum, ... » Secundum hanc autem normam ille, qui usque ad momentum immediate ante mediam noctem cibum vel potum sumpsit, ipso momento mediae noctis fuit in statu « ieiunii naturali », et ideo potuit statim celebrare vel s. communionem recipere. Non in paucis regionibus et familiis vigilia Nativitatis Domini vespere festivitates initium sumpserunt et continuabantur usque ad mediam noctem (sumpto plus potus, quam cibi). Dein, facta media nocte, accesserunt ad Missam audiendam et nonnulli etiam ad sacram synaxim sumendam. Huic praxi et sat longe sparsae consuetudini per praescriptum n. 3 Motu Proprio finis imponitur, eo scl. quod statuitur: etiam quoad Missas mediae noctis necnon primis diei horis celebratas idem tempus ieiunii eucharistici servari abhinc debet, scl. ante celebrationem vel s. communionem per tres horas abstinendum esse a cibo solido et a potu alcoholio, per unam horam a potu non-alcoholico. — Ratio huius abrogationis atque exstinctionis antiquissimi principii et usus facile intellegitur. Est eadem ratio, quae supra n. 8 iam memorata est: periculum gravis abusus; praeterea: « summa illa reverentia, quam supremae Jesu Christi

maiestati debemus, cum eum Eucharisticis delitescentem velis sumpturi sumus », (Constitutio, AAS., 1953, pg. 16).

15. De *infirmis*. Sicuti canon 858 § 2, Constitutio n. 11 (AAS., l. c., pg. 22) Instruction, n. 1 (AAS., l. c., pg. 47-48), ita etiam Motu Proprio in numero quarto pro infirmis specialem regulam exhibet.

Canone 858 § 1 mitigatio ieiunii eucharistici concedebatur solummodo determinatae classi infirmorum : « Infirmi qui iam e mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant ». Haec limitatio iam per Constitutionem et Instructionem fuit remota; haec abrogatio nunc confirmatur primis verbis numeri 4 Motu Proprio, qui sic incipit : « Infirmi, quamvis non decunbant ... ». — Hisce significatur, quid *non* requiratur ad hoc, ut quis sit et dici possit « infirmus; at non dicitur positive, quid requiratur et sufficiat. Cum neque nunc neque in praecedentibus documentis aliqua descriptio « infirmi » inveniatur — (iuxta effatum : « omnis definitio in iure periculosa ») — recurrendum est etiam hac in re ad sanum et commune iudicium commercii humani. (Fuse de infirmis et de notione « infirmi » actum est in pristino Commentario, pg. 57-63). — Infirmitas late sumpta intellegitur : diminutio seu deficientia vel etiam absentia « sanitatis ». Sed non quaevis, vel minima « indispositio » vel « virium debilitas » ab hominibus sani et aequilibrati iudicii habetur « infirmitas ». — *Verae infirmitatis* species sunt multae et variae, et earum elenchus est amplus. Sunt infirmitates : graves-leves, chronicae-acutae, plus minus momentaneae

— per aliquod aut longius tempus perdurantes, lecto per se affigentes-lecto non affigentes, periculosae-non periculosae, dolorosae-non dolorosae, apertae-latentes, principaliter somaticae-principaliter psychicae, aeque principaliter et somaticae et psychicae; etc. etc. — Omnes hae infirmitates sunt « infirmitates » — (« Infirmitas » non est simpliciter idem atque « aegritudo » seu « morbus »; conceptus « infirmitatis » latius patet). In casu « dubii » aliqua « mala dispositio » vel virium debilitatio » sub conceptu « infirmitatis » subsumi potest — (agitur enim in casu de « favorabilibus », quae sunt « latae interpretationis ») —, supposito semper, quod vir sani iudicii et timoratae conscientiae dicat: haberi in casu quoad verificationem conceptus « infirmitatis » veram aliquam et positivam *probabilitatem,* non solum absolutam possibilitatem.

16. De *indultis infirmorum.* Primo notari debet: infirmos gaudere omnibus indultis, quibus alii per Motu Proprio ornati sunt; alienum enim a mente Legislatoris censeri debet: infirmos ponere in peiore condicione, quam ea quae est aliorum. Recurrunt ergo quoad infirmos omnia quae supra nn. 6-13 exposita sunt.

Ultra haec communia Indulta infirmis duo alia conceduntur: alterum respicit *potum non alcoholicum,* alterum *medicinas.* Utrique commune est, quod infirmi quoad haec duo *nulli limiti temporis subiecti sint.* — De potu non-alcoholico in Motu Proprio nil amplius dicitur; inspiciantur quae de hac re supra n. 7 sunt allata.

De *medicinis* in Constitutione n. 11 legitur:

« Infirmi ... aliquid sumere possunt ... per dodum verae medicinae, exceptis alcoholicis » (AAS., 1953, pg. 22). Instructio magis ad particularia descendebat, et statuit: in 1.: « Fideles infirmi ... possunt etiam aliquid sumere per modum medicinae, sive liquidum (exclusis alcoholicis), sive solidum, dummodo de vera medicina agatur, a medico praescripta vel uti tali vulgo recepta. Advertentum autem est, non posse tamquam medicina haberi quodlibet solidum pro nutrimento sumptum. (AAS., l. c., pg. 47-48); cf. pristinum Commentarium pg. 60, n. 11.

Motu Proprio quoad « medicinas » pauca, sed ponderosa, verba habet, quibus nonnullae spinosae quaestiones prioris disciplinae eliminantur. Effert: « Infirmi ... sumere possunt *veras et proprias medicinas, sive liquidas sive solidas* ». — Iterum in textu quoad « conceptus » et « definitiones » siletur; recurrendum est ergo ad commune et sanum iudicium. Medicinae a medico paescriptae sensus communis generatim habet veram et propriam medicinam; sunt praetera permulta alia rimedia, quae — (ut modum loquendi Instructionis adhibeamus) — « vulgo verae medicinae receptae sunt ». — Sed etiam alia insuper via, mediante sano iudicio hominum, constare potest, agi in casu de vera et propria « medicina ». — In casu « dubii », utrum necne aliqua res sit « vera et propria » medicina, recurri potest ad regulam supra de « infirmitatibus » datam, scl. dari potest *responsum positivum* — (versamur in favorabilibus) —, dummodo secundum prudens et sanum iudicium asseri possit, esse solide et positive probabile: rem de

qua agatur esse « melicinam ». — Ratio tamen etiam haberi potest et debet normae negativae in Instructione stabilitae : « non posse tamquam medicina haberi quodlibet solidum pro nutrimento sumptum » (n. 1). — Inquisitio in naturam « medicinae », num sit « alcoholica » (sive ex toto, sive ex aliqua, maiore vel minore parte) institui non iam debet; *Motu* Proprio non facit distinctionem inter alcoholicas et non-alcoholicas medicinas, utrasque ex aequo admittit.

17. Post quattuor haec puncta partis dispositivae Pontifex in Motu Proprio adicit *monitum et hortationem servandae formae venerandae et vetustae* eucharistici ieiunii ab iis qui id praestare valeant. Haec vetusta et veneranda forma in eo consistebat, ut sacerdotes aeque ac christifideles a media nocte a quolibet cibo et potu abstinerent, idque sub *praecepto gravi*. — Non est repugnantia et contradictio in eo quod una eademque res uno tempore sub obligatione, alio tempore sub consilio imponatur. Sunt quaedam res, quae debent sive ex rei natura sive ex positiva voluntate Dei sub peccato urgeri; sed sunt res aliae, quae admittunt tum praeceptum tum merum consilium. Nequit ergo dici: Pontificem in novo Motu Proprio recedere ab adprobanda et in Constitutione pondevosis verbis adprobata severitate plurium saeculorum; non recedit *a re,* sed recedit solummodo *a modo quo* eadem res sacerdotibus et christifidelibus proponitur, olim per modum praecepti, nunc

Iam in Constitutione vetusta illa ac veneranda forma aliquatenus fuit mitigata, quamvis ea ibidem tamquam principium generale et fundamen-

tale fuit retenta atque explicitis et repetitis verbis inculcata (c. AAS., 1953, pg. 17-18, 22). — Insuper mitigationes CONSTITUTIONIS adnexam habuerunt *restrictionem praeceptivam,* vi cuius solummodo INDULTA concessa invocare sibique applicare potuerunt, qui specialibus condicionibus, inibi taxative designatis, subiciebantur. In MOTU PROPRIO nullae huiusmodi clausulae et condiciones praeceptivae urgentur; etiam illi qui vestustam et venerandam severitatem observare valent, ad eam servandam nulla obligatione adiguntur, sed consilio admonentur.

18. Monitio *compensationis faciendae* pro usu INDULTORIUM. Monet Pontifex in MOTU PROPRIO: « Omnes qui his facultatibus perfruentur, collatum beneficium pro viribus rependere satagant fulgentioribus christianae vitae exemplis, praesertim poenitentiae et caritatis operibus ».

Aequalis omnino monitio, sed paulo amplior iam habetur in CONSTITUTIONE (AAS., 1953, pg. 23-24) in qua legitur:

« Quotiescumque corporis incommodum minuitur, animus debet pro facultate rem supplere, sive interna poenitentia, sive aliis modis, ex tradito Ecclesiae more; quae quidem cum ieiunium mitigat, alia opera adimplenda imperare solet. Qui igitur datis hac in re facultatibus perfrui queant, impensiores ad coelum admoveant preces, quibus Deum adorent, eidem grates agant, ac praesertim admissa expient novaque impetrent superna auxilia. Cum omnes perspectum habeant oporteat Eucharistiam « tamquam passionis suae memoriale perenne » a Jesu Christo institutam esse, ex animis sensus illos eliciant christianae humilitatis christianae poenitentiae, quos Divini Redemptoris cruciatuum ac mortis meditatio excitare debet. Itemque eidem Divino Redemptori, qui, perpetuo in al-

taribus se immolans, maximum renovat sui amoris documentum, adauctos offerant omnes erga proximos caritatis fructus ».

Juvat utrumque hunc textum insimul considerare, ut appareat: duos Actus Pontificios, Constitutionem et Motu Proprio, non inter se opponi, sed ultimatim arcte inter se iungi, sese invicem confirmare, scl. quod attinet: ad *veritates fidei,* ieiunium eucharisticum fundantes; ad *motiva impellentia* ad ieiunium observandum; ad *internam animi dispositionem externumque modum agendi, concomitantes* Indultorum usum.

19. De « promulgatione » et « vacatione » legum [exsertione legis] vix quidquam notari debet; Motu Proprio subsignatum fuit a Summo Pontifice die 19 Martii 1957, publicatum in L'Osservatore Romano die 25 Martii 1957; vim exserere coepit die 25 Martii 1957.

20. Brevis *clausula abrogativa,* quam exhibet Motu Proprio, sic sonat: « Contrariis quibuslibet non obstantibus etiam speciali mentione dignis ». Quae in praecedentibus legibus, dispositionibus, ordinationibus etc. etc. stabilita sunt et cum iis, quae in Motu Proprio statuuntur, componi non possunt, omni vi privantur. In substantia quid haec clausula significet et in praeci efficiat, cognoscitur eae attenta lectione et consideratione ipsius Motu Proprio. Ulteriores et profundiores quaestiones, quae ex haec clausula et eae aliis regulis iuris quoad interpretationem Motu Proprio resultant praxim et vitam) reservantur secundae Annotationum parti, scl. « parti iuridicae ».

7 - DUBIUM

De valida concelebratione

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione an plures Sacerdotes valide Missae sacrificium concelebrent, si unus tantum eorum verba « Hoc est corpus meum » et « Hic est sanguis meus » super panem et vinum proferat, ceteri vero verba Domini non proferant, sed celebrante sciente et consentiente, intentionem habeant et manifestent sua faciendi verba et actiones eiusdem.

Feria IV, die 8 maii 1957

Em.mi ac Rev.mi DD. Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito Consultorum voto, proposito dubio responderi decreverunt:

Negative: nam, ex institutione Christi, ille solus valide celebrat, qui verba consecratoria pronuntiat.

Sabbato autem, die 18 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XII, in Audientia Em.mo ac Rev.mo D.no Cardinali Pro-Secretario S. Officii concessa, relatam Sibi Em.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii die 23 maii 1957.

Arcturus De Jorio
Notarius

ANNOTATIONES

1. Jam ex decenniis de natura et modis concelebrationis Missae sat multi articuli et dissertationes sunt conscriptae, sed tandem recentibus his temporibus et mensibus haec quaestio urgens est facta. Septemdecim et plures articuli recenter sunt publici iuris facti de determinata quadam con-celebrationis forma, quae est con-celebratio sine con-consecratione. Hanc formam nonnulli Liturgistae propagarunt et voluerunt « restituendam », moti et motivis theoreticis Liturgiae et angustiis practicis, occasione magnorum Conventuum liturgicorum urgentibus. Quo factum, est ut quaestio de *huius* concelebrationis natura et valore mentem animumque perplurium coeperit occupare, et ut tandem per modum Dubii sit delata ad S. Officium. S. Officium, ut provideat puritati doctrinae simulque securitati actionis et vitae, edidit *Decretum*, que securitati actionis et vitae, edidit Decretum, quo, quod attinet ad Dubium de *valore* huiusmodi concelebrationis, quaestionem auctoritative et doctrinaliter decidit, dicendo: Negative, idest: talem concelebrationem esse invalidam [1].

2. Immediata autem ansa et occasio, cur tan-

---

[1] Concelebrationis sine con-consecratione — (concelebrationis « mutae » vel « silentiosae ») — duplex forma in articulis describitur: una, quae fit cum explicita intentione interna, aliquo saltem modo manifestata *con-consecrandi*, etsi omnino reticitis verbis consecrationis, cum Celebrante; altera cum intentione merae *con-oblationis*, sine intentione con-consecrationis.

dem nunc, (cum iam ex annis de his rebus acriter disputatum sit), haec quaestio sit decisa, est Allocutio Summi Pontificis die 22 Septembris 1956 Romae habita ad Congressum Internationalem Assisiis celebratum. Decretum S. Officii (quoad substantiam) nunc per modum « solutionis Dubii » effert, quod in allegata Allocutione Summus Pontifex explicitis verbis iam docuerat. Ut ergo tenor et sensus Decreti S. Officii perspiciatur et interpretationi rectae veraeque subiciatur, recurrendum est ad tenorem et sensum verborum, quibus Pontifex, docendo rem de qua nunc agitur, in sua Allocutione est usus.

3. Pontificis argumentatio procedit ex hac doctrina Concilii Tridentini: « In divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit .... Una enim eademque est hostia, idem nunc offerents sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit sola offerendi ratione diversa » (Sess. XXXI, cap. 2 Dz. 940). Continuat Pontifex dicendo: « Itaque sacerdos celebrans, personam Christi gerens, sacrificat, iisque solus », (AAS., 1956, pg. 716). Haec actio sacrificativa Christi, quem sacerdos celebrans ponit, gerens personam Christi, habetur *in consecratione,* habetur *tota* in consecratione; habetur *sola* in consecratione. Consecratio ergo, si adest, actio sacrificativa Christi adest; consecratio si non adest, actio sacrificativa Christi non adest. Ideo *celebratio Missae,* in quantum est positio actionis sacrificativae Christi, est in peragenda consecratione.

4. Consecratione autem, (seu actio sacrificativa Christi), non peragitur, nisi agendo quod Christus in ultima egit, qui ipse verba consecratoria « Hoc est Corpus meum », Hic est Sanguis meus » super panem et vinum protulit; qui ipse ita panem et vinum in suum Corpus et Sanguguinem convertit; quique eadem hac actione ipse se ipsum Deo obtulit hostiam. Qui ergo verba consecratoria ipse non profert, non ipse agit « personam Christi », neque ipse ponit « actionem sacrificativam Christi », ideoque ipse non sacrificat, personam Christi gerens. Neque enim « per alium » potest quis *ipse* actionem Christi ponere, neque « per alium » *ipse* potest personam Christi gerere. Ex quibus omnibus apparet: qui *non « consecrat », non sacrificat;* sacrificium Missae *non celebrat.* — Quod valet de conficiendo sacramento, valet etiam de offerendo sacrificio: non conficit valide sacramentum, qui non, supposita debita intentione, *ipse* ponit materiam et formam; ita non valide offert sacrificium Missae, qui, supposita necessaria intentione, non ponit ipse externam actionem sacrificativam, quae est in verbis consecratoriis proferendis. — Exemplum ad doctrinam illustrandam ponitur a Pontifice consecratio episcopalis, in qua, ut Episcopi duo assistentes sint vere con-consecratores, non sufficit, quod ipsi habeant et manifestent intentionem: se actiones et verba Consecratoris facere sua, sed ipsi personaliter debent etiam ponere materiam et formam consecrationis, cum intentione per has suas actiones consecrandi Electum.

5. Iuvat principales textus Allocutionis afferre :

« D'après ceci l'élément central du sacrifice eucharistique est celui où le Christ intervient comme « se ipsum offerens », pour reprendre les termes mêmes du Concile de Trente. Cela se passe à la consécration où dans l'acte de la transsubstsantiation opérée par le Seigneur, le prêtre célébrant est « personam Christi gerens » ...

Des événements, récents Nous donnent l'occasion de préciser certains points à ce propos. Quand la consécration du pain et du vin est opérée validement, toute l'action du Christ lui-même est accomplie. Même si tout ce qui suit ne pouvait être accompli, rien d'essentiel cependant ne manquerait à l'offrande du Seigneur ... En réalité l'action du prêtre consacrant est celle même du Christ, qui agit par son ministre. Dans le cas d'une concélébration au sens propre du mot, le Christ, au lieu d'agir par un seul ministre, agit par plusieurs. Par contre, dans la concélébration de pure cérémonie ..., il n'y a point de consécration simultanée, et l'on soulève alors une question importante : « Quelle intention et quelle action extérieure sont requises, pour qu'il y ait vraiment concélébration et consécration simultanée ? » — Rappelons à ce propos ce que Nous disions dans Notre Constitutione Apostolique « Episcopalis consecrationis » du 30 Novembre 1944. ... Il ne suffit donc pas qu'ils — (scl. les deux Evêques, qui accompagnent le Consécrateur) — unissent leur volonté avec celle du consécrateur principal et déclarent qu'ils font leurs ses paroles et ses actions. Ils doivent eux-mêmes poser ces actions et prononcer les paroles essentielles. — Il en va de même dans la concélébration au sens propre. Il ne suffit pas d'avoir et de manifester la volonté de faire siennes les paroles et les actions du célébrant. Les concélébrants doivent eux-mêmes dire sur le pain et le vin : « Ceci est mon Corps », « Ceci est mon Sang » sinon, leur concélébration est de pure cérémonie » ...

« Nous le répétons donc : la question décisive ... est

de savoir, ..., quelle est la nature de l'acte qui est posé : le prêtre, comme ministre du Christi, fait-il ou non l'« actio Christi se ipsum sacrificantis et offerentis ». De même pour les sacrements, il ne s'agit pas de savoir quel est le fruit produit par eux, mais si les éléments essentiels du signe sacramentel (la position du signe par le ministre lui-même, qui accomplit les gestes et prononce les paroles avec l'intention « saltem faciendi quod facit Ecclesia ») ont été validement posés. De même dans la célébration et la concélébration, il faut voir si, avec l'intention intérieure nécessaire, le célébrant accomplit l'action extérieure et surtout prononce les paroles, qui constituent l'« actio Christi se ipsum sacrificantis et offerentis ». Cela ne se vérifie pas, quand le prêtre ne prononce pas sur le pain et le vin les paroles du Seigneur : « Ceci est mon Corps », Ceci est mon Sang », (AAS, 1956, pag. 717-718).

Decretum S. Officii

6. In Decreto duo distingui debent : I Dubium; II. Solutio Dubii.

I. *Dubium* ipsum exhibet aliquam « speciem facti », quam S. Officium examinare et dijudicare intendit. Haec species facti describitur in tenore Dubii tamquam determinata quadam concelebrationis forma, quam plures sacerdotes in communi Missae celebratione ex communi consensu servare velint et statuant. Substantia huius formae in eo est, quod unus, qui dicitur *Celebrans,* Missan dicat secundum stabilitas ab Ecclesia normas liturgicas, et in specie quod ipse « *consecrationem* » peragat, proferendo super panem et vinum, cum intentione « consecrandi », verba Domini : « Hoc est Corpus meum », « Hic est Sanguis meus ». Ceteri autem, ex mutuo inter se et cum Celebrante consensu,

sese Celebranti associant, cum intentione: cum ipso offerendi sacrificium Missae; quam intentionem ad extra produnt, induendo quaedam vestimenta sacra, dicendo simul cum Celebrante quasdam orationes, peragendo certas caeremonias, e. gr. extendendo immediate ante consecrationem (vel etiam ea durante) manus super oblata. Sed hi ceteri nullo modo (nec alta, nec submissa voce) proferunt verba consecratoria: « Hoc est Corpus meum », « Hic est Sanguis meus »; nihilominus sua quoque faciunt haec verba, a Celebrante pronuntiata. — Dubium nullo « nomine » vocat hanc concelebrationis formam; Pontifex in Allocatione eam designat nomine « concelebrationis caeremonialis », eamque opponit « concelebrationi sacramentali », in qua scl. singuli con-celebrantes super panem et vinum proferunt verba consecratoria. Eadem terminologia in multis articulis adhibetur, et videtur esse sat communis; occurrunt tamen etiam alia nomina, uti e. gr. concelebratio « muta » vel « silentiosa ».

De hac ergo muta vel mere caeremoniali concelebratione quaeritur in Dubio: an sit *valida;* quae « validitas » intellegitur validitas oblationis sacrificii Missae, quam oblationem hi sacerdotes attentant quidem, reticentes tamen verba consecratoria.

7. Dubium non loquitur de *liceitate* vel *utilitate* atque *convenientia* concelebrationis caeremonialis, quae olim in sat frequente usu fuisse dicitur, et quam (uti iam dictum est) nonnulli Liturgistae, iique serii, hodie vellent repristinari. Et revera haec mere caeremonialis concelebratio quam sacer-

dotes, ut sacerdotes, peragere intendunt, — (in hunc finem quodam vestitu sacro induti, insimul cum Celebrante quasdam partes Liturgiae recitantes, ritibus quibusdam suam cum Celebrante et Consecrante unionem manifestantes) —, devotionem sacerdotum taliter concelebrationem excitare et multum fovere valet, atque etiam iuvare potest, ut ad extra manifestetur et omnibus appareat intima inter Episcopum (Celebrantem) et Presbyterium unio atque communicatio. Hinc, dummodo sacerdotes dicto modo concelebrantes, suam concelebrationem habeant et peragant talem, qualis est, « caeremonialem », (non sacramentalem), non est, cur quis obliquatur. Nam contra eam nulla ratio, ex natura rei petita, afferri potest. Et si accedit consensus competentis Auctoritatis Ecclesiasticae, non est, cur haec concelebratio non peragatur, vel etiam cur non praeferatur in certis occasionibus, e. gr. in magnis Congressibus liturgicis. At si tales concelebrationes caeremoniales intenduntur et peraguntur tamquam vera et proprie dicta « sacrificii missae oblatio », intrant Decretum S. Officii, declarantur invalidae, et quia ut tales invalidae, etiam ut tales dicendae sunt graviter illicitae.

II. Solutio Dubii.

8. Solutio seu Responsio S. Officii versatur circa concelebrationem sine con-consecratione; et quidem circa huius concelebrationis « *validitatem* » in linea celebrationis veri et proprie dicti « *sacrificii Missae* ». Aliter efformatum: S. Officii Decretum respondet ad quaestionem; an sic dicta concelebratio caeremonialis (« silentiosa »), quae

fit, reticitis verbis consecratoriis, haberi possit: *sacrificii Missae proprie dicti oblatio valida.* Vel, ut termini *Allocutionis Pontificiae* adhibeantur: Decretum S. Officii respondet ad quaestionem: an haec caeremonialis (silentiosa) concelebratio sit et dici queat: *actio Christi sacrificativa, qua ipse ministerio sacerdotis se ipsum Deo offerat hostiam,* (et: an sacerdos, ita agendo, gerat personam Christi, qui ipse per talem actum sui sacerdotis, Christi personam gerentis, se sacrificet).

9. Perbrevis Responsio S. Officii est: NEGATIVE. Quod significat: talis concelebratio non est valida celebratio Missae, si Missa intellegitur: incruenta oblatio sacrificii, ab ipso Christo per ministerium sacerdotis, Christi personam gerentis, peracti. Christus enim actionem sacrificativam, quam in eucharistico sacrificio peragere vult, ipse in ultima Coena constituit et circumscripsit; et sic, et non aliter, actio Christi per sacerdotem exerceri potest. Haec autem actio Christi, quae per Pontificem verbis supra allegatis fuse descripta habetur, est in consecratoriis Christi verbis: « HOC EST CORPUS MEUM », « HIC EST SANGUIS MEUS », super panem et vinum proferendis, cum intentione peragendi sacrificium Christi. Supra nn. 3-4 expositum est: actio Christi habetur *in consecratione,* actio Christi habetur *tota* in consecratione; actio Christi habetur in *sola* consecratione. Ex ibi dictis elucet: Responsionem S. Officii ad propositum DUBIUM non potuisse aliam esse atque negativam.

10. Prae oculis autem haberi debet: Decretum esse de Missae celebratione, in quantum est *sacrificativa actio Christi;* ulterior quaestio: an ad Mis-

sae celebrationem, praeter Christi actionem sacrificativum, requirantur alia etiam elementa, in specie *Communio* seu sacrarum specierum consumptio, Decreto S. Officii non tangitur, et multo minus solvitur. Ex narratione Evangeliorum de iis, quae Christus in ultima Coena pessit, constat: Eucharistiam a Christo esse institutam etiam tamquam sacrificalem *coenam* (« dominicam coenam », 1. Cor. XI, 20), Eucharistico sacrificio, ex Christi institutione propriam et unitam coniunctam. At eucharisticarum specierum consumptionem et distributionem non sunt ipsius Christi sacrificantis « *actio sacrificativa* ». Decretum est exclusive de Missa, ut Christi sacrificio, seu de Christi actione, in quantum est « sacrificativa »).

1. Brevi Responsioni pauca dein verba adiuncta sunt, quibus pondus et effectus datae decisionis apparet. Verba sunt haec: « Nam ex institutione Christi ille solus valide celebrat, qui verba consecratoria pronuntiat ».

Illud « nam » non facit illud antecedens « Negative » — (in quo est Responsi substantia et vis) — dependere ab hoc « nam ». Duae partes Responsi — (scl. prima « negative », secunda « Nam ex institutione Christi ... ») idem valent, ac si asynthetice essent positae, sine « nam », quo nunc iunguntur.

Dicitur: « ex institutione Christi ». His verbis effertur: non agi de quadam dispositione *Ecclesiae,* quam dispositionem Ecclesiam forte statuere potuerit et statuerit vi potestatis specialis, quam Christus quoad hoc Ecclesiae consesserit. Plerique — (ut notum est — docent: a Christo

Domino, qui ipse omnium Novae Legis sacramentorum ita est auctor, ut circa eorum « *substantiam* » Ecclesia nullam habeat potestatem (cf. Const. Ap. « Sacramentum Ordinis » d. d. 30. Septembris 1947, AAS., 1948, pg. 5) tamen Ecclesiae concessam esse potestatem statuendi et disponendi quaedam quoad (quorundam saltem) Sacramentorum *validam* administrationem. Posset ergo quis suspicari ac opinari: *a pari* pronuntiationem verborum consecrationis ad sacrificii Missae *validam* concelebrationem esse quidem necessariam, sed ex Ecclesiae, non ex ipsius Christi dispositione. Talis interpretatio Decreti univoce et explicite excluditur adiectis verbis « ex institutione Christi ».

12. Prosequitur Decretum dicendo: « ille solus valide celebrat ». His verbis duo enuntiantur: 1) fieri validam aliquam Missae celebrationem; 2) hanc fieri tantum ab uno ex concelebrantibus.

Fieri validam celebrationem Missae ex eo apparet, quod in ea omnia peraguntur, quae in omni Missa ad validam celebrationem requiruntur et sufficiunt. Ideo omnes sacerdotes concelebrantes, *assistunt,* specifico suo modo, validae sacrificii Missae celebrationi.

At, quamvis omnes concelebrantes *valide intersint validae* sacrificii Missae celebrationi, tamen unus ex iis valide *celebrat;* omnes ergo alii, ex mutuo consensu concelebrantes, excluduntur. — Et hoc valet, quamquam ille « solus et unus » celebrat *ex communi cum aliis consensu,* idest ille « solus » scit et consentit, alios sacerdotes sese Celebranti associare quoad intentionem internam et quoad externam huius intentionis qualificatam ma-

nifestationem, et ipse hanc aliorum concelebrantium voluntatem suam facit ideoque aliorum quoque nomine celebrat.

13. Ultimis Decreti verbis ille « solus », valide celebrans, significatur in individuo, scl.: « qui verba consecratoria pronuntiat ». — Edicitur tantummodo « factum », scl. non nisi hunc unum « valide celebrare ». *Ratio, cur* pronuntiatio verborum consecrationis ad validam sacrificii Missae celebrationem requiratur, neque hic effertur, neque in tenore Dubii fuit denotata. Sed ex iam allatis « *rationes cur* » facile erui possunt:

1) argumentum proximum et immediatum est *ipsum Decretum S. Officii;* habet enim S. Officium auctoritatem doctrinalem, vi cuius authentice et obligatorie — (etiam quoad assensum internum) — sententiam ferre potest de veritate alicuius sententiae vel doctrinae;

2) argumentum altius et praeeminens sunt *verba ipsius Summi Pontificis,* qui in sua Allocutione docuit: tum « factum », requiri verba consecratoria, tum « rationem, cur » requirantur; (scl. quia ipse Christus sic egit, et quia iussit alios agere, sicuti ipse egerat); cf. supra n. 5.

3) rationes petitae *ex rei natura* et ex *narratione Evangeliorum;* vide supra nn. 3.4.10.

14. Si quaeritur, an recens Decretum S. Officii *valeat etiam « retro »*, et quidem usque ad prima Christianitatis saecula, quando caeremonialis et silentiosa concelebratio dicitur longe lateque fusa; retinendum est: quod ad principium attinet, de hoc Decreto valere, quod valet de omni decisione doctrinali, quae est de rei « veritate », scl.: ex

natura rei *valet retro,* etiam quoad saecula, quibus veritas illa nondum fuit in se clare perspecta et reflexe conscia. Juvat memorare doctrinam de Immaculata Conceptione B. V. M., quae a primo momento creationis animae B. V. fuit « vera », sed per saecula quoad explicitam cognitionem et professionem latuit, per saecula a nonnullis theologis (non infimae notae) fuit addubitata vel etiam negata; tandem anno 1854 fuit sollemniter definita. — Hoc principium applicetur etiam ad recens S. Offici Decretum, licet hoc non sit infallibilis competentis Magisterii ecclesiastici definitio. — Quod dein *facta historica* saeculorum praeteritorum spectat: distingui debet inter *facta* ipsa et horum factorum *interpretationem.* Jam de « factis » ipsis non est una in historia peritorum sententia; multo minus de factorum liturgica et dogmatica interpretatione. — Si tunc temporis, scl. in initio Christianitatis plures — (utrum plures vel pauciores, nihil interest) — revera putarunt: concelebrationem, omissis (ab omnibus, praeter unum), verbis consecratoriis, constituisse tot sacrifica, quot fuerunt sacerdotes concelebrantes: erraverunt. — An vero plures ita putaverint — (et quot fuerint) —, usque in praesentem diem non certo constat.

15. Iam ante 25 annos Tehologus quidam, (in Liturgia et in Liturgiae historia peritus primae Notae) insinuavit pacificam historicarum et dogmaticarum difficultatum compositionem, instituendo hanc considerationem: Functio liturgica in missae celebratione fuit « *una actio communis omnium* »: Episcopi (Celebrantis), aliorum adstan-

tium Episcoporum — (si aliqui adfuerunt) —, totiusque presbyterii, active participantis, coetus quoque christifidelium, active sese aggregantium presbyterio et Celebranti. — Hi omnes — (a summo usque ad infimum) — sibi conscii fuerunt: omnes fuerunt: omnes participantes — (unumquemque in gradu et modo suo) — constituere « unum », et « unum » ab omnibus in Liturgia peragenda offerri sacrificium. Quaestiones vero et distinctiones ulteriores, quas hodie movent et urgent, tunc temporis nondum movisse tantopere censendum est mentem et animos, quia profundiora problemata, ex quibus hae quaestiones resultant, nondum fuerunt reflexe cognita et conscia. Progrediente tandem theologica inquisitione et perscrutatione, simulque influentibus causis externis, paulatim Dubia, theoretica et practica, evasisse urgentia, et ad hoc perduxisse, ut concelebrationi mere caeremoniali substitueretur concelebratio sacramentalis, in qua verba consecratoria ab omnibus fuerunt super panem et finem pronuntiata; vel ut ab omni concelebratione — (paucis casibus retentis) — abstineretur, et Missa solitario ritu diceretur. — Utrum haec huius celebris Liturgistae explicatio conciliativa rei veritati correspondeat, non est huius loci examinare vel decidere. Huius loci est in comperto ponere: Decretum S. Officii, in quantum est de *veritate* invalidae concelebrationis mere caeremonialis, valere etiam « retro », idque etiam quoad prima christianitatis saecula.

16. Non in Decreto (neque in Dubio, neque in Responso), sed in articulis de concelebratione caeremoniali, ultimis his annis conscriptis, pluries

inquirebatur: an liceat sacerdotibus con-celebrantibus, se non con-consecrantibus, admittere *stipendium,* a fidelibus pro Missa dicenda oblatum. Alii responderunt: Affirmative; alii: Negative; alii: Distinctive, idest: accedente consensu et licentia Ecclesiae: Affirmative; non accedente hac licentia Negative: sive (saltem) ob Vetitum Ecclesiae, sive ob naturam contractus, initi inter oblatorem stipendii et sacerdotem acceptantem; qui est contractus « Do, ut facias ». Illud « facere » significare autem censent (saltem hucusque), offerre Missam, prout Missa hucusque a fidelibus intellecta et habita est: verum scl. et plenum Christi sacrificium, prout a Christo fuit institutum. Jam vero concelebratio mere caeremonialis non est talis oblatio sacrificii, prout ab altero contrahente intellegitur. Quae ratio videtur peremptoria; (saltem nunc post Decretum S. Officii). — Si vero quaerere volunt: utrum sacerdos, modo mere caeremoniali concelebrans, ab aliquo fideli, qui de charactere concelebrationis non-consecratoriae est edoctus eamque intellexit, aliquam eleemosynam, pro *hac* concelebratione oblatam, acceptare licite queat, responderi potest: accedente consensu et licentia Ecclesiae, *affirmativae.* Nam si Ecclesia occasione aliarum functionum sacrarum huiusmodi eleemosynas permittit (e. gr. occasione baptismatis, matrimonii, sepulturae, etc. etc.), non intellegitur, cur Ecclesia non valeat ididem concedere occasione concelebrationis caeremonialis, ad intentionem oblatoris « stipendii » applicandae.

17. Si in fine desiderantur aliquorum auctorum recentium sententiae atque aliquae Notitiae

bibliographicae, inspici possunt: *Gregorianum* XXXVI (1955) pag. 212-271; Münchener Theologische Zeitschrift VI (1955) pg. 81-106; in Volumine collectivo « Qu'est-ce que la Concélébration? », *La Maison-Dieu,* XXXV (1953); *Periodica de re morali ...,* XVI (1927) pg. 143-154; 181-210; XVII (1928) pg. 93-127; XXI (1932) pg. 193-219).

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

MOTU PROPRIO

DE IEIUNIO EUCHARISTICO

(continuatur)

ANNOTATIONES

Pars iuridica

1. Prima pars, quae fuit moralis-pastoralis, publicata in hoc folio, fasc. II (1957) pg. 218-242, exhibuit, quae scitu necessaria vel utilia censebantur ad hoc, ut in usu novae legis Motu Proprio « Sacram Communionem » d. d. 19 Martii 1957 via recta secure procederetur. Pauca puncta iuridica iam in hac prima parte memorata sunt, sed non nisi per transennam; nunc elementa ac principia *iuridica,* in quantum ad rem faciunt, de consilio et expresse pertractantur. — Finis huius partis iuridicae non est conscribere abstractum tractatum iuridicum, sed relate ad casum concretum « Motu Proprio » - (attentis iis quae « facta » sunt, et attentis iis, quae de his factis, sive ore sive scripto, discussa sunt et discutiuntur) - inquirere et ostendere, quaenam *facta iuridica* acci-

derint, quaenam *principia iuridica* quoad haec facta iuridica in quaestionem veniant, denique, quisnam sensus et *effectus iuridicus* secundum haec iuridica facta et secundum haec iuridica principia in casu novae Legis « Motu Proprio » stabiliendus sit et quacum certitudine.

2. *Facta iuridica* - (idest facta, quibus et in quantum eis effectus in ordine iuris est annexus) - in casu de quo agitur sunt:

1) primo loco ipsa nova lex « Sacram Communionem », Motu Proprio publicata et promulgata;

2) dein articulus de hoc Motu Proprio, publicatus ab Emo. Cardinali Pro-Secretario S. Officii in *L'Osservatore Romano* (N. 69, diei 23 Martii 1957, columna 6); qui articulus denuo publicatus seu reimpressus est in *L'Osservatore Romano* N. 180, die 4 Augusti 1957; pg. 1 col. 5 et 6;

3) eiusdem Emi. Cardinalis Pro-Secretarii libellus de eodem argumento (Alfredo Card. Ottaviani, « Il Digiuno Eucaristico », Rivista « Studi cattolici », Anno I, Giugno 1957, N. 1);

4) Notificatio quaedam officialis, iussu et mandato S. Officii, die 13 Aprilis 1957 intimata determinatis personis in Urbe Roma;

5) Responsa particularia, a S. Officio data determinatis Ordinariis, qui S. Officium de sensu numeri primi Motu Proprio interpellarunt.

In casu ad rem faciunt ipsa haec facta iuridica, modo allegata; sed insuper inspici debent eorum natura iuridica atque iuridicus sensus et valor.

3. Motu Proprio « Sacram Communionem », quod eius naturam iuridicam spectat, est Actus Pontificius proprie et presse dictus, idest actus personalis Pontificis, ut « Sui Ipsius », in oppositione ad Organa - (Sacras Congregationes, Tribunalia, Officia), - quibus Pontifex utitur ad suam voluntatem in regimine Ecclesiae exercendam. Actus Pontificius proprie dictus non (necessario) differt ab actu alicuius Organi Sanctae Sedis *ratione materiae,* circa quam versatur, sed differt *ratione auctoritatis,* qua circa eam versatur. Immo generatim Actus Pontificius versabitur circa materiam quae spectat ad competentiam alicuius huiusmodi Organi, (in specie alicuius Sacrae Congregationis); est ergo intra ambitum competentiae eius, prout describitur in canonibus 242-264 CIC, et generali modo delineatur et circumscribitur in Benedicti XV. Motu Proprio « Cum Iuris Canonici » d. d. 15 Septembris 1917, N. II et III. Exemplo sint Litterae Encyclicae « Humani generis » Pii XII. Harum *materia* peculiari modo spectat ad competentiam S. Officii, et S. Officium vi ordinariae suae potestatis est competens ad clarum et obvium sensum harum Litterarum efferendum, est competens ad invigilandam et urgendam huius Actus Pontificii exsecutionem, est competens ad dandas « Instructiones », intellegentiae et exsecutioni inservientes, et ad plura alia huiusmodi; (cf. allegatum Motu Proprio Benedicti XV.). — At haec coincidentia materiae (in casu « Actus Pontificii » et « Actus Sacrae Congregationis ») non efficit, ut Sacra Congregatio circa « Actum Pontificium » *omne id* valeat, quod circa eandem omnino mate-

riam valeret (ad normam Canonum et allegati « Motu Proprio », Benedicti XV.), si « Actus Pontificius » non intervenisset. Non potest Sacra Congregatio (sine speciali ipsius Pontificis auctorisatione) dare Actus Pontificii: auctoritativam seu authenticam interpretationem: *extensivam, restrictivam, constitutivam* seu tollentem « Dubium »; multo minus potest Actum Pontificium *abrogare, derogare, immutare*. Ratio iuridica huius regulae patet: licet enim Actus Sacrae Congregationis et Actus Pontificius circa eandem materiam versentur, Actus Pontificius ex natura sua et absolute superat dignitate, auctoritate, valore atque pondere Actum Sacrae Congregationis. Quod autem est essentialiter minus, non potest vincere, quod est essentialiter plus; neque potest cum eo in eadem linea poni. Neque canones CIC neque Motu Proprio Benedicti XV. ullo modo (sive directe sive indirecte) talem aequipollentiam « Actus Pontificii » et « Actus Congregationis » statuunt vel enuntiant.

4. At, quod Organa Sanctae Sedis, et in particulari Sacrae Congregationes, non valent ratione sui et ex communi iure, valent ex *speciali auctorisatione Pontificis*. « Specialis » autem auctorisatio non est in *ordinaria adprobatione* Actum Sacrarum Congregationum, quae passim per Sacras Congregationes a Summo Pontifice petitur; qua adprobatione data, Actus Sacrae Congregationis manet Actus Congregationis, et non fit Actus Pontificius.

5. Sed Pontifex (ultra tales « adprobationes ») potest aliquam Sacram Congregationem, quocumque modo Ei placuerit, specialiter auctorisare, ut omnes actus supra nominatos vel aliquos ex iis circa Actus Pontificios, presse dictos, exercere valeat. An in casu particulari Pontifex hoc fecerit, quo modo hoc fecerit, est quaestio facti. De tali speciali Auctorisatione constare potest ex speciali atque publico Documento Pontificio, (prout factum est per Instructionem S. Officii, adiectam Constitutioni Apostolicae « Christus Dominus »; quae ambo Documenta insimul publicata sunt die 6 Janaurii 1953). Talis modus agendi est maxime aptus ad plenam certitudinem de facta speciali auctorisatione gignendam.

Sed hic modus non est unicus. Deficiente proprio et explicito huiusmodi Documento publico, aliquando ex « *indiciis* » et ex « *factis concludentibus* » specialis auctorisatio quoad Actum Pontificium cum sufficiente certitudine deduci et erui potest; e.gr. ex eo, quod aliqua Sacra Congregatio, aut aliqua persona qualificata, munus membri Sacrae Congregationis habens et gerens, publice de Actu Pontificio effert asserta ponderosa; interrogantibus dat Responsa auctoritativa in casibus particularibus; urget circa rem, Actu Pontificio stabilitam, certas agendi regulas et alia huiusmodi. Si enim tales assertiones, responsiones, dispositiones, etc. etc., sine speciali auctorisatione nec validae nec licitae essent, ex ipso hoc facto, quod ab huiusmodi personis talia fiunt, omnis Canonista et Moralista sani iudicii cum sufficienti certitu-

dine « deducere » potest: requisitam auctorisationem specialem (sive recenter et nunc, sive antea, sive explicite sive implicite) esse datam. Nihilominus hic modus eruendi et deducendi *ex « indiciis »* et ex « *factis concludentibus* » multum superatur explicito ac publico specialis auctorisationis Documento.

Absoluta sic quaestione de natura iuridica ipsius « Motu Proprio », inspiciendae sunt quaestiones iuridicae connexae: de eius promulgatione, de momento exserendi vim iuridicam, de clausula abrogativa.

6. De ipsius Motu Proprio *promulgatione.*

De alicuius legis « publicatione » et de momento « exserendi vim » (respective: de tempore » interim « cohibitae vis legis » seu de legis « vacatione ») fundamentalem normam exhibet canon 9, qui ita sonat: « Leges ab Apostolica Sede latae *promulgantur* per editionem in Actorum Apostolicae Sedis Commentario Officiali, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et *vim suam exserunt* tantum expletis tribus mensibus a die qui Actorum numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior *vacatio* specialiter et expresse fuerit statuta ». Haec huius canonis norma est de « promulgatione » presse dicta seu de promulgatione « in sensu iuris ». Prima enim « publicatio » ex longissima consuetudine fieri solet in *L'Osservatore Romano,* qui ratione sui non est « organum officiale » Sanctae Sedis, sed est ephemerides Civitatis Vaticanae (« Stato della Città

del Vaticano »); nec est alterius indolis atque « ephemerides » aliae, aliarum civitatum et urbium. — Sed, tum ipsi Pontifices, tum omnes Congregationes Romanae: leges, decreta, interpretationes, responsa, etc. etc. saepe, (si non semper) primo publici iuris faciunt in *L'Osservatore Romano,* nec ullus haesitat, has publicationes habere publicas significationes voluntatis Sanctae Sedis. Quoad talem « publicandi » modum, limitato sensu valet regula, « consuetudo est optima legum interpres » (Can. 29.). Idem modus agendi non solum in Urbe seu Romae, sed etiam in multis diocesibus in usu est; non raro enim Ordinarii adhibent « ephemerides » catholicas (vel « folia periodica » catholica) ad aliquas urgentes dispositiones quam primum communicandas, praesertim si « folii officialis » sequens numerus tandem post longius tempus editur.

Nihilominus organa Sanctae Sedis non simpliciter in una linea ponunt « publicationem » in *L'Osservatore Romano* et « promulgationem » in *Acta Ap. Sed.* Ideo in subsequentibus allegationibus Legum, Decretorum etc. numquam citatur *L'Osservatore,* sed semper *AAS.* — Ipsi Summi Pontifices huius differentiae sibi semper conscii fuerunt et sunt; quod praesertim apparet ex eo, quod post « publicationem » in *L'Osservatore* et ante « promulgationem » eiusdem Documenti in *AAS* textus hinc inde est modificatus et immutatus, non tantummodo corrigendo menda typographica, sed rem aliter, (magis accurate et definite) exponendo. Hae differentiae plurimos fugiunt, sed obiective in se et omni accurate legenti tale factum non caret momento et pondere. Ut aliqua saltem afferantur exempla: In Litteris Encyclicis « Divino afflante Spiritu » d. d. 30 Sept. 1943 correctiones quoad rem habentur in AAS. 1943 paginis: 308, 309, 310, 311. Hae Litt. Enc.

« *publicatae* » fuerunt in N. 237 *L'Osservatore Romano* die 10 Oct. 1943, « *promulgatae* » in *AAS.* N. 10 die 20 Oct. 1943. — In Litt. Enc. « Sempiternus Rex » d. d. 8 Sept. 1951 correctiones quoad rem inveniuntur in *AAS.* 1951 paginis: 631, 637, NB 22. 638, 640. Hae Litt. Enc. « *publicatae* » fuerunt in *L'Osservatore Romano* N. 212, die 13 Sept. 1951; « *promulgatae* » in *AAS.* N. 14 die 15 Oct. 1951. — Motu Proprio « Sacram Communionem » *publicatum* est in *L'Osservatore Romano* die 23 Martii 1957, *promulgatum* in *AAS.* die 17 Aprilis 1957.

7. Ab Actibus Sanctae Sedis, in *L'Osservatore Romano* « publicatis », bene distingui debent « *articuli* », qui de his Actibus in eadem ephemeride (generatim pagina prima) publicantur, modo sine nomine auctoris, modo nomine auctoris subsignati. Hi articuli, omnibus scientibus, habent characterem officialem vel officiosum, quibus illa Sanctae Sedis « Acta », quibus adiciuntur: explicantur, dilucidantur, motivis fulciuntur. Hi articuli instruere intendunt lectores de mente et sensu, quo S. Sedes dirigebatur in respectivis Actis condendis et edendis; et ideo omnibus magnae utilitatis esse solent. Ex altera tamen parte hi articuli non debent dici « Acta » ipsius Sanctae Sedis, neque horum Actorum « *interpretatio authentica* », (in sensu iuris intellecta), nisi in casu particulari ob peculiares rationes aliud constet.

8. *Clausula abrogativa. Tenor clausularum.* Constitutio Ap. « Christus Dominus » habuit clausulam abrogativam:

« Quaecumque autem hisce Litteris decreta continentur, ea omnia stabilita, rata et valida esse volumus, *contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam*

mentione dignis; atque abolitis ceteris omnibus privilegiis ac facultatibus, quomodocumque a Sancta Sede concessis, ut omnes hanc disciplinam aeque riteque servent » (*AAS.*, 1953, pg. 24).

In adnexa Instructione S. Officii, ita legitur:

« Ordinarii cunctos doceant, omnes facultates et dispensationes, tum territoriales tum personales, hactenus a Sancta Sede concessas, abrogatas esse ». ... Quod ad consuetudines attinet, quibus a nova disciplina discrepare contingat, clausula illa abrogativa animadvertenda est: « contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dignis », (*AAS.*, 1953, pg. 51).

Legis Motu Proprio clausula abrogativa sat brevis est; solummodo *totum* « Motu Proprio » habet clausulam abrogativam; *singuli numeri* (nn. 1. 2. 4), quibus Indulta extenduntur, speciales clausulas abrogativas non habent. Clausula abrogativa sic sonat.

« Contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam speciali mentione dignis ».

9. *Condicio praerequisita* ad omnem clausulam abrogativam est exsistentia plurium (saltem duarum) « normarum iuris », speciatim « legum »: alteram priorem, alteram posteriorem, quae sive ex natura rei sive ex positiva voluntate legislatoris coexsistere non possunt, aut, quas legislator coexsistere non vult, quamvis coexsistere possent.

10. De *obiecto* clausulae abrogativae. In clausula abrogativa generatim effertur: vi privari ea, quae in antecedentis legis statutis statutis praesentis legis contraria sunt. Unde elucet: clausulam

abrogativam recte et cum certitudine applicari non posse, nisi prius de obiecto et sensu utriusque legis certo constiterit; nam tunc tandem cum certitudine asseri potest: haec obiecta coexsistere non posse, aut saltem ex voluntate Legislatoris amplius coexsistere non debere.

De *obiecto et sensu legis* autem constare potest: a) immediate ex ipsis legis verbis, intellectis secundum notam intellectionis regulam canonis 18; b) constare potest, (et aliquando debet), modo perfectiore per positivium actum ipsius Legislatoris - (vel personae, ab eo ad hoc « auctorisatae ») -, idest per legis « *interpretationem authenticam* », qua declaratur: hunc esse sensum legis, et non alium. Non ergo habetur « interpretatio authentica », nisi: primo qui eam dat, habet « auctoritatem » dandi eam; secundo, nisi hic manifestaverit, se per actum, quem nunc ponit, velle *uti* hac « auctoritate », et insuper nisi hic manifestaverit: se per hunc suum actum velle alios *ligare* ad admittendum hunc sensum, tamquam sensum legis et Legislatoris. —

11. « Authentica interpretatio » *potest dirigi* ad alios: aut per modum legis aut per modum actus particularis - (uti in sententia iudiciali, vel in rescripto particulari; semper ligat *solos et omnes, ad quos dirigitur*). — Si dirigitur ad « communitatem » per modum legis, eandem vim habet atque ipsa lex. Indiget tunc aut non indiget « promulgatione » secundum ordinaria de promulgatione principia, quorum primum est; « Promulgatio » est necessaria, ut ligans Legislatoris voluntas « commu-

nitati » manifestetur. — Si authentica aliqua interpretatio nihil ad legem iam latam et promulgatam addit, authentica interpretatio fieri quidem potest, sed non indiget « promulgatione », quia in tali suppositione omne id, quod de lege communitati intimari eique innotescere debet, ei iamiam manifestatum est.

12. Si vero de lege - (de eius exsistentia, sensu, persistentia) - serium *dubium* habetur, aut si materia aut ligatio legis (praeceptum-consilium) *extenditur* aut *restringitur* aut quoad rem *immutatur*: authentica interpretatio, ut communitatem liget, « *promulgari* » debet, quia nova haec Legislatoris voluntas actualis (talis qualis nunc est; ex parte vel ex toto modificata), eousque sufficienter et certo communicati intimata non fuit. — Si « authentica interpretatio » dirigitur solummodo ad personas particulares, ut liget eos, ad quos dirigitur, « promulgatione », in sensu iuris intellecta, non *indiget,* (quia « promulgatio » qua talis respicit « communitatem »); indiget tamen « intimatione »; nec ad casus similes extendi et applicari potest. Supponitur semper (etiam in his casibus particularibus): supra enumerata elementa, ad interpretationem authenticam requisita, verificata esse. — Hae de authenticae interpretationis notione et promulgatione « normae iuris » exhibentur in canone 17.

Hisce dictum est: 1) *de quo,* antequam ad applicandam clausulam abrogativam procedi queat, certo constare debeat; 2) *qua via* haec certitudo acquiri possit; 3) quomodo *in certis condicionibus*

auctoritative procuranda sit haec certitudo iis, quorum in iis condicionibus interest, auctoritative certiores fieri.

13. *Normae iuris de relatione inter plures leges, sese subsequentes et de eadem re agentes.*

Clausula abrogativa, prout monitum est, supponit duas leges, sese subsequentes, quarum posterior priori est contraria; sed posterior lex contraria esse potest etiam sine clausula abrogativa. Ideo « *normae iuris* », modo generaliore, relationem inter leges sese subsequentes circumscribunt, diversimode pro diversitate casuum.

14. Varii casus.

1) *Primus casus*: est *certum,* legem subsequentem contraire legi priori. Hoc secundum can. 22 triplici modo accidere potest:

a) expresse in secunda lege edicendo: priorem legem « *abrogari* »; hic casus nulla explicatione indiget;

b) nihil in secunda lege expressis verbis enuntiando de priore lege, sed statuendo in lege secunda *rem directe contrariam* legi priori. In tali casu abrogatio sequitur ex natura rei, quia « res directe contrariae » coexsistere nequeunt. Manet autem examinanda « quaestio facti », utrum et in quantum materia posterioris legis materiae prioris legis sit « directe contraria »;

c) ordinando in posteriore lege *totam de integro materiam prioris legis.* Ut statim applicatio fiat ad materiam de qua nunc agitur: in suppositione: *totam* materiam INDULTORUM ieiunii eu-

charistici et Missae vespertinae per Motu Proprio esse de integro ordinatam: norma interpretandi haec Indulta est sumenda ex solo Motu Proprio, non attentis pluribus illis limitationibus et condicionibus in pristina Constitutione et in adnexa Instructione positis, (cf., quae in priore parte morali-pastorali pg. 233-234, n. 12-13 de hac re dicta sunt). —

In genere autem antequam in particulari aliqua lege ad hanc generalem normam iuris provocari possit, probari debet in hoc casu particulari: esse revera voluntatem Legislatoris « totam de integro materiam prioris legis ordinare ». — Ubi primum dein constat de hac voluntate, (et non antea), rationabiliter (ad normam canonis 22) supponitur: Legislatorem eo, quod *totam* materiam *nova* aliqua lege noviter ordinet, sufficienter manifestare suam voluntatem: *totam* hanc materiam abhinc *novae legi* esse subiectam, eique soli.

15. Sed hae tres « normae iuris » canonis 22 ex voluntate Legislatoris subsunt etiam alteri « normae iuris », scl.: « Lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularium statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur » (can. 22). Et haec specialis regula iterum subiecta edicitur universaliori « normae iuris », enuntiatae in can. 6, n. 1, qua effertur: « Leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis oppositae, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur ».

Ulteriores hae quoad abrogationem normae restringentes si prae oculis habentur, apparet sen-

sus et pondus fusae clausulae abrogativae Constitutionis Apostolicae « Christus Dominus », scl.: « ... contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dignis; atque abolitis ceteris omnibus privilegiis ac facultatibus, quomodocumque a Sancta Sede concessis » (AAS. 1953, pg. 24); cui abrogationi Instructio S. Officii complendo addit: « ...; omnes facultates et dispensationes tum territoriales tum personales » (n. 18).

16. *Secundus* casus: est, *dubium* utrum nec ne posterior lex legi priori sit contraria. In tali casu DUBII valet norma canonis 23: « In dubio revocatio legis praexsistentis non praesumitur: sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae ». — In casu dubii Legislator procedit ergo ex principio: *melior est condicio possidentis,* idest legis prioris. Qui asserit: Legislatorem voluisse lege posteriore infringere hanc condicionem meliorem legis possidentis, habet onus probandi; praesumptio iuris stat pro contrario.

Ex quibus deducendum est: in casu dubii examinari debere: an et in quantum statuta legis posterioris trahi queant ad legem priorem, et in quantum hoc fieri potest, cum legis prioris statutis conciliari debent. — Pro casu dubii urgetur ergo in iure et a iure *cocxsistentia utriusque legis,* in quantum possibilis est.

Quid hoc significet pro relatione inter Motu Proprio et Constitutionem Apost., in parte morali-pastoral. pg. 233-35 n. 12-13 iam indicatum est.

17. Est ergo res magni momenti, scire: utrum relatio iuridica inter novum Motu Proprio et pristinam Constitutionem Apostolicam subsumi possit (vel debeat) sub casu primo (casus *certitudinis* de mutua utriusque legis relatione), an sub casu secundo (casus *dubii* de mutua relatione), an denique *sub utroque casu*: ex parte sub casu primo, et ex parte sub secundo; et si sub utroque subsumi debet, interest scire: quousque unus et alter casus se extendat, et simul ostendi debet: ex quo « *principio iuris* » haec ad diversos casus pertinentia, necnon eiusdem extensio probetur.

18. Qui sine praeoccupatione novum Motu Proprio legit, primo aspectu gaudet de hac clara, simplici, captu facili norma, ad quam intellegendam non requiritur recursus ad doctos Theologos, sed sufficiunt sana mens piaque ac sincera uniuscuiusque conscientia. Ita paucis his mensibus, post eius promulgationem elapsis, haud pauci sacerdotes ac laici spontanee ac lubenter professi sunt. Nihilominus longa antecedens expositio iuridica fieri debuit, ut difficultates pergraves intellegi et ponderari possint, quibusnam seria huius clarae et simplicis legis secundum « iuris principia » interpretatio pro praesenti rerum condicione subire cogatur; et ut conatus fiat sese extrincandi ex his « iuris » difficultatibus.

19. Brevis clausula abrogativa novi Motu Proprio, supra iam allata, sic sonat: « Contrariis quibuslibet non obstantibus etiam speciali mentione dignis ».

Ad « quaelibet contraria », hic notata, inprimis pertinent omnia, quae iam per CONSTITUTIONEM et per adnexam INSTRUCTIONEM fuerunt abrogata, scl. quaelibet facultates et dispensationes, tum territoriales tum personales, antea, praesertim tempore belli, concessae.

Ad « quaelibet contraria » pertinent dein praescripta CODICIS IURIS CANONICI, quae cum INDULTIS, per documenta concessis, componi non possunt; scl.:

1) Antiqua notio et antiqua norma *ieiunii naturalis* (can. 808 et 858), quae quemcumque potum, etiam solius aquae, exclusit; secundum novas normas (Constitutionis, Instructionis, Motu Proprio) potus aquae non frangit ieiunium;

2) Antiqua norma *computationis temporis* ieiunii servandi; computatio secundum C.I.C. fieri debuit a *media nocte;* fuit computatio temporis secundum « terminum a quo »; ita in iisdem canonibus 808 858. — Recens norma « computationis temporis » ieiunii servandi est *momentum celebrationis vel communionis;* fit ergo computatio secundum « terminum ad quem »; ieiunium servandum est: per tres, respective per unam horam ante subsequentem celebrationem vel communionem.

3) Antiqua norma de *tempore celebrationis Missae.* Canone 821 statuitur § 1: « Missae celebrandae initium ne fiat ... serius quam una hora post meridiem ». MOTU PROPRIO dat Ordinariis locorum facultatem permittendi — (non ipsum Motu Proprio permittit) — etiam Missas *postmeridianas et vespertinas,* et quidem omni die. — CONSTI-

TUTIO et INSTRUCTIO similem normam, sed multo magis limitatam, habuerunt.

4) Antiqua norma *distributionis Communionis*. *Canone* 867 § 4 statuitur: « Sacra Communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat ». Secundum CONSTITUTIONEM distributio communionis fieri potest etiam *vespere*, sed *in* ipsis Missis vespertinis; quam normam INSTRUCTIO S. Officii magis determinavit disponendo: fideles vespere ad s. communionem recipiendam libere accedere posse, sed tantum *in* his Missis vespertinis, vel *proxime ante* et *statim post* (INSTRUCTIO n. 15). Notandum est: per CIC, (can. 821 iunctim can. 867 § 4) iungi tantummodo *tempus* quo Missa celebrari possit, cum *tempore*, quo s. Communio distribui queat; non iungi *actualem celebrationem* Missae *cum actuali communione*. Huiusmodi nexus inter *actualem* distributionem communionis et *actualem* celebrationem Missae tandem per dictam CONSTITUTIONEM et INSTRUCTIONEM introductus est; ante diem 6. Januarii 1953 talis nexus nullo canone praescribebatur. — Ipsum MOTU PROPRIO de tali nexu inter *actualem* communionem cum *actuali* celebratione nihil dicit, (nec affirmat nec abrogat); ergo ex ipso et solo Motu Proprio, prout iacet, norma iudicandi et agendi quoad hoc peti non potest.

20. Ad abrogata « quaelibet contraria », de quibus in MOTU PROPRIO, tandem spectant ea, quae quoad Indulta in CONSTITUTIONE APOSTOLICA « Christus Dominus » et in correspondente INS-

TRUCTIONE S. Officii occurrunt, et INDULTIS novi MOTU PROPRIO sunt contraria. Hoc apparet ex titulo et inscriptione ipsius MOTU PROPRIO: « INDULTA ... extenduntur ». « Indulta » continentur in Motu Proprio nn. 1. 2. 4.; non numero tertio, qui non est pristini alicuius favoris « extensio », sed « exstinctio »; ideo hic numerus nunc neglegi potest.

De « contrariis » quae in Motu proprio expresse edicuntur *abrogari,* nil dicendum est; item de iis, quae documentis pristinis « directe contraria » sunt. Haec nulla interpretatione indigent.

21. Restant ea priorum horum Documentorum, quae in posteriore novo Documento « *silentio praetereuntur* », licet ratione sui cum statutis huius posterioris legis (« MOTU PROPRIO ») componi queant, prout in priori articuli parte moralipastorali, pg. 233-35, nn. 12-13, monitum est. De his « silentio praeteritis » quaeri debet, utrum sit aliquod « *iuris principium* », quod permittat, ea *ex « solo hoc silentio » dicere abrogata.* — Verificatis certis praerequisitis, responderi potest affirmative, iuxta ea, quae supra n. 14 huius articuli sub littera c exposita sunt, et in can. 22 paucis his verbis significantur: « Lex posterior ... obrogat priori ..., si *totam de integro ordinet legis prioris materiam* ».

Prout modo n. 18 memoratum est, qui sine praeoccupatione simplicem, lucidam, univocam ordinationem INDULTORUM in MOTU PROPRIO legerit, inclinat in sententiam: voluisse Pontificem per hunc Actum Pontificium totam de INDULTIS mate-

riam de integro ordinare (can. 22); et ideo hanc novam suam legem toti legi priori substituere. Quo fieret, ut *omnes* istae limitationes et condiciones priorum legum (scl. « Constitutionis » et « Instructionis ») censeri deberent « abrogatae ». At, haec argumentatio, sic *universaliter* posita, S. Officio non probatur, sed ab eo reprobatur.

22. Abstractione facta a canonis 22 consideratione, certitudo: plurimas dictas pristinas limitationes esse abrogatas, hac via obtineri *potest*, scl. per aliquam *authenticam novae legis interpretationem* eiusque interpretationis, si opus fuerit, *promulgationem*, facta vel ab ipso Pontifice vel ab alia persona a Pontifice « auctorisata ». Quoad respectiva « principia iuris » - (de interpretatione authentica, de promulgatione necnon etiam de « articulo » forte concomitante) -, quae scitu necessaria sunt, supra nn. 6. 7. 10, alinea 2 exposita habentur. De aliquo articulo, publicato in *Osservatore Romano* (Nr. 69, de 23. Martii 1957, col. - 6) theoretice et in abstracto quaeri potest, an possit dici: habere indolem « interpretationis authenticae » et correspondentis « promulgationis ». Pars articuli, quae ad rem facit, ita sonat .

« Con l'Augusta disposizione del Santo Padre, ormai la legge del digiuno eucaristico, adattata alle esigenze dei tempi, è resa semplice e accessibile alla mentalità anche dei bambini. Basta astenersi per tre ore dai cibi solidi e dalle bevande alcooliche, e per un'ora dalle bevande non alcooliche. Non si fa più questione né di mattina, né di sera, né di distanza da percorrere per arrivare in Chiesa, né di lavori gravosi, né di ora tarda; non si fa più l'obbligo di consultare un confessore per vedere se si è nelle con-

dizioni giuste per usufruire del permesso. Non si tratta più di concessione che riguardi questa o quella categoria di persone, ma di una legge che riguarda tutti i fedeli, in ogni luogo » (*L'Osservatore Romano*, l. c.).

23. Adhibita in hoc articulo phrasis « non si fa più questione » (idest « silentio praeteritur »), in se sola et ex communi iure non est sufficiens ratio asserendi « abrogationem ». Nullo enim iuris principio « *merum et solum silentium* » declaratur vel admittitur tamquam sufficiens ratio asserendi prioris legis abrogationem. Ut ergo haec argumentatio, in articulo adhibita, probaret « abrogationem », provocari deberet ad indolem « authenticae interpretationis » et eventualis « promulgationis », quae in allegatis articuli verbis lateat. Quod theoretice est possibile. Cum articulus subsignatus sit nomine Eminentissimi Cardinalis Pro-Secretarii S. Officii, posset quis censere: auctorem articuli potuisse et voluisse per hunc articulum dare aliquam interpretationem et promulgationem, hoc vel illo sensu « authenticam » et « ligantem ». — Ipsum Pontificem quolibet apto modo, etiam simplici articulo, dare posse authenticam interpretationem et promulgationem, nemo est qui in dubium vocet. Sed neque de alia persona hoc negari potest, ubi primum constet, eam ad hoc a Summo Pontifice esse auctorisatam, eamque, scribendo « articulum », voluisse hac auctoritate, a Summo Pontifice data, uti. — In casu est ergo « quaestio facti », an Eminentissimus articuli Auctor articulo hunc sensum et hoc pondus dare *voluerit*. Praesumptio stat pro negatione. Nam arti-

culus, quamvis dici debeat « officiosus » (cf. supra n. 7), nullatenus praesumendus est « interpretativus » sensu iuridico, sed *explicativus*. — Articulus supponit documentum, de quo agit, in se esse clarum, illudque secundum *hunc* sensum clarum *exponere* intendit. Si autem articulus ulterius progredi voluit — (quod probandum est) — et si auctor articuli per articulum lectores « ligare » intendebat ad admittendum sensum in articulo expositum, (sed in ipso Documento Pontificio non univoce significatum): tunc redeunt consideranda, quae modo de interpretatione, hoc vel illo sensu « authentica », memorata sunt; cf. supra n. 5, versus finem.

24. Sed notari debet hoc: Dictus articulus Cardinalis Pro-Secretarii S. Officii, agendo de *n.* 1 Motu Proprio, qui est de Missis postmeridianis, omnino non applicat generalem illam phrasim « non si fa più questione » (idest: « siletur ») ad respectivas pristinas limitationes neque concludit: ergo censeri debent « abrogatae ». Memorat quidem aliquam « limitationem » quoad hoc Indultum numeri primi, — (quae sic sonat: « si bonum spirituale notabilis partis fidelium id postulet ») —, sed est limitatio posita *in* ipso Motu Proprio et relatem *ad* ipsum, non relate ad documenta priora; hanc limitationem articulus dicit « unicam ». De immutatione Indulti Missae et Communiones vespertinae, contenti in *pristinis* Documentis (Constitutione-Instructione) articulus tacet. Nulla ergo quoad horum Documentorum respectivas limitationes earumque abrogationem « authentica in-

terpretatio » vel « promulgatio » per hunc *articulum* dici potest esse data. — Sed ulterius progrediendum est: S. Officium *explicite negavit*: limitationem Communionis vespertinae ad Missam vespertinam, et prohibitionem Communionis vespertinae, independenter a Missa vespertina, esse abrogatam.

25. Die enim 13 Aprilis 1957, iussu et mandato S. Officii (prout supra iam est dictum) cum Professoribus Universitatis Gregorianae, Romae, haec notificatio communicata est:

« Ad Professores Universitatis. Cum in Urbe circumferantur laxiores sententiae de horis quibus S. Communionem fidelibus distribuere licet, Rectori Universitatis auctoritative communicatum fuit, ut omnibus Professoribus notum redderet, iuxta mentem S. S. Congregationis S. Officii, nihil per Motu Proprio « Sacram Communionem » d. d. 19 Martii 1957 hanc circa rem mutatum fuisse relate ad ea quae in Instructione eiusdem S. S. Congregationis d. d. 6 Januarii 1953 proponebantur.

Sic ergo cum agitur de tempore vespertino, Communio distribui potest tantum « *intra* Missam vel proxime *ante* vel *statim* post » (N. 15). *AAS.*, 1953, p. 50). — Romae 13 Aprilis 1957.

26. Ex hac *officiali* Notificatione S.S. Congr. S. Officii innotescit:

1) Pristina limitatio et ligatio distributionis Communionis vespertinae ad Missam vespertinam per Motu Proprio *non est abrogata;* sed perdurat; effertur in Notificatione: « nihil ... esse mutatum »; (cf. quae supra n. 19 sub 4 de tali per ca-

nones 821 et 867 § 4 stabilita « ligatione » inter « Missam » et « Communionem » notata sunt).

2) Haec negatio abrogationis est *interpretatio Actus Pontificii, presse dicti,* idest Motu Proprio. Dicitur enim in Notificatione nihil mutatum esse per « Motu Proprio ». — Recurrunt quae supra n. 3 notata sunt de relatione iuridica, vigente inter Actum alicuius Sacrae Congregationis et Actum Pontificium. Prae oculis autem habeatur et diligenter perpendatur : requisitam illam specialem « auctorisationem » ex parte Pontificis nulli determinatae formae alligari, sed *quolibet modo apto* fieri posse.

3) Secundum Notificationem, iussu S. Officii communicatam, in casu *interpretatio huius Actus Pontificii mensuram habet* — (utique : vi auctorisationis Pontificiae) — « *mentem S. Officii* ». Dicitur enim in hac Notificatione : « iuxta mentem S. S. Congregationis S. Officii nihil per Motu Proprio hanc circa rem fuisse mutatum ».

4) Notificatio, nomine S. Officii facta, interim *non ligat nisi eos, quibus data est;* quippe quae non habet characterem Decreti generalis; nihilominus omnibus inservire potest *ad mentem S. Officii et ipsius Pontificis* cognoscendam. Speciatim hic in memoriam revocentur, quae supra n. 5, alinea 2 dicta sunt de eruenda certitudine ex « indiciis » et « factis concludentibus », tum quoad mentem et voluntatem ipsius Pontificiis, tum quoad requisitam specialem auctorisationem, datam per Summum Pontificem Sacrae Congregationi S. Officii.

5) Notificatione S. Officii sententia quae sta-

tuit: limitationem Communionis vespertinae ad Missam vespertinam esse abrogatam, *qualificatur* non solum ut « erronea », sed ut « *laxior* »; qui terminus in campo morali dicit disqualificationem diffamantem; sed forte hoc loco efferre vult solummodo iuridicam interpretationem « latiorem », non « laxiorem » sensu morali.

Haec ex parte *inquisitionis iuridicae* de obiecto et de momento « Notificationis », iussu C. Officii die 13 Aprilis 1957 datae, notanda sunt.

27. De eodem obiecto - (scl. de ligatione s. communionis cum Missae celebratione) - restat inquisitio iuridica facienda in canonem 867 § 4. Quod attinet ad licitam distributionem communionis vespertinae, independentem a Missa vespertina, iam anno 1953 - (et hodie multo magis est) - orta fuit discussio de sensu et usu canonis 867 § 4, in specie quoad eius finalem clausulam « nisi aliud rationabilis causa suadeat ». De qua quaestione in pristino Commentario (Periodica,, 1953, pg. 81, n. 38) defendebatur sententia: frustra provocari ad hanc clausulam, ut probetur, licitam esse distributionem Communionis vespertinae independenter a Missa vespertina; nam, (independenter a qualibet alia consideratione), hunc canonem et hanc clausulam per n. 15 Instructionis S. Officii d. d. 6 Januarii 1953 omni vi practica destitui quoad Communionem vespertinam *extra* Missam vespertinam. — Sed iam tunc temporis (1953) alii huic in hoc Folio periodico defensae sententiae se opposuerunt; hodie numerus ita sentientium (saltem interim) est multo maior; nam modo exposita

« Notificatio » S. Officii relative paucis est nota; et insuper, si est nota eos, ad quos non est data, non ligat. Supra allegatus libellus Emi. Cardinalis Ottaviani « Il digiuno eucaristico » (pg. 7-8 sub. n. 1) agit quidem de sensu et vi canonis 867 § 4, sed non est in manu quasi omnium, neque est in sensu iuris « Actus Sacrae Congregationis S. Officii », licet « mentem » S. Officii indubie manifestet, et sic novum fundamentum suppeditet ad eruendam (via deliberationis) voluntatem obligantem et S. Officii et ipsius Summi Pontificis, (modo qui supra n. 5 expositus est). — Denique « *Responsa particularia* » a S. Officio, ad Ordinarios data, sunt quidem in pleno sensu iuris *Acta ipsius S. Congr. S. Officii,* sed immediate valent solummodo pro iis, quibus dantur; ligant « *omnes* », solummodo via deliberationis indirectae, (modo memoratae).

28. At iuvat instituere aliquam *inquisitionem iuridicam* canonis 867 § 4, prout haec paragraphus est *in se,* (idest praescindendo a recentibus Documentis Sanctae Sedis de Communione vespertina).

De paragrapho, sic considerata, haec videntur statui posse:

1) Non *ad beneplacitum singulorum* distribui potest s. Communio etiam aliis horis, quam quibus Missae sacrificium offerri potest; tota enim paragraphus secus non haberet ullum sensum. Neque « rationabilis causa », quae in § 4 nominatur, haberi potest mera cuiuslibet voluntas communicandi, licet sine ulla difficultate consuetis horis missae celebrandae eam recipere possit.

2) Canone ex altera parte non statuitur: « rationabilem causam » haberi non posse, nisi urgente aliqua *necessitate communicandi*: nihil huiusmodi habetur in textu canonis. Sed neque e contrario innuitur: semper adesse rationabilem causam, si qualiscumque « necessitas » occurrerit.

3) Canone non statuitur: exstante rationabili causa s. Communionem posse distribui, supposita *licentia Ordinarii*. De requisita « licentia Ordinarii » ad applicationem huius canonis nullibi est sermo; speciali « licentia », (supposita rationabili causa) iam data est *ex iure*. — Si dein quaeritur: quisnam sacerdos sit competens ad s. Communionem *extra Missam* distribuendam, valet norma canonis 846 § 2: « Etiam extra Missam quilibet sacerdos eadem facultate (idest: administrandi communionem) pollet ex licentia saltem praesumpta Rectoris ecclesiae, si est extraneus ». Sed *hoc* canone 846 § 2 nihil statuitur quoad communionem extra Missam distribuendam *horis, quibus Missae celebratio non est permissa,* (cf. can. 821 § 1). — Utrum etiam his horis quilibet sacerdos sit tum ad distribuendum s. communionem competens, tum etiam competens ad ferendum iudicium, num in casu habeatur « rationabilis causa », in hoc canone 846 § 2 non dicitur; haec quaestio ex aliis principiis iuris solvi debet.

4) « Causa rationabilis » (et rationabilissima) accedendi ad s. Communionem *extra horas, quibus Missa dici potest,* haberi potest et est primo loco *tam urgens et toties repetita invitatio S. Pontificis* ad frequentem et quotidianam Communionem; *limitatur* tamen applicabilitas huius « cau-

sae rationabilis » ex altera parte per veram et seriam impossibilitatem accedendi sive horis antemeridianis, sive postmeridianis horis, quibus Missa dicitur, quia secus clausula paragraphi quartae careret sensu.

Ideo, spectato *solo* canone 867 § 4, spectata eius clausula finali « nisi aliud rationabilis causa suadeat », *praescindendo ab explicita prohibitione S. Officii,* concludendum esset: exstante seria piaque voluntate communicandi, iuncta simul cum vera et seria impossibilitate obiectiva communicandi horis Missae, distributio communionis extra horas Missae canone 867 § 4 permittitur. At bene notetur: hanc conclusionem non esse nisi limitatem et condicionatam, scl.: *si* solus canon 867 § 4 attenditur; sed non potest *solus* attendi, simul attendi debet explicita prohibitio S. Officii.

29. Post Motu Proprio ab aliquibus, ut probent distributionem Communionis horis postmeridianis fieri posse *extra Missae horas,* consideratio non recta est instituta circa canonem 867 § 4. Hi arguunt ita: ex canone 867 § 4 distributio extra horas Missae ex causa rationabili est licita; ex Motu Proprio Missa postmeridiana omni die et omni hora est licita; ideo ex utroque hoc textu simul sumpto deduci potest et debet: « Hodie ex rationabili causa distributio Communionis extra Missae tempus omni die omnique hora (postmeridiana) est licita ».

Haec argumentatio accurato examini debet subici. Innititur falso fundamento; procedit enim ex hoc, quod ipsum Motu Proprio *Missae postmeridianae celebrationem* permittat, et quidem omni die et hora. Tale quid per Motu Proprio non statuitur, sed statuitur: Ordinarios locorum posse omni die (ex necessitate boni communis fidelium) *concedere licentiam celebrandi* Missam horis postmeridianis. Sed lex *concedens facultatem permittendi* ce-

lebrationem est omnino aliud quid, atque lex concedens ipsam *celebrationem*.

Dein Canone 867 § 4 non permitti distributionem communionis *ad simplicem lubitum et gustum* cuiusvis christifidelis, dictum iam est; in tali enim suppositione paragraphus quarta canonis esset omnino superflua et otiosa.

30. Instantia contra distributionem Communionis extra horas Missae, petita ex hoc, quod Constitutione Apostolica « Christus Dominus » et per Motu Proprio « Sacram communionem » inprimis intendatur *assistentia Missae*, et tandem secundo loco *susceptio Communionis*; et quod haec Legislatoris intentio periculo frustationis exponeretur, permissa distributione Communionis independenter a celebratione Missae: haec observatio vi et pondere non caret. Nihilominus non nimium debet premi, secus ipso textu n. 15 Instructionis refutatur, quae explicite liberat fidelem, communicantem occasione Missae vespertinae, ab omni obligatione assistendi Missae. Hic enim fidelis potest *ante* Missam communionem recipere et dein, non audita Missa, recedere; potest etiam (Missa non audita) statim *post* finitam Missam accedere et s. synaxim sumere.

Instantia autem haec vi caret in casibus, — (quique soli serio attendi debent) —, in quibus obiectiva impossibilitas communicandi occasione Missae postmeridianae habetur - (vel quia Missa postmeridiana non est, vel quia accessus ad eam est vere impossibilis, impossibilitate sive physica, sive morali, proportionate gravi) - et in quibus casibus *simul* exstat serium graveque communicandi desiderium. — In his vero casibus quaestio non est, an s. Communio extra horas Missae fidelibus eam rationabiliter petentibus, spectato solo canone 867 § 4, *debeat* distribui, sed an distribui *possit*. Nam etsi ex una parte s. Communio tunc licite distribui posset, tamen ex altera parte graves rationes esse possunt, cur de facto non distribuatur.

31. Anno 1953 in Commentario huius Folii periodici fuit scriptum:

« Adesse posse in certis territoriis ob peculiares rationes quandam veram convenientiam vel etiam necessitatem distribuendi horis vespertinis s. Communionem sine Missae celebratione, forte non debet negari. Si ita est, fiat recursus ad S. Sedem et petatur speciale INDULTUM. Sed ex lege lata, idest ex CONSTITUTIONE et INSTRUCTIONE, talis licentia distribuendi vel recipiendi communionem vespertinam independenter a Missae vespertinae celebratione, deduci omnino nequit ». (l. c., pg. 81).

Idem hodie statui debet post publicatum « MOTU PROPRIO », attenta simul Sacrae Congregationis S. Officii contra certas laxiores sententias et tendentias reactione, de qua supra n. 25 et 26 actum est. Retineri ergo omnino debet: *distributionem s. Communionis independenter a Missae celebratione esse prohibitam.* Sed his S. Officium non absolute prohibet, quominus S. Communio, « *quandoque* », idest non in millibus millibusque casibus, horis postmeridianis distribuatur, vi extremi commatis par. 4, c. 867: « Nisi aliud rationabilis causa suadeat ».

CONCLUSIO TOTIUS PARTIS IURIDICAE:

32. Moralistae et Canonistae cauti redditi sunt et per S. Officium edocti: « INDULTA » (nn. 1. 2. 4.) huius MOTU PROPRIO non posse per modum unius tractari, nec posse omnia uni eidemque iuridico principio interpretationis subici, sed aliter sentiendum esse de INDULTO n. 1, et aliter de INDULTIS n. 2, et 4. Quoad INDULTUM numeri 1 interpretatio S. Officii sese approximat ad normam canonis 23; quoad INDULTA vero n. 2 et 4 assumit normam canonis 22. Unde est, quod pro Canonista

et Moralista nova lex « Sacram Communionem » secundum quid cessavit esse lex tam clara, simplex ac limpida ut vel ab infante capi queat, sed quoad *iuridicam structuram* evasit lex intricata et diligentem considerationem exigens. Lex enim haec obiter et superficialiter legenti apparet quidem aliquod « unum » et « totum », exhibens uniformem materiam (scl. « Indulta »), quam materiam quis facile putaverit uni etiam eidemque iuridico interpretationis principio subesse. Hic autem primus et superficialis aspectus veritati obiectivae non correspondet; sed *duo diversa* interpretationis principia eidem, uni et toti, legi atque materiae sunt applicanda. Neque dici potest: talem « duplicitatem interpretandi » in iure admitti non posse. Reprobatio sic universaliter posita est irrita. *Legislator* enim ipse (neque minus persona ab ipso auctorisata) diverso modo circa unam eandemque legem, circa unam eandemque unius eiusdem legis materiam (Indulta) diversimode (et valide et licite) procedere potest. Hoc in dubium vocare nullus Moralista vel Canonista potest; et id quod Legislator, ita agendo, facit, est « ius », minime merus « ludus et lubitus iuris ». Moralistae autem et Canonistae « idem facere » revera non esset « ius », sed « iuris ludus et lubitus ». Canonista enim et Moralista unam hanc eandemque legem (idest Motu Proprio) et huius legis unam eandemque materiam (idest Indulta) pertractans, cum lex ipsa (Motu Proprio) non praebeat indubitatam et certam ansam aliter et aliter agendi, sequi debet normam *unam*: aut canonem 22 aut canonem 23. Et si pro neutrius

canonis usu ad certitudinem pervenire valet, sed in dubio haeret, sequi debet praesumptionem iuris pro hoc casu Dubii in ipso hoc canone 23 stabilito, scl. lex posterior quoad partem conciliabilem ad priorem legem trahi atque cum priore lege conciliari debet; et prior lex quoad partem conciliabilem non est eliminanda.

Sic absolvitur huius articuli pars altera quae est « *iuridica* ».

F. Hürth, S. I.

DE VALIDITATE SIC DICTI "NAIEN„

Anno 1955 iterum editum est Directorium Commune ad usum totius cleri in Iaponia. Prima editio habita fuerat anno 1937. Rationes et finis huius novae editionis aperte indicantur in praefatione ipsa, nempe: « Cum post ultimum bellum rerum conditiones in Iaponia valde mutatae sint simulque multi novi Missionarii advenerint, qui indigent normis uniformibus pro Apostolatu » et « ut omnes praecones Evangelii, sive iaponenses sive exteri, mentibus et viribus unitis, uniformiter in Apostolatu procedant » ...

Hoc anno autem in conventu Ordinariorum Iaponiae habita in urbe Tokyo inito mensis Maii, una cum nova editione directorii 1955, quae iam de se multum ampliaverat editionem anni 1937, factum est publici iuris fasciculum quoddam continens « Emendanda et addenda in Directorio Communi ». In hoc fasciculo nulla habetur emendatio circa articulum respicientem matrimonium infidelium contractum secundum traditionem, at nondum registratum secundum quod requirit lex positiva huius nationis: quod matrimonium vocatur praecise Naien.

Art. 230 novi Directorii communis de sic dicto Naien hoc statuit:

« Matrimonia inter duos infideles contracta et non registrata apud magistratum civilem, stante

controversia de interpretatione legis civilis japonensis, haberi possunt ut dubia relate ad applicationem huius canonis de Privilegio Fidei ».

E contra in schemate ipsius Directorii de hac re legebatur:

« Sola omissio registrationis matrimonii coram magistratu, non facit matrimonium dubium. Proinde etiam in hoc casu fieri debent interpellationes ad normam supra expositorum ».

In antiquo autem Directorio art. 222 dicebatur:

« Stante controversia de interpretatione legis civilis, Matrimonia infidelium inita contra art. 778 cod. iaponici, quo dicitur nullum esse matrimonium apud officialem civilem non denuntiatum, haberi possunt dubii valoris. Quapropter ad usum privilegii Paulini quod attinet, haec matrimonia habenda sunt valida vel invalida prout via aperitur ad usum Privilegii. Ad alios autem casus quod attinet standum est pro eorum validitate, dummodo matrimonium fuerit celebratum cum caerimonia traditionali (san-san-ku do) vel consensus alio modo sufficienter fuerit manifestatus ».

Si haec tria comparentur inter se facile apparet:

a) art. 222 posse dividi in tres partes.

b) assertionem art. 230 novi Directorii correspondere primae parti art. 222 antiqui Directorii et esse contradictoriam assertioni quae habebatur in schemate.

c) assertionem schematis correspondere tertiae parti art. 222 antiqui Directorii, idest stat pro validitate sic dicti Naien.

d) nullam esse mentionem secundae partis rt. 222 sive in schemate sive in art. 230 novi Directorii.

Ut haec dicta bene intelligantur, habeatur prae oculis sequens schema:

Art. 222 antiqui Directorii. 1a. pars. Stante controversia de interpretatione legis civilis, Matrimonia infidelium inita contra art. 778 cod. iaponici, quo dicitur nullum esse matrimonium apud officialem civilem non denuntiatum, haberi possunt dubii valoris.	Art. 230 novi Directorii. Matrimonia inter duos infideles contracta et non registrata apud Magistratum civilem (Naien), stante controversia de interpretatione legis civilis japonensis, haberi possunt ut dubia relate ad applicationem huius canonis de Privilegio fidei.
2a. pars. Quapropter ad usum Privilegii Paulini quod attinet, haec matrimonia habenda sunt valida vel invalida prouti via aperitur ad usum Privilegii.	
3a. pars. Ad alios autem casus quod attinet standum est pro eorum validitate, dummodo matrimonium fuerit celebratum cum caerimonia traditionali (san-san-ku do) vel consensus alio modo sufficienter fuerit manifestatus.	Schema novi Directorii. Sola omissio registrationis matrimonii coram magistratu, non facit matrimonium dubium. Proinde etiam in hoc casu fieri debent interpellationes ad normam supra expositorum.

Dici posset art. 222 antiqui Directorii redolere quadam obscuritate, arbitrarietate et inintelligibilitate.

Matrimonium enim infidelium sine registratione civili (Naien) consideratur in prima parte

articuli ut dubium, in secunda parte articuli ut invalidum vel validum, in tertia parte articuli ut validum, quasi institutio Naien esset talis, cuius natura non penderet a normis quibusdam obiectivis, inde ab eius initio existentiam vel non existentiam alicuius vinculi determinantibus, sed potius posset ad libitum mutari, pro opportunitate, ad aliquem finem obtinendum, sive iste sit naturaliter bonus sive etiam sit altioris ordinis.

Insuper pars illa secunda, sicuti iacet omnino sensum non habere videtur, cum ad usum privilegii Paulini requiratur ut fundamentum matrimonii vinculum naturale in infidelitate valide contractum.

Oportet recognoscere quod haec obnubilosa positio non invenitur sive in art. 230 novi Directorii sive in eius schemate.

Attamen dum art. 230 novi Directorii retinendo primam partem tantum, seu positionem dubii, emendat secundam partem referendo se ad c. 1127 Codicis iuris, Schema Directorii adoptat tertiam partem tantum, quae stat pro validitate, et eliminat secundam partem insistendo in necessitate interpellationum et recte remanendo in stricto campo sic dicti Privilegii Paulini.

Hae duae positiones sunt clarae attamen contradictoriae. Alia asserit: « Matrimonia non registrata apud Magistratum civilem ... haberi possunt ut dubia »; alia vero: « Sola omissio registrationis matrimonii coram magistratu non facit matrimonium dubium ».

Exurgit spontanea quaestio: quaenam ex his duabus positionibus vera est et recta.

Positio dubii adhibita a novo Directorio apparet ut fructus alicuius controversiae, quae dicitur hucusque insolutae [1], cuius una pars militat pro invaliditate, altera vero pro validitate matrimonii infidelium hic in Iaponia contracti et non registrati apud magistratum civilem.

Sententia propugnans invaliditatem sic dicti « NAIEN ».

In favorem huius sententiae, sicut videre liquet ex « *Missionary Bulletin* » [2] dicuntur militare: CORRE, CHABAGNO, TOMIZAWA, VROMANT, SZUMILLO. Scripta horum sunt sequentia:

CORRE J. M., *Notae addititiae ad P. Gury.* Hongkong 1904.

CHABAGNO J., *Le Mariage des Infideles.* Yokoama 1913.

TOMIZAWA T. B., *Jus Missionarium.* Roma 1945.

VROMANT G., *De Matrimonio.* Paris 1952.

SZUMILLO M., *Is the Naien valid?* Missionary Bulletin 1954, p. 135.

— *Casus conscientiae.* Missionary Bulletin 1955, p. 30.

— *Is the Naien valid?* Missionary Bulletin 1955, p. 301.

---

[1] Ita J. DEFOURNY in *Missionary Bulletin* June 1956, p. 378. Hic tamen in corpore articuli et in nota videntur commisceri duae quaestiones. Prima quaestio: Est ne Naien naturaliter validum vel invalidum? Secunda questio: Voluit ne legislator invalidare matrimonium non registratum?

Hae duae quaestiones non sunt reciprocae. Prima potest solvi vel omnino non adesse etiam manente secunda.

[2] *Missionary Bulletin* 1955 p. 302; 1956 p. 378.

Ex his VROMANT excludendus est propter sequentes rationes:

1ª. Nihil directe dicit de NAIEN, cuius naturam et circumstantias neque cognoscit, neque cognoscere tenetur.

2ª. In his quae indirecte referuntur ad quaestionem dependet a CHABAGNO, quem citat, nihil novi addendo [3].

3ª. In his quae asserit circa art. 739 novi Codicis Iaponensis prout forma civilis sit irritans matrimonium [4], nullo modo loquitur de NAIEN nec hanc quaestionem solvere intendit, sed tantum loquitur in abstracto, innixus sola lectione illius articuli, valde tamen sapienter se remittens in casu ad ea quae statuit circa vim irritantem legislationis civilis [5].

---

3 G. VROMANT, *De Matrimonio* p. 18, ubi Chabagno adducitur inter auctores qui tribuunt principi civili potestatem constituendi pro infidelibus impedimenta etiam dirimentia.

4 G. VROMANT, *De Matrimonio* p. 430 et p. 219.

5 G. VROMANT, *De Matrimonio* p. 220 in nota (1) dicit: Cfr. n. 23 h. o., et in nota ad hunc numerum in p. 25 dicit: Dubium tamen moveri possit num haec omnia sint impedimenta proprie dirimentia: cfr. n. 20. Hic numerus continetur in pp. 22-23. Quia continentur in ipso animadversiones maximi momenti, integer hic transcribitur.

« Quoad vim irritantem legislationis civilis, cum non facile constet de vi proprie irritante impedimentorum in variis legislationibus conditorum, saepe opportum erit, antequam iudicium proferatur de nullitate vinculi cum certo impedimento civili contracti, praevie recursum instituere ad S. Sedem.

Et revera dicendum est mentem et conceptum iuridicum civilem, praesertim apud Orientales, nonnunquam magnopere differre a nostro conceptu, ita ut effectus impedimentorum dirimentium sit generatim mera rescindibilitas contractus, quin matrimonium dicendum sit nullum ab initio. Propterea iure meritoque monebat

Alii quattuor supponuntur et tenentur cognoscere naturam sic dicti Naien et eius circumstantias. Tamen etiam ex his excludendus est Corre, qui revera quaestionem de validitate Naien non facit [6].

Remanent Chabagno - Tomizawa - Szumillo. Hi tres sunt in eadem linea aperte asserentes nullum vinculum exurgere ex matrimonio inito a Iaponensibus infidelibus secundum caerimoniam aliquam traditionalem et non registrato apud magistratum civilem. Adhuc isti tres assertores ita connectuntur inter se ut tandem aliquando tota vis huius assertionis reducitur ad illam quae invenitur in opusculo auctoris Chabagno et ita in auctorem istum putamus refundendam esse totam eius responsabilitatem.

Nisi enim Chabagno scripsisset, neque Tomizawa hanc positionem forte accepisset [7], neque

---

De Becker: « Prudenter ..., in hac re, procedendum est, et prius serio perpendendum ... utrum, implicite saltem intentionem habuerint legislatores veram faciendi legem, seu ordinationem, vinculum quoddam in conscientia producentem: fieri enim potest legislatores nequaquam intendisse aliquid statuere circa vinculum ipsum matrimoniale, sed tantummodo circa effectus et consectaria temporalia matrimonii ». Interdum solvi poterit dubium perpendendo consuetudinem regionis, — necnon praxim et iurisprudentiam tribunalium civilium ».

[6] Hic auctor in suo opere: Notae addititiae ad P. Gury, in p. 311 hoc tantum dicit: « In lege Japonica, impedimenta quae ipso facto matrimonium dirimunt, sunt tantum duo, scilicet, error personae aut quilibet alius defectus consensus, et defectus consignationis in Regesto civili ». Clarum est hic considerari tantum aspectum legalem et quidem in abstracto. Haec positio nihil prodest ad solvendam quaestionem de validitate naturali matrimonii non registrati.

[7] Tamen oportet notare quod Tomizawa, nunc Eccellentissimus Episcopus Sapporensis, scripsit de hac re duodecim ante an-

postea Szumillo quae dicta fuerant repetiisset. Immo notare oportet quod dum in Chabagno constanter invenitur aliqua autocritica quae denotat eum non satis contentum esse de sua positione ita ut etiam in appendice sui opusculi aperte dixerit: « Aussi, nous croyons que, pour se marier validement, il suffit aux infideles japonais d'observer la loi naturelle et les lois du code civil »[8], haec autocritica in Tomizawa et Szumillo gradatim minuitur.

Nunc quia scripta auctoris Chabagno et auctoris Tomizawa non sunt apud omnes, reservamus accuratam expositionem et confutationem eorum quae statuunt, semper tamen cum debita reverentia, in opere maiori quod praeparamus. Resumimus ad confutandam, positionem huius assertionis sicut propugnatur a Szumillo, quae cum apparuerit in *Missionary Bulletin* omnes cognoscere possunt.

Ceterum bene notandum est fulcrum totius argumentationis et ea quae praecipua sunt, communia esse tribus auctoribus.

Resumimus supradictam positionem numeris sequentibus:

1) Opinio tribuens auctoritati civili ius determinandi legem naturalem et legem positivam divinam circa matrimonium ... infidelium confirma-

---

nos, dum parabat Romae suam thesim doctoralem, neque ibi opportunitatem habuit utendi ad libitum fontibus japonensibus.

8 J. Chabagno, *Le mariage des infideles* p. 122.

tur ab omnibus canonistis modernis et a praxi Sànctae Sedis [9].

2) Auctoritas civilis ius habet determinandi legem naturalem relate ad matrimonium infidelium instituendo impedimenta sive impedientia sive dirimentia et praescribendo formam sub poena nullitatis.

Atqui auctoritas civilis hic in Iaponia praescribit sub poena nullitatis formam celebrationis matrimonii, id est registrationem apud magistratum civilem.

Ergo hic in Iaponia matrimonia non registrata apud magistratum civilem sunt nulla ex duobus capitibus nempe ex parte legis civilis et ex parte legis Ecclesiae [10].

3) Auctoritas Directorii communis antiqui, publicati anno 1937, in art. 222 [11].

4) Auctoritas Chabagno et Tomizawa. Praesertim de hoc ultimo dicit probasse per longum et latum Naien esse invalidum et de hac re scripsisse librum [12].

5) Conquestio de aliqua sententia contraria quae pro se nullum scriptum adducere potest [13].

6) Asseritur Naien nullum habere ius et officium veri matrimonii. Haec assertio probatur ex hoc quod qui transit ex Naien ad aliam relationem matrimonialem registratam non consideratur ut bigamus et punitur [14].

[9] *Missionary Bulletin* 1954 p. 136.
[10] *Miss. Bull.* 1954 pp. 136-137.
[11] *Miss. Bull.* 1954 p. 138.
[12] *Miss. Bull.* 1954 p. 138; 1955 p. 301.
[13] *Miss. Bull.* 1954 p. 138.
[14] *Miss. Bull.* 1954 p. 139; 1955 p. 303.

7) Asseritur NAIEN in tribunalibus considerari ut « prostitution » « mekake » et nunquam ut verum matrimonium [15].

8) NAIEN nequit recognosci ut consuetudo vera, legalis. Caerimonia san-san-ku do et aliae huiusmodi sunt illegales [16].

9) Factum quod qui NAIEN abrumpunt damnantur ad aliquid solvendum non tangit quaestionem de existentia alicuius vinculi naturalis [17].

10) Asseritur ex auctoritate Prof. Takanashi, registrationem omitti tantum hac media: 10 % [18].

11) Lex art. 739 cod. iaponici est honesta et iusta, proinde imponit obligationem moralem subditis [19].

12) Si Iaponenses interrogentur utrum NAIEN sit verum matrimonium vel non, certe respondebunt: non [20].

13) Argumentum a pari: Sicut catholicus qui non servaverit formam non potest praetendere matrimonium suum esse validum ex hoc quod consensus adest, ita etiam infidelis qui non servaverit formam praescriptam sub nullitate ab auctoritate civili [21].

14) Argumentum praesumtpionis: Pro omni

---

15 *Miss. Bull.* 1954 p. 139.

16 *Miss. Bull.* 1954 p. 139; 1955 p. 302.

17 *Miss. Bull.* 1954 p. 139. Haec videtur esse significatio illorum verborum: « Nor do the officially authorized grants of alimony, ichiji-shikin, fujoryo, compassionate allowances to a surviving family or similar payments affect the situation ».

18 *Miss. Bull.* 1954 p. 139 in fine.

19 *Miss. Bull.* 1954 p. 140.

20 *Miss. Bull.* 1955 p. 302.

21 *Miss. Bull.* 1955 pp. 302-303.

canonista hodierno clarum est legem hic in Japonia invalidare sic dictum NAIEN [22].

15) Ex argumentis supra resumptis deducitur assertio sine ullo dubio et hesitatione NAIEN esse invalidum et in casu Privilegii Paulini interpellationes non requiri [23].

Sententia docens ex sic dicto NAIEN *exurgere vinculum naturaliter validum.*

In favorem huius sententiae, sicut videre liquet ex *Missionary Bulletin* [24] militant HEUZET et MARTIN.

Scripta horum sunt sequentia:

HEUZET A., *Le Mariage et la loi japonaise.* Hongkong 1935.

MARTIN J. M., *Epistula quaedam ad redactorem.* Missionary Bull. 1955.

His adiungendus est DEFOURNY J., qui quamvis explicite positionem non accipiat, tamen in hanc sententiam, ni fallimur, inclinare videtur [25].

Epistula J. M. Martin non praetendit esse opus scientificum. Sed potius est vox dolorosa sensus communis. In hac epistula breviter sed obiective

a) resumitur historia quaestionis

b) statuitur sententiam Chabagno receptam non fuisse a Missionariis eiusdem Societatis

d) indicat aliquem scripsisse in favorem huius sententiae: HEUZET.

---

[22] *Miss. Bull.* 1954 p. 137.
[23] *Miss. Bull.* 1954 p. 140.
[24] *Miss. Bull.* 1955 pp. 155-156.
[25] *Miss. Bull.* 1956 pp. 377-378.

e) insinuat desiderium quod problema tractetur cum serietate et circumspectione [26].

Heuzet A. in suo opusculo 26 pagellarum hoc modo procedit:

1) Facit suam sententiam negantem in auctoritati civili ius determinandi sub poena nullitatis impedimenta et formam quoad matrimonia infidelium [27].

2) Breviter innuit consuetudinem contrahendi matrimonium in Iaponia et innovationem habitam per promulgationem Codicis tempore Meiji a. 1898. Ex tenore huius innovationis conatur insinuare mentem legislatoris non fuisse, praesertim quoad ius familiare, irritare ius consuetudinarium [28].

3) Proinde tenet ut veram opinionem asserentem legislatorem in art. 775 veteris codicis noluisse irritare, ex defectu registrationis tantum, vinculum naturale matrimonii contracti secundum consuetudinem, sed tantum considerasse aspectum iuridicum positivum [29].

4) Inter alias observationes ad positionem suam comprobandam, sic argumentatur ex ipsa redactione art. 775: « En effet, dans toutes les législations qui lui ont servi de modèle pour rédiger son Code, à ce sujet, il est question de la célébration du mariage devant l'officier de l'état civil compétent qui reçoit le consentement des futurs devant les témoins et, les déclarant unis de-

---

26 *Miss. Bull.* 1955 pp. 156-157.

27 Heuzet, *Le Mariage et la Loi Japonaise,* pp. 5-10.

28 Heuzet, *Opus citatum,* pp. 11-12.

29 Heuzet, *Opus citatum,* pp. 12-13.

vant la loi, inscrit le mariage contracté devant lui sur les régistres de l'état civil. Cod. Franç. art. 165.

Pourquoi donc le législateur japonais ayant ce texte clair devant les yeux, ne l'a-t-il pas copié tout simplement, mais remplace intentionnellement cette *célébration* par la seule *déclaration?* Ce qui est tout différent.

La célébration comporte toutes les formalités qui constituent le contrat et le font exister, tandis que la simple declaration ne constitue pas l'acte déclaré « in suo esse ». Elle dit seulement qu'une chose existe ou n'existe pas, mais ce n'est pas elle qui fait que cette chose existe ou n'existe pas. La chose est telle avant toute déclaration [30].

5) Aliud argumentum est ex modo quo populus iaponensis interpretatur et observat legem istam. Hunc modum breviter resumit et inde concludit: « Donc le peuple dans sa très grande majorité, reconnait au contrat de mariage une base primordiale et principale, autre que la déclaration. D'ou il faut conclure que cette déclaration n'est pas ce qui constitue la validité du mariage devant la conscience et le droit naturel, bien qu'elle soit nécessaire pour la validité devant la loi » [31].

6) Aliud argumentum ex auctoritate peritorum in iure, quorum tamen nomina non refert. « Des Jurisconsultes éminents consultés par le P. Raguet lui ont répondu que ce mot ne signifiait pas une *nullité absolue* quant à la valeur du contrat, mais seulement *relative* quant à ses effets au

30 HEUZET, *Opus citatum,* p. 14.
31 HEUZET, *Opus citatum,* p. 18.

point de vue civil. Et par ces mots, le Législateur a seulement voulu dire : *mitomenai.* Ce mariage n'est pas admis à produire des effets légaux ... la loi ne le connait pas, et cela seulement.

C'est donc dans ce sens qu'il faut comprendre l'interprétation des Juges quand, dit-on, ils ne reconnaissent aucune valeur au mariage non déclaré. Aucune valeur au point de vue legal, oui ... au point de vue naturel, non [32].

7) Argumentum ex auctoritate sententiarum tribunalium, quarum tamen unam tantum refert. « Quand le mari, enfin guéri, sortit de l'hôpital, il ne voulut pas reprendre la vie commune avec sa femme, disant que, en vertu de l'art. 778 n. 2, de la loi, leur mariage, n'ayant pas été déclaré, était nul et non avenu.

La jeune femme, se croyant lésée dans ses droits, attaqua son mari devant les tribunaux qui, en première et seconde instance, donnèrent raison au jeune homme. Le cas ayant été porté devant la Haute Cour, celle-ci donna raison à la jeune femme, reconnaissant que le contrat dit Naien est Valide et Obligatoire en conscience et ne peut être rompu au gré d'un chacun sans donner droit à des compensations pour l'autre partie lésée » [33].

8) Argumentum ex consectariis posita invaliditate naturali sic dicti Naien. Refero tantum duo.

« La très grande majorité, pour ne pas dire la totalité des mariages au Japon commencent par le concubinage et son consommés dans cet état;

---

32 Heuzet, *Opus citatum,* p. 19.

33 Heuzet, *Opus citatum,* p. 19.

et cela pendant des jours, des mois et même des années »[34].

« Que la grand majorité des mariés au Japon sont d'abord *infames* devant la loi naturelle »[35].

9) Ex supra expositis tres ponit conclusiones.

a) « Un mariage célébré *selon les coutumes en vigueur et déclaré* est *valide* selon la *loi naturelle et civile* ».

b) « Un mariage célébré selon les coutumes en vigueur, mais *non déclaré,* est *valide* selon la *loi naturelle,* mais *non reconnu* par le droit civil ».

c) « Un mariage *déclaré seulement,* mais sans aucune autre cérémonie, *valide* selon la loi civile, *doit être tenu pour invalide* devant la loi naturelle; à moins qu'on ne puisse prouver, qu'en dehors des cérémonies habituelles qui n'ont pas été faites, il y a eu vraiment un échange de consentement matrimonial, manifesté d'une manière ou d'une autre »[36].

10) Conclusio finalis. « Si les deux païens mariés *légitimement,* même *sans enregistrement* viennent à divorcer et que l'une des parties convertie désire un nouveau mariage avec une personne catholique, l'interpellation au premier conjoint resté dans l'infidelité est obligatoire »[37].

Perspicuum est nunc duas expositas sententias esse aperte contradictorias. Ad hoc ergo ut positio dubii art. 230 novi Directorii communis iustificari possit, remanet videndum utrum ratio-

---

[34] HEUZET, *Opus citatum,* p. 20.
[35] HEUZET, *Opus citatum,* p. 21.
[36] HEUZET, *Opus citatum,* p. 22.
[37] HEUZET, *Opus citatum,* p. 23.

nes allatae pro unaquaque sententia sint solidae. Etiam enim art. 229 ipsius novi Directorii statuit: « Ad normam c. 1127 in re dubia Privelegium fidei gaudet favore iuris. *Tale autem dubium debet esse dubium verum, id est, debet habere solidas rationes pro et contra* ».

Crisis singularum rationum adductarum a sensentia propugnante invaliditatem sic dicti Naien.

1) 2). Assertio generalis quae continetur in numero 1) et constituit maiorem argumenti in numero 2) est vera tantum in parte [37a] et non quidem absolute, sed conditionate tantum.

[37a] Textus completus huius assertionis est: « This opinion that the State has the power of determining natural and positive divine law regarding marriage even to the extent of establishing diriment impediments and invalidating laws with regard to the marriage of unbaptized people is confirmed by all modern canonist and by the practice of the Holy See ». Cfr. *Miss. Bull.* 1954 p. 136.

Ex oppositione hic habita, Szumillo videtur asserere auctoritatem civilem habere potestatem determinandi legem divinam positivam circa matrimonium baptizatorum per adiectionem impedimentorum saltem impedientium.

Si haec est significatio eius assertionis, oportet dicere quod neque « all modern canonists » neque « the practice of the Holy See » confirmant talem positionem. E contra doctrina communis tenet auctoritatem civilem non posse constituere impedimenta quae attingant validitatem aut liceitatem vinculi, et tantum concedit ipsi facultatem ponendi aliquas conditiones, quae proprie impedimenta non sunt sed observari debent quatenus libere acceptatae fuerint. Cfr. de hac re inter alios: Cappello, *De Matrimonio* 1950 p. 63 seq.; Vromant, *De Matrimonio* 1952 pp. 12-13.

Unde revera dicit nequit quod auctoritas civilis habeat potestatem determinandi legem positivam divinam circa matrimonium.

Quod si opinio illa vult agere tantum de potestate auctoritatis civilis circa matrimonium infidelium, ut ex duobus notis in eadem pagina suspicari potest, tunc concludendum est quod periodus illa sicut iacet hunc sensum non facit; neque intelligitur

Conditio quae semper subintelligitur et verificari debet est sequens: Auctoritas civilis quamvis competens quoad regimen matrimonii subditorum infidelium, nihil facere potest quod sit contra ius divinum aut naturale [38]. Proinde sententia certa et communissima quae prevalere dicitur inter canonistas hodiernos, hoc modo intelligi debet.

Canonistae antiqui, potius in abstracto problema considerantes, tenebant ut rem pacificam principem civilem gaudere plena potestate regendi matrimonium subditorum infidelium. At in decursu temporum, ex contactu cum populis infidelibus et praesertim ex offensiva iuris positivi saec. XVIII, ortae sunt quaestiones quae pacificam possessionem doctrinae antiquorum canonistarum ita concutere visae sunt ut nova sententia contradictoria formulata sit. Haec sententia quae pro se habet clarissimos auctores [39], potius insistens in excellentia et superioritate iuris naturalis supra ius positivum humanum, negabat ex hoc capite principem civilem habere potestatem condendi leges irritantes matrimonium subditorum infidelium.

Sententia quae viget ut certa et communissi-

---

cur posita sint illa verba: « power of determining ... positive divine law ».

[38] Haec conditio non videtur satis considerari a SZUMILLO. In *Miss. Bull.* 1954 p. 136 hoc tantum dicit: « (The State) ... can prescribe nothing against the good of the community »; et in *Miss. Bull.* 1955 p. 302, in quotatione ex Coronata recurrunt verba: « impedimenta ... iuri divino conformia aut eidem non contraria », sed materialiter tantum.

[39] Sufficiat hic tantum aliqua nomina facere: PERRONE, ZIGLIARA, TAPARELLI, LIBERATORE, BILLOT, FEIJE, LEHMKUHL, MARTIN.

ma inter canonistas hodiernos, non est nisi conciliatio quaedam illarum duarum sententiarum.

Retinetur enim, in sententia hodierna, assertio sententiae antiquae, id est: Princeps civilis gaudet potestate regendi, etiam per leges irritantes, matrimonium subditorum infidelium, sed generalitas seu sensus huius assertionis limitatur et determinatur per veritatem explicite propugnatam a sententia nova, quae quidem veritas est: Princeps civilis nihil facere potest contra ius sive naturale sive divinum.

Omnes auctores qui nominantur a Szumillo, ut aliquos tantum nunc ponamus, quando sermo est de attribuenda Principii civili potestate quoad matrimonium subditorum infidelium semper hanc restrictionem faciunt [40].

Mentio peculiaris hic fieri debet de Regatillo, quem Szumillo peculiariter nominat et sequitur. Etiam iste auctor, quamvis sententiam hodiernam cum antiqua omnino identificare videatur, tamen quando sermo est de ambitu potestatis, et ipse

---

40 Ita ex. g. Chelodi, *Ius canonicum De Matrimonio* p. 14 in fine: « Patet autem oportere ut leges sint rationabiles et iuri divino conformes ». Immo hic auctor in initio eiusdem paginae asserit: « Necessarium est ... ut jus naturale ... complementum accipiat, prout ratio temporum et popularum requirit ».

Vlaming, *Praelectiones juris Matrimonii* 1950 p. 61: « In comperto etiam est eos nihil statuere posse vel pronunciare quod adversetur iuri naturali et divino positivo ».

Frezza, Instructio iussu S. Congregationis concinnata, ex « Collectanea S. Congr. De Prop. Fide I » p. 435 in nota: « ... appositis impedimentis quae iuri naturali ac divino adversa non sint ».

Goldsmith J. W., *The competence of Church and State over Marriage*, p. 45 in fine: « The civil authority is bound to have due regard for the praecepts of the natural and divine positive law ».

aperte dicit: Statuere impedimenta ... dirimentia quae iuri divino non adversentur [41].

Haec conditio quae est essentialis ad intelligendam naturam potestatis quae competit auctoritati civili, et proinde ad deducendas in praxi conclusiones pro casibus particularibus, omnino omitti non debet et non potest.

Ad minorem enim ergumenti: « Auctoritas civilis hic in Iaponia praescribit sub poena nullitatis registrationem matrimonii apud magistratum civilem », statim exurgit quaestio: Haec praescriptio est ne contra ius divinum?

Dum in maiori erat quaestio iuris, hic in minore sillogismi fit quaestio facti.

Ad quaestionem facti solvendam oportet videre *quomodo* hic in Iaponia:

a) vita socialis evoluta sit ante legislationem et post legislationem usque nunc.

b) legislatio efformata sit.

c) lex registrationis intelligatur a iuristis et a populo.

d) lex ista registrationis observetur a populo.

Ex his sive quia tempus deest sive propter naturam huius relationis, pratermitto *a*) et *b*) de quibus ample disseremus in opere completo. Haec duo puncta tamen sunt maximi momenti ad quaestionem nostram solvendam. Ex horum studio clare apparebit hic in Iaponia circa matrimonium:

1° duplicem dari aspectum, ethicum-religiosum scilicet et iuridicum-sociale;

---

[41] Regatillo E. F., *Ius Sacramentarium*, 1949 p. 602.

2° in aspectu iuridico-sociali iterum distinguendum esse: *a*) elementum acceptum ex legislatione aliorum populorum et impositum populo iaponico. Elementum istud, nempe registratio matrimonii apud magistratum civilem si accipitur sicut est in codicibus europeis pugnat hic in Iaponia contra notionem elementalem ipsius iuris positivi. *b*) Elementum aliquod proprium exsurgens ex reactione populi iaponensis. Elementum istud videtur adhuc esse in stadio incubationis [42], tamen certe locum dabit alicui institutioni iuridicae propriae quae erit fructus directus vitae socialis huius populi. Institutiones enim vere iuridicae non sunt veluti frigidae formae quae imponuntur ab extra sed manifestationes vitales exsurgentes a conditionibus culturae et evolutionis populi.

Hi duo aspectus prae oculis habendi sunt ad melius intelligenda quae sequuntur.

Nunc ad *c*) oportet dicere quod meliores iuristae iaponenses in commentario articuli 742 ad numerum secundum [43] aperte asserunt, nullo modo esse clausulam irritantem.

---

[42] Auctores japonenses de hac re innuunt. Cfr. ex. g.: Takanashi Masayuki, *Nihon koninhoo ron*, 1957 p. 162; Hozumi Shigeto, *Shinzokuhoo*, 1933, p. 251 et p. 278.

[43] Refertur hic articulus Codicis in sua versione anglica ex Eibun-Horei-Sha Tokyo 1954.

Article 742. A marriage is void only in the following cases:

1) Where there is no intention to marry common to the parties owing to a mistake as to the identity of the person or through any other cause;

2) Where the parties do not make notification of the marriage; however, if the notification only fails to fulfil the con-

Ita Hozumi [44] et sub directione Professoris Nakagawa idem asserunt explicite Sotooka, Yamanaka [45].

Alii aperte non dicunt sed non recensent inter

---

ditions prescribed in Article 739 paragraph 2, the validity of the marriage shall not be affected thereby.

[44] Hozumi Shigeto, *Shinzokuhoo*, 1933 pp. 300-301: « Numerus 2 articuli 778 dicit invalidum esse matrimonium "quando partes non faciunt registrationem". Attamen, quia si registratio matrimonii omnino non habeatur, problema validitatis vel invaliditatis circa ipsum exurgere non potest, hic numerus non habet significationem magni momenti, sed potius vult introducere paragraphum secundum Articuli 775, quae dicit: "The notification mentioned in the preceding paragraph shall be made by both the parties and two or more witnesses of full age either orally, or by a document signed by them". Proinde, quia haec provisio (n. 2 art. 778) aliud non dicit nisi quod posita registratione matrimonii contracti cum vero consensu partium, etiamsi partes non subscripserint vel testes non habuerint aetatem praescriptam, contra paragr. secundam art. 775, tale matrimonium non fit invalidum, numerus iste secundus (articuli 778) non est praescriptio aliqua irritans matrimonium.

Breviter, sicut diximus, invaliditas matrimonii verificatur tantum quando partes non habuerint intentionem contrahendi matrimonium ».

Articuli 775 et 778 veteris codicis in novo codice sunt 739 et 742.

[45] Nakagawa Zennosuke, *Chuushaku Shinzokuhoo* 1952.

« Qud attinet ad relationem alicuius viri et mulieris nondum registrata, quae registratio retinetur conditio essentialis pro matrimonio legali, est magnus error asserere ex non servatis praescriptionibus Codicis civilis (nempe ex non registratione) nullum vinculum exurgere etiam ex facto vitae communis ut maritus et uxor ». Ita Sotooka in p. 148.

« Ex praescriptione legis registrationis respicientis familiam, matrimonium efformatur in actu ipso registrationis. Pro matrimonio sic efformato primum exurgit problema validitatis vel nullitatis. Numerus secundus huius articuli, in hoc quod statuit matrimonium esse invalidum quia partes non fecerint registrationem, errat ». Ita Yamanaka in p. 160.

causas nullitatis factum non registrationis (defectum registrationis).

Quid autem senserit et sentiat populus de ista lege registrationis quatenus tangens valorem matrimonii ipsius, ita concise describitur:

« Codex novus sicut vetus retinet pro matrimonio systema registrationis. Praescriptio art. 775 (vel 739 novi codicis), (secundum quam per solum factum non registrationis, quamvis caerimonia traditionalis facta fuerit coram multis familiaribus et vicinis, matrimonium non consideratur esse factum, tempore promulgationis et etiam postea), valde distabat a conceptione iuridica quam populus habebat. Proinde sive eius incomprehensibilitas, sive persuasio quod sola conditio ad reddendam licitam copulam maritalem erat caerimonia traditionalis fecerunt ut perplurimi non observarent legem » [45a].

Indicatur hic punctum maximi momenti nempe populus iaponensis a tempore promulgationis legis registrationis et postea, semper putavit id quod iustificat et rendit licitam copulam maritalem esse tantum caerimoniam traditionalem seu observantiam iuris traditionalis. Unde clarum est secundum mentem et praxim populi iaponensis legem registrationis non respicere aspectum ethicum naturalem matrimonii.

Al quartum ergo punctum *d*), bene intelligitur modus quo lex registrationis observatur a populo. Totalitas fere absoluta registrat proprium matri-

---

[45a] Aoyama Takuo in suo articulo: *Naien no hooteki kooka.* in ephemeride Gagudai Hoogagu 1955 n. I p. 21.

monium tantum post caerimoniam traditionalem et post aliquam periodum vitae maritalis, et bona pars matrimoniorum nunquam registratur. Hoc est factum quod admittitur ab omnibus iuristis et probatur statisticis officialibus [46].

Post haec omnia quae diximus patet quid dicendum sit de illa minori: Auctoritas civilis iaponensis praescribit sub poena nullitatis registrationem matrimonii apud magistratum civilem.

Si per verba illa « sub poena nullitatis » intelligatur matrimonium non registratum non existere secundum legem, id est aspectum iuridicum civilem non exurgere, hoc concedi vel potius praeter-

---

[46] Ita ex g. TAKANASHI MASAYUKI, *Waga kuni Naien no jittai ni tsuite*; ex collection: *Kazokuhoo no sho mondai* 1952 p. 113: « Quamvis codex civilis tenaciter teneat pro matrimonio sistema registrationis, matrimonia in Japonia, fere omnia, primum contrahuntur ut Naien (= quin registrentur) et tantum per hunc stadium perveniunt ad registrationem. Insuper bona pars eorum semper remanet ut Naien (= numquam registrantur). Unde fit ut quando cogitetur de conditionibus actualibus sistematis legalis circa matrimonium, hi duo aspectus se praebent ut res acquisita sensus communis ».

HOZUMI SHIGETO: in suo articulo « *Hooritsu-kon to jijitsu-kon* » apud Konin seido koowa, 1925: « Breviter, hodie in nostro populo, matrimonia in totalitate fere absoluta incipiunt per relationem sic dictam Naien, insuper pars non parva eorum remanent in tali conditione usque ad finem ».

IIO TOSHIROO, *Naien no jittai*, ex Hoogaku ronsoo 1951 p. : « (Quia statim registratio non fit) in nostra natione totalitas matrimoniorum fere absoluta transeunt per stadium sic dicti Naien. Secundum ergo quod citius fieret registratio, numerus eorum (Naien) deberet diminuere ».

Aliquae statisticae possunt videri apud: IIO TOSHIROO, *Naien jittai*, in Hoogaku ronsoo 1951 pp. 69 seq.; TAKANASHI MASAYUKI, *Waga kuni naien no jittai ni tsuite*, in Kazokuhoo no sho-mondai pp. 113 seq.; TAKANASHI MASAYUKI, *Nihon koninhoo ron*, 1957 pp. 121 seq.

mitti potest usque ad ulteriorem analysim circa eius rationabilitatem et vim; si vero intelligatur matrimonium non registratum invalidari in suo vinculo ethico-naturali, hoc omnino negandum est sive admittatur talis intentio in mente legislatorum Iaponiae sive non admittatur. Si enim non admittatur, ut ex supra dictis tenendum videtur, tunc res fit pacifica; si vero sustinetur talem intentionem adesse, sicut fautores sententiae propugnantis invaliditatem naturalem sic dicti Naien praetendunt, tunc ex simplici facto quod populus iaponensis legem talem vel non observat vel proprio modo, menti legislatoris contrario, observat et quidem sciente legislatore, ex principiis generalibus iuris, satis liquet legem illam nullum habere valorem.

Hanc rem dilucide pertractat Suarez in *De Legibus* [47]. Hic affero quod de hac re scribit Rodrigo: « Manet etiam in lege civili tum ius supplicationis aut recursus quod admisimus quoque circa leges ecclesiasticas, congrua quidem congruis referendo, tunc quoque legis ut obligantis suspensio aut etiam peremptio fundata mere materialiter in eius communi inobservantia, sive ex consuetudine legitima, quamvis codices civiles hodierni non soleant consuetudini vim ullam derogatoriam legis concedere, — sive ex tacito consensu legislatoris dum videt legem aliquam communiter non observari, nec tamen dum possit resistit, — sive ex praesumpta conniventia eiusdem, quando

47 Suarez Franciscus, *De Legibus*, Pars I li. III c. XIX et li. IV c. XVI. Quae dicuntur ibi applicantur sive legi ecclesiasticae sive legi civili.

maior communitatis pars legem non observat: nam contra equitatem naturalem esset urgere etiam tunc erga paucos observantes huiusmodi legis efficatiam » [48].

Quod in casu non tantum praesumpta conniventia, quae iam de se sufficit, sed etiam tacitus consensus legislatoris adsit facile arguitur ex legibus specialibus [49].

Et commissio extraordinaria pro revisione codicis, anno 1925 de hoc puncto haec sequentia proposuerat:

1° Matrimonium contrahitur quando ponitur caerimonia recognita a traditione. Lex autem determinat modum quo probari possit.

---

48 Rodrigo L., *Tractatus de Legibus*, 1944, p. 166.

49 Labor Standards Law art. 79 (Roodoo kijunhoo 79 joo): « Si operarius perierit in adimpletione sui muneris, dator laboris solvere debet familiae illius, vel illis qui momento mortis vivebant de reditibus illius, summam correspondentem reditibus mediis 1000 dierum ».

Workmen's Accident Compensation Insurance Law art. 15 (Roodoosha saigai hoshoo hokenhoo 15 joo): « Qui habent ius ad expensas de quibus in nn. 1, 2, 3, 4, 6 paragraphi primae articuli 12 sunt: operarius, eius successores vel illi qui tempore mortis vivebant de reditibus illius ».

Significatio verborum quae inveniuntur in istis duobus articulis « illi qui tempore mortis vivebant de reditibus illius » definitur in alia lege, scilicet: Enforcement Ordinance of Labor Standards Law art. 42 (Roodoo Kijunhoo shikkoo kisoku 42 joo): « Qui habent ius ad compensationem familiarem sunt: inprimis operarii compars (hic comprehenduntur etiam illi qui de facto vivunt in relatione maritali, quin fecerint registrationem) etc. ».

Juristae japonenses aperte docent haec verba, quae iam habebantur in veteri lege circa fabricas (koojoohoo), non esse, et quidem usque ab initio, nisi circumloquutionem quandam ad ostendendam uxorem relationis maritalis sic dicti Naien.

Cfr. de hac re: Nakagawa Zennosuke, *Minpoo Taiyoo* 1956 p 76; et Nagata Kikushiroo, *Shinzokuhoo* 1953, p. 157.

2° Quando matrimonium contrahitur secundum aliquam caerimoniam traditionalem, intrt determinatum tempus oportet illud registrare.

3° Quando nulla caerimonia traditionalis ponitur, matrimonium contrahitur momento registrationis [50].

Quae tamen mutatio facta non est et ex rationibus tecnicis, et quia etiam hoc modo problema non videbatur plene solvi.

Tandem ad consequens argumenti quod attinet, haec dicenda sunt.

Matrimonia non registrata apud magistratum civilem sunt nulla: hoc sensu quod aspectus eius iuridicus civilis legaliter non consideratur existere concedi potest vel potius praetermitti ut supra; si vero accipiatur sensu quod aspectus ethicus-socialis irritus sit, hoc omnino negandum est.

Praeterea additio illa quae invenitur in consequenti « etiam ex parte legis canonicae », peccat contra normam omnis sani ratiocinii: latius hos quam praemissae conclusio non vult.

Hoc est peculiare legis ecclesiasticae, eam in collisione vel acceptatione legum civilium, semper servare ius naturale. In materia autem tam delicata, sicut est illa matrimonialis, ad hoc ut vitarentur errores, lex ecclesiastica aperte statuit se accipere ex legislatione civili et recognoscere ut impediens vel dirimens tantum impedimentum cognationis ut patet in c. 1059 et c. 1080 Codicis Iuris Canonici. Quoad reliqua omnia igitur in ma-

---

50 Haec omnia referuntur a Prof. Fuwakatsu Toshio in suo articulo circa Naien: *Hooritsu-kon shugi ka jijitsu-kon shugi ka,* in ephemeride Hooritsu shinpoo 1952 p. 39.

teria matrimoniali ius naturale-divinum retinet suam vim et suam excellentiam supra legem positivam conditam ab auctoritate civili.

Sed tempus est ut transeamus ad alia puncta.

3) Ad hoc punctum sufficit dicere quod Directorium a. 1937 in hac determinatione nullam habet auctoritatem neque scientificam neque doctrinalem, ut ex sola lectione ipsius articuli 222 liquet. Non sine ratione « Vade mecum et Directives à l'usage des missionnaires de Fukuoka » editum anno 1940 accipit positionem in hac re quae certo non est illa Directorii Communis editi tribus tantum annis antea. Tamen etiam hic liber qui resumit experientiam multorum missionariorum videtur ignorari.

4) Quoad auctoritatem ex Chabagno et Tomizawa. Nihil alicuius momenti in his auctoribus invenitur quod repetitum non sit a Szumillo. Proinde praesens crisis etiam pro ipsis valet. De ipsis amplius disseremus in opere quod praeparamus. Nunc tantum notamus: nequit dici quod Tomizawa « ex professo » discusserit problema de Naien et probaverit « per longum et latum » Naien esse invalidum.

5) Quoad hunc punctum mirum est quod Szumillo ignoret saltem *Heuzet*: « Le marriage et la loi Japonaise. Hongkong 1935 », editum in lingua gallica. Hoc non explicatur nisi forte quia Heuzet ignoratur etiam a Tomizawa, in suo libro qui tamen editus est anno 1945. Praeterea omnino necessarium erat consulere de hac re auctores iuridicos iaponenses, cuius litteratura ante annum 1954 est innumera.

6) Assertio ista si intelligatur de iure et officio quod exsurgat ex aspectu iuridico-civili matrimonii legalis, praetermitti potest ut supra; si vero intelligatur de iure aut officio quod exsurgat ex aspectu ethico-sociali est falsa. Auctores iaponenses arguendo ex praxi tribunalium saltem concedunt e NAIEN exurgere:

a) obligationem cohabitationis et fidelitatis erga compartem (ita ut si habeatur relatio carnalis cum tertia persona haec relatio intelligitur esse adulterium);

b) obligationem sustentandi et adiuvandi compartem;

c) ius rescindendi contractum;

d) ius petendi indemnificationem pro causata morte compartis;

e) ius petendi a comparte ut fiat registratio;

f) ius ad reparationem pro damnis ex dissolutione iniusta NAIEN; et alia ... [51].

Et legislatores ipsi gradatim haec aperte recognoscunt [52].

In argumento quod adducitur hoc tantum veri adest quod pars quae ex NAIEN transit ad aliud matrimonium quod registratur non consideratur bigamus legaliter, proinde non punitur ex hoc capite. Tamen falsum est quod non puniatur ex alio capite scilicet ex aspectu ethico, et quod alia pars non habeat ius hoc exigendi [53].

---

51 Cfr. inter alios NAGATA KIKUSHIROO, *Shinzokuhoo*, p. 151; et NAKAGAWA ZENNOSUKE, *Chuushaku shinzokuhoo* 1955, p. 148.

52 Cfr. notam (49).

53 NAKAGAWA ZENNOSUKE, *Ghuushaku shinzokuhoo* p. 148;

8) Tangitur in his punctis problema alicuius momenti quod connectitur vel melius pertinet ad ea quae innuimus de evolutione vitae socialis et de evolutione iuris in Iaponia [54] et de quo reservabimus amplam expositionem faciendam. Ad ostendendam tamen inconsistentiam harum assertionum brevissime hic resuminus.

Cum promulgatione Codicis iaponici anno 1898 incipit status quidam conflictus inter ius consuetudinarium et ius legale scriptum. Aliis verbis in constitutione iuris matrimonialis in Iaponia, forma sic dicta reflexa quae formulabatur in art. 778 nullo modo congruebat cum forma sic dicta spontanea, seu cum consuetudine [55]. Et ratio profunda est quia forma illa reflexa iuris expressa in n. 2 art. 778 non effluebat ut ex sua fonte a iure consuetudinario iaponico sed accipiebatur a legislatione aliarum nationum, quae fundabatur in conditionibus socialibus et moribus omnino diversis conditionibus populi huius nationis.

Evolutio huius conflictus ab anno 1898 usque ad nostrum tempus sunt maximi valoris sive pro historia iuris matrimonialis in casu, sive pro historia iuris in genere.

Post promulgationem Codicis, iudices in tribunalibus, quia erant funtionarii gubernii, non poterant agere nisi pro lege. Proinde ad legem inculcandam, contra consuetudinem patriam aliquid ali-

---

Nagata Kikushiroo, *Shinzokuhoo*, p. 154; qui generatim arguunt ex sententiis tribunalium.

[54] Cfr. p. 8 huius relationis.

[55] Circa hos conceptus elementares iuris cfr. De Ruggero Roberto, *Istituzioni di Diritto Civile*, voll. I, II.

quando dixerunt quod tamen si aliquomodo ex aspectu legali iustificari potest, a populo et etiam a studiosis, quamvis velato et prudenti modo, tanquam arbitrarium et violentum reputatum est. Nunc quia matrimonia facta secundum traditionem et non registrata legaliter nullam accipiebant protectionem neque a lege scripta neque a tribunalibus, impune deserebantur uxores talium matrimoniorum. Tribunalia quae ad inculcandam legem registrationis contra ius traditionale agebant, nullum habebant ex aspectu legali medium ad abusus illos reprimendos. Unde factum est ut et lex magis non observaretur, et abusus magis irruerent.

Ex hoc apparet auctoritatem civilem impotentem esse sive ad observationem legis obtinendam, sive ad abusus reprimendos.

Culmen conflictus habetur cum sententia Tribunalis Supremi die 26 Ianuarii anni 1915 [56].

Hic clare apparet vitalitas consuetudinis et impotentia legis. Ex hoc anno quamvis aspectus legalis mordicus teneatur, tamen aspectus ethicus-naturalis victor evadit et suam positionem in dies fortiorem facit [57].

Quinam erit exitus definitivus dependet a sapientia legislatorum huius nationis qui uti debebunt profunda et obiectiva collaboratione iuristarum.

---

56 Collectio sententiarum tribunalium vol. VI p. 152 (Hanrei Taisei VI); vel: Wagatsuma Sakae Minpoo kyoozai (teaching material) VI Shinzokuhoo.

57 Nagata Kikushiroo, *Shinzokuhoo* p. 140; Nakagawa Zennosuke, *Chuushaku shinzokuhoo* p. 148.

Nunc ad haec duo puncta dicimus:

a) Antequam de NAIEN haec dicantur oporteret seriam investigationem praemittere, et proprias assertiones argumentis et documentis probare.

b) Non est verum quod in tribunalibus NAIEN consideratur ut « Prostitution », « Mekake ». Si ante annum 1915 aliquid in sententiis hoc sensu innuitur, hoc est tantum aspectus aliquis negativus; scilicet ex hoc quod NAIEN non registratur, non differt a concubinatu (shitsu-kankei), qui quidem non registratur, sed ex hoc aspectu negativo, praeter factum quod non registratum sit et propter hoc sit contra aspectum legalem, nihil aliud deduci potest.

NAIEN non est consuetudo legalis, seu matrimonium nondum registratum (vel non registratum) est contra legem scriptam requirentem registrationem, idque nemo negat. Praecise hoc sensu aliquando tribunalia ante a. 1915 asserunt NAIEN esse contra ordinem publicum.

Sed etiam NAIEN est consuetudo legalis, vera, id est habet vim quae exurgit ex iure consuetudinario, quod ius in casu fortius est quam ipsa lex scripta. Iuristae iaponenses de hac re concordant [58].

Quod vero caerimonia ipsa san-san-ku do et aliae similes sint illegales, haec assertio videtur excedere limites discretionis. Ita in tota Iaponia, quotidie, ut ita dicamus, istae celebrationes ille-

---

[58] Id bene explicat KOISHI HISAO, *Naien, Kazoku seido zenshuu.*

gales permittuntur, immo et ab ipsis tutoribus ordinis publici habentur.

Ceterum ipsum documentum « Todoke » quod inservit ad registrationem faciendam, (est ergo documentum officiale), requirit ut indicetur tempus habitae celebrationis matrimonii. Res vere curiosa: Documentum officiale legale, quod requirit ut registretur aliquid quod est illegale.

d) Ad assertionem: Nullum tribunal recognovit Naien ut Verum Matrimonium: distinguendum est: legaliter seu secundum legem scriptam, hoc verum; de facto seu naturaliter, id est secundum ius consuetudinarium, hoc omnino falsum est [59].

e) Verum est quod Naien in tribunalibus vocetur « konin yoyaku » quod verbaliter significat « promissio matrimonii », attamen per hoc non

---

59 Cfr. sequentes sententias, inter alias, Tribunalis supremi: *Taisho 8-6-11* (*1919*): « Etiamsi nulla caerimonia habita sit in contrahenda promissione matrimonii, (promissio matrimonii = konin yoyaku = naien) talis promissio est legalis et valida, neque ex hoc quod caerimonia facta non sit, unio haec aequiparari potest cum unione illicita (shitsuukankei) ».

Taisho 11-6-3 (*1922*): « Quamvis nondum fiat registratio, posita debita caerimonia et existente de facto relatione ut maritus et uxor, officium est uni parti compartem sustinere in iis in quibus talis ratio adest. Talia sunt quae habentur in art. 310 Codicis ».

Shoowa 6-11-27 (*1931*): « Ex hoc quod celebratio promissionis matrimonii (idest: initium matrimonii non registrati = naien) habita sit antequam transirent 6 menses a divortio primi matrimonii (quod erat registratum), non potest dici talem promissionem (idest naien) esse illegalem et invalidam ».

Shoowa 7-8-25 (*1932*): « ... quia de facto inter ipsos existebat relatio ut maritus et uxor et vivebant simul ... ».

Hae sententiae inveniuntur in: Hanrei Taisei VI et Minpoo kyoozai VI ut in nota (56).

intenditur promissio matrimonii, sed matrimonium ipsum [60].

f) De sententiis quae citantur apud Tomizawa, ad cuius auctoritatem assertio huius puncti se remittit, videbimus in opere quod praeparamus quid probent. Nuc praetermittimus, quia ad scopum huius relationis non videtur necessarium.

9) Etiam assertio ista non est vera. Oportet indagare in sententiis tribunalium quaenam sit ratio in qua innitatur iudex ad poenam imponendam. Quae quidem ratio generatim et explicite est: quia pro populo Naien est Verum matrimonium,

---

60 Iwata, *Hanrei konin yoyakuhoo kaisetsu* 1935 p. 4: « Significatio quae fere semper solet tribui huic expressioni, — promissio matrimonii, — est tantum discernere inter matrimonium non registratum et matrimonium registratum ».

Et in p. 136 identificat: « konin yoyaku = jijitsujoo no konin = naien no fuufu » idest promissio matrimonii significat ipsum matrimonium de facto, nondum registratum, quod dicitur naien.

Hozumi Shigeto, *Shinzokuhoo* 1933 p. 277: « Tribunal supremum et cetera tribunalia, sive ad puniendos homines improbos qui, vertentes in utilitatem propriam factum quod mulieres carent cognitione juris praescribentis registrationem ut conditionem necessariam pro matrimonio legali, illas impune dimittebant, sive ad praebendum auxilium talibus mulieribus derelictis, conabantur exigere reparationem damni aut compensationem, et quia nullus ad hoc habebatur titulus aptus, verborum significationem torquendo appellaverunt promissionem matrimonii id quod de facto est matrimonium, ita ut si tale matrimonium non registraretur, possent argumentari ex violatione illius promissionis, et ita posuerunt novum praecedens iuridicum ».

Nakagawa Zennosuke, *Minpoo Taiyoo* p. 41 ubi asserit simplicem promissionem matrimonii omnino differre a relatione sic dicta Naien; et in ephemeride « Sunday mainichi » die 11 Decembris 1956 p. 32 ita statuit: « Naien differt a matrimonio legali tantum in hoc quod non est registratum, sed de facto est matrimonium perfectum et non simplex promissio matrimonii ».

et quia sine ratione non est licitum abrumpere illud [61].

10) Quod attinet ad hoc punctum: habetur hic unica citatio directa alicuius fontis iaponensis. Fons est ephemerides quaedam in lingua anglica, quotidiana, non iuridica. Hodie amplius non existit vel, melius, conversa est in « Asahi evening news ». Quae dicuntur circa NAIEN habentur in die 2ª Nov. a. 1953 et scripta sunt a quodam redactore qui errato modo transcribit nomen Prof. Takanashi [62], et aperte ostendit se accipere talem materiam ex alia ephemeride quotidiana, scilicet « Nihon Keizai ». Haec est in lingua nipponica, et agit de NAIEN in die 22 Oct. 1953. Etiam articulus iste non est scriptus a Prof. Takanashi sed a redactore quodam qui usus est scriptis editis ab hoc Professore. In hoc articulo inveniuntur haec verba « In IAPONIA 10% matrimoniorum dicuntur esse NAIEN ». At ex ipso contextu liquido apparet haec verba non esse assertionem Prof. Takanashi. Immo cum in scriptis huius Professoris talem assertionem nullibi invenire potuissemus, curavimus ut Professoris talem assertionem aliquam nobis dilucidationem daret. Qui respondit:

a) se non scripsisse articulum illum, tamen redactorem usum esse suis scriptis.

b) se nescire undenam redactorem articuli

---

61 Ita sententia die 26 Januarii 1915 et aliae quae inveniri possunt in Hanrei Taisei et Teaching material, cfr. notam (56).

62 Nomen Professoris est: TAKANASHI MASAYUKI. Auctor articuli errat in trascriptione phonetica et scribit KIMITOMO, loco MASAYUKI. Error iste qui repetitur in *Miss. Bull.* 1954 p. 136, ansam dedit dubitandi de veridicitate illius citationis.

talem mediam (10%) accepisse, num forte ex aliquibus statisticis particularibus quas ipse refert.

c) statisticam habenten auctoritatem esse illam anni 1918 pro tota Iaponia, ex qua apparet Naien esse circiter 17% vel 16%; aliam statisticam habentem auctoritatem, sed particularem, habitam anno 1824 ostendere ex 346 casibus matrimoniorum, 71 seu 20,52% esse Naien.

d) esse revera rem difficilem cognoscere numerum medium (%) matrimoniorum quae non registrantur.

11) Quoad hoc punctum: verum est quod lex registrationis si consideretur in abstracto est honesta et iusta; at lex ista in concreto considerata, neque congruens fuit, quando lata est, modo agendi et conditionibus populi, neque etiam hodie congruit. Ex facto insuper quod non observatur in totalitate fere absoluta, eius vis obligandi perempta, vel saltem suspensa est.

12) Quod dicitur hic est simplex, gratuita et ut videtur falsa assertio. Multos enim interrogavimus diversae conditionis et culturae et omnes responderunt Naien esse Verum Matrimonium. Tantum aliqui subiunxerunt, illud legaliter non recognosci nisi registretur.

13) Hic habetur species tantum argumenti, quia revera paritas non existit. Ad paritatem enim requiritur quod sive forma respiciens catholicum sive forma respiciens infidelem non tantum in abstracto aequiparentur, sed etiam in concreto, id est si de facto sint in vigore et vim irritantem exerceant. At hic in Iaponia forma praescripta ab auctoritate civili, suam vim de facto non sortitur,

quia a totalitate fere absoluta Iaponensium non observatur.

14) Ad argumentum praesumptionis quod spectat. Nulla habetur hic vis probationis. Sufficit considerare quod inter illos qui paraverunt redactionem articuli respicientis NAIEN pro schemate novi Directorii et posuerunt « Sola omissio registrationis matrimonii coram magistraratu non facit matrimonium dubium « erant saltem duo canonistae et unus moralista qui cognoscebant ius et traditiones et modum agendi populi iaponensis [63]. His tribus accedunt et alii canonistae qui in Iaponia versantur.

15) Ad conclusionem finalem. Ex instituta crisi singulorum argumentorum oportet concludere quod assertio illa sine dubio et sine haesitatione facta propugnans invaliditatem sic dicti NAIEN, si tantum vult dicere tale matrimonium legaliter non existere vel non recognosci, praetermitti posse; si vero dicere intendit tale matrimonium etiam ex aspectu ethico-naturali invalidum esse ita ut nullum in eo vinculum exurgat, NULLAM habet pro se SOLIDAM RATIONEM.

Crisis rationum adductarum a sententia propugnante validitatem sic dicti NAIEN.

1° Positio HEUZET sustineri non potest. Innuimus supra [64] cur sententia illa negans Auctoritati civili ius determinandi sub poena nullitatis

---

63 MULLER HENRICUS et TAPPE FRIDERICUS Professores in Universitate Sophia, et NAGAE S. LAURENTIUS cancellarius Curiae Tokyensis. Hi tres certo tenent matrimonium non registratum hic in Iaponia esse validum ex lege naturali.

64 Cfr. p. 7 huius relationis.

impedimenta et formam quoad matrimonium infidelium exorta sit, et quaenam sit pars veritatis in ea contenta.

Oportet vero bene notare quod argumentum istud, de se non bonum, allatum a HEUZET, nullo modo ponitur ut fundamentum aliarum rationum quae sequuntur. Proinde etiam negata efficacia huius argumenti, nullo modo inficitur veritas et vis aliorum.

2° usque ad 8) Omnia argumenta quae continentur sub his numeris, quamvis non fulciantur apparatu scientifico, praebent solidas rationes non tantum sensus communis, sed fundatas in sano examine critico et in bono sensu iuridico.

Immo argumentum sub numero 5) videtur esse apodicticum, si non in sua forma saltem in sua substantia.

9) Ex conclusionibus contentis sub hoc numero, 1ª et 2ª sunt verae. Tertia conclusio videtur supponere registrationem matrimonii sicuti fit hic in Iaponia, considerata in se sola, non posse constituere formam celebrationis matrimonii.

Iuristae iaponenses et de hoc puncto aliquomodo loquuntur. Putamus hanc rem indigere ulteriori investigatione. Sed quia ad rem nostram directe non pertinet, nunc illud praetermittimus.

10) Haec conclusio finalis legitime sequitur ex veritate et soliditate argumentorum praemissorum (primo excepto).

* * *

Post crisim duarum sententiarum, antequam deveniamus ad conclusionem huius relationis, adhuc duo puncta consideranda esse putanus.

Primum punctum. Controversia asserta in articulo 230 Directorii nequit assumi ut fundamentum ad habendum Naien ut dubium.

Articulus 230 novi Directorii statuit: « Stante controversia de interpretatione legis iaponensis » quae quidem assertio accipitur ex articulo 222 antiqui Directorii ubi legitur: « Stante controversia de interpretatione legis civilis ». Attamen isti articuli non statuunt inter quos controversia adsit. Unde spontanea exsurgit quaestio: controversia ista intelligitur adesse tantum inter auctores quos supra recensuimus? an intelligitur etiam adesse inter cultores iuris civilis huius nationis?

Interpretatio, de qua verbum fit, quodnam praecise punctum respicit, num tantum utrum n. 2 art. 778 veteris Codicis (aut art. 742 novi Codicis) intendat invalidare matrimonia quae non registrantur? aut aliquid aliud? Quia si, ut concludendum esse videtur, controversia, seu vim irritantem legis Directorii, respicit intentionem legislatoris, seu vim irritantem legis in hoc n. art. 778 (vel 742) contentae, statim dicimus punctum istud nullo modo constituere fulcrum quaestionis ad validitatem sic dicti Naien diiudicandam. Proinde etiam posita aliqua controversia circa hoc punctum, ex tali controversia deducere quod in Iaponia « matrimonia inter duos infideles contracta et non registrata apud magistratum civilem haberi posse ut dubia » omnino inconsistens est.

E contra supposita usque ab initio promulgationis Codicis anno 1898 intentione legislatoris et proinde vi irritante legis, fit quaestio: matrimonia non registrata seu NAIEN, quae praecise a promulgatione Codicis anno 1898 ceperunt esse, suntne naturaliter valida? Et responsio nequit esse nisi affirmativa ex ratione quam supra exposuimus, nempe quia usque ab initio populus iaponensis in sua totalitate fere absoluta non servavit et non servat talem legem. Et iuristae iaponenses in hoc, modo sibi proprio, vim iuris naturalis percipere ostendunt [65].

Praeterea quod matrimonia inter duos iaponenses contracta et non registrata apud magistratum civilem sint vera matrimonia, nullam potuimus invenire controversiam apud iuristas iaponenses. Hucusque examinavimus circiter 40 auctores,

---

65 TAKANASHI MASAYUKI, *Waga kuni naien no jittai ni tsuite,* in Collectione: Kazokuhoo no sho-mondai p. 113, « Naien, quod aliquo sensu retinetur a populo ut verum matrimonium, est fructus reactionis societatis ad positionem idealem acceptam (ad formam reflexam iuris positivi impositam) ab auctoritate civili ».

AOYAMA TAKUO, *Naien no hooteki kooka,* cfr. ([45a]): « Sed vis penitus insitae consuetudinis ita replevit societatem persuasione necessitatis tribuendi etiam naien (matrimonio non registrato), quod est matrimonium de facto, vim legalem ut quasi matrimonio (legali), ut naien praeterquam problema legale factum sit problema sociale ».

KOISHI HISAO, *Naien, in Kazoku seido zenshuu,* 1937 p. 170 seq.: « Attamen matrimonium quatenus relatio quae fundatur in iure traditionali est factum aliquod quod negari non potest. Etiam ius positivum factum istud ignorare non potest. Et quia numerus matrimoniorum, quae non observabant praescriptionem legis, gradatim aumentabat, magis ac magis ostendendo vim insitam societatis iuristae gradatim coeperunt dubitare de positione indifferentiae accepta erga hanc relationem de facto existentem (naien) ».

quorum aliquos in hac relatione retulimus, alios omnes in opere quod praeparamus recensebimus. Isti omnes faciunt distinctionem: jijitsu-joo seu de facto vel naturaliter, hooritsu-joo seu legaliter vel secundum legem.; et unanimiter asserunt matrimonium non registratum seu jijitsu-joo, de facto vel naturaliter, esse verum matrimonium, partes huius matrimonii esse verum maritum et veram uxorem, populum habere hanc profundam convictionem, et proinde non esse licitum sine iusta ratione talem relationem matrimonialem abrumpere. Tamen hooritsu-joo subiungunt, legaliter vel secundum legem non recognosci id est non considerari ut existens, hanc positionem legis locum dare multis incongruentiis.

Utique etiam inter iuristas adest aliqua controversia circa valorem registrationis (circa naturam sic dictae « todoke ») utrum nempe tantum manifestet vel constituat matrimonium. Sed haec controversia respicit tantum aspectum legalem.

Et sententiae tribunalium quarum circiter 40 hucusque examinavimus, in hoc plene concordant.

Unde clarum est inter iuristas iaponenses nullam existere controversiam circa existentiam vinculi naturaliter validi in matrimonio non registrato seu in sic dicto Naien. Sententiae tribunalium habitae ante annum 1915 si aliquid contra Naien dicere videntur, hoc tantum ex aspectu legali asserunt.

Secundum punctum.

Hanc aliam considerationem proponimus.

Adest in Iaponia factum obiectivum ab omnibus iaponensibus admissum et facile constatabile

ex statisticis et ex praxi hodierna, scilicet registrationem matrimonii non coincidere cum celebratione ipsius in totalite fere absoluta casuum. In periodo quae intercedit inter celebrationem et registrationem vir et mulier maritaliter vivunt et neque ipsi neque populus iaponensis vident in hoc aliquid erratum aut illicitum, cuius erubescere deberent. Periodus ista extenditur, ut facile videre est ex accurata statistica habita pro Yamaguchiken [66], usque ad ultra quintum annum a celebratione matrimonii.

---

[66] Haec statistica respicit tres annos et refertur a Prof. FUWAKATSU TOSHIO in ephemeride: Hooritsu shinpoo, 1952 n. 760 p 37 seq.

	1947	*1948*	*1949*
Matrimonia registrata	1088	1195	969
Ante performat. caer.	4	0	3
Ipso die perf. caerimoniae	2 172	2 197	4 188
Intra mensem a perf. caer.	166 (15.80%)	195 (16.47%)	181 (17.34%)
Intra 2um mensem a perf.	114	92	92
» 3um » » »	76	93	70
» 4um » » »	60 363	67 342	40 241
» 5um » » »	53 (33.36%)	48 (28.60%)	55 (30.03%)
» 6um » » »	60	62	34
» 7um » » »	46	66	48
» 8um » » »	59	43	42
» 9um » » »	95 307	63 362	38 256
» 10um » » »	58 (28.22%)	64 (30.27%)	46 (24.42%)
» 11um » » »	58	63	38
» 12um » » »	40	63	44
» 13um » » »	39	44	30
» 14um » » »	26	33	44
» 15um » » »	18 124	30 164	12 124
» 16um » » »	18 (11.4%)	21 (13.71%)	14 (12.80%)
» 17um » » »	15	17	15
» 18um » » »	8	19	9
» 19um » » »	6	7	3
» 20um » » »	9	4	6
» 21um » » »	9 39	13 47	9 33

Nunc si verum est quod matrimonia celebrata remanent naturaliter invalida et subsequens relatio maritalis illicita usque ad momentum registrationis apud magistratum civilem, oportet dicere:

aut populus iaponensis ita depravatus est ut in sua totalitate fere absoluta erret circa praeceptum aliquod vere delicatum legis naturalis,

aut lex naturalis periodum aliquam praematrimonialem concedit in qua ad experimentum omnia licita sint quae in vita matrimoniali ipsa permittuntur. Dicant ergo nunc propugnatores invaliditatis sic dicti Naien, quodnam ex his duobus cornibus dilemmatis pro se eligant.

	1947	*1948*	*1949*
» 22um » » »	5 (3.58%)	7 (3.9%)	6 (3.06%)
» 23um » » »	5	9	6
» 24um » » »	5	7	3
» 25um » » »	3	5	6
» 26um » » »	5	6	3
» 27um » » »	3 22	6 23	2 14
» 28um » » »	1 (2.03%)	1 (1.92%)	0 (1.44%)
» 29um » » »	7	3	2
» 30um » » »	3	2	1
» 31um » » »	11	5	1
» 32um » » »	3	5	2
» 33um » » »	1 11	3 18	1 8
» 34um » » »	2 (1.01%)	2 (1.51%)	1 (0.83%)
» 35um » » »	1	0	0
» 36um » » »	3	3	3
Ultra 3 annos	24 (2.21%)	20 (1.67%)	27 (2.79%)
» 5 »	26 (2.39%)	23 (1.91%)	28 (2.89 %)

Conclusio huius relationis.

Ex omnibus quae diximus concludendum censemus:

1. Nulla controversia existit inter iuristas iaponenses circa validitatem naturalem sic dicti NAIEN.

2. Controversia veri nominis non existit inter auctores non-iaponenses quos recensuimus et quibus videtur inniti art. 230 novi Directorii (art. 222 antiqui Directorii), quia nulla ex rationibus allatis a sententia propugnante invaliditatem naturalem sic dicti NAIEN est solida.

3. Etiam posita controversia, haec nullo modo constituit fundamentum ad diiudicandam validitatem sic dicti NAIEN.

4. Positio vera et recta, est illa quae habebatur in schemate novi Directorii: « sola omissio registrationis matrimonii coram magistratu non facit matrimonium dubium ».

Quaecumque praecedunt dicta sunt rem difficilem dilucidandi causa et salva reverentia tum eorum qui diversam sententiam habeant tum auctoritatis Directorii propriae.

P. CIVISCA L., S. I.

ALIQUOT PRAECISIONES

Legenti articulum: « Missale Romanum Slavonicum », publicatum in ephemeride « Periodica de re morali canonica liturgica » (1957, Fasc. I, pag. 79 ss.) tentatio aliqua sese insinuare posset, ut conclusiones extremas et illegitimas ex eo trahat, quae calumniosae pro S. Sede et damnosae pro apostolatu catholico unionistico evadere possent. Aliquis scilicet cogitare posset auctorem articuli ex mente S. Sedis locutum esse necnon ut certum probasse S. Sedem uniformismum liturgico-ritualem tamquam medium maxime efficax pro apostolatu inter populos slavicos a Roma separatos retinere, eo videlicet sensu quod ab Ipsa latinisatio vel introductio Ritus Romani etiam apud illos populos slavicos qui inde a conversione Ritum Bisantino-slavicum adoptaverunt, propagetur.

Alius, e contra, lector articuli S. Sedem forsitan de ambiguitate accusare posset: quippe quae dum, ex una parte, multis vicibus solemniter declaraverit se in perpetuo respectare Ritus Orientales, ex altera tamen parte omnino aliud prae se ferre videretur.

Volumus itaque tales illationes tamquam falsas et privatas omni fundamento reicere.

I.

1) Ante omnia velimus, ut notetur curam S. Sedis circa Missale Romano-slavicum attingere

regiones et populos qui extra sphaeram ecclesiasticam proprie orientalem remaneant, Croatas, videlicet, Slovenos, Slovaccos et Bohemos. Agitur de regionibus limitrophis Orientis ecclesiastici, quae in historia semper sub influxu religioso-culturali Occidentis Romano-catholici perstiterunt. Lingua liturgico-slavica, pro his populis a sanctis Cyrillo et Methodio introducta, a S. Sede approbata et conservata est, necnon, ubi necessitas occurrerit, ab Ipsa respectivum Missale Romano-slavicum typis edebatur.

2) Quod recentem praxim missionariam S. Sedis attinet, aliquis in mirationem inductus esse posset, dum legeret notam illam Concordatui inter S. Sedem et tunc Regnum Jugoslaviae (anni 1935) adiunctam, in qua episcopis, pro celebratione S. Missae, facultas datur usum Missalis Romano-slavici, dicti etiam « glagolitici », introducendi, dum eodem tempore usus etiam linguae nationalis contemporaneae in Rituali necnon pro Epistola et Evangelio in Missa solemni cantandis concedebatur. Sed ista concessio Missalis glagolitici in Concordatu non propterea facta est, ut aliquod medium d i r e c t u m apostolatus unionistici quoad Ecclesiam Orthodoxam Serbam crearet. Ipsa potius aliquod instrumentum defensionis pro Ecclesia Catholica in Jugoslavia fieri debuit, eo quod ita catholici (Croatae et Sloveni) etiam in campo ecclesiastico-rituali orthodoxis Serbis aequales evaderent ideoque apostasiae, factae ob motiva nationalistica, omnem speciem iustificationis amitterent. I n d i r e c t e, probabiliter, ista concessio apostolatum unionisticum iuvare potuit, eo

quod sinceritatem S. Sedis in conservandis Ritibus Orientalibus comprobaret.

3) Mutamentum expressionis « illiricum » in « slavonicum » vel « glagoliticum » eo introductum est, quod lingua in dicto Missali revera non « illirica », id est croatica, dici potest, sed repraesentat versionem aliquam particularem linguae slavicae antiquae. Cum Missale istud etiam pro Slovenia destinatum fuerit necnon in aliquibus locis reipublicae Cecoslovacchiae adhiberetur, terminus « illiricus » parum oportunus censebatur. Nil ergo deduci potest ex isto mutamento, nisi sollicitudo S. Sedis, ut sit praecisa in expressionibus.

II.

Remanet, ut adducamus praeclarum illud factum historicum, quod S. Sedes numquam populos slavicos per generalem introductionem Missalis Romano-slavici ad unionem ecclesiasticàm adducere conata est neque umquam similem intentionem expressit. In contrarium, S. Sedes nullam umquam omisit occasionem, ut populis slavicis non catholicis demostraret se respectare et conservare eorum usus liturgicos eorumque disciplinam ecclesiasticam particularem, « Ritum » videlicet sensu iuridico intellectum, in quantum iste « a vera et integra Jesu Christi doctrina non discrepet » (A.A.S. 1944, pp. 137-138). En argumenta :

1) Documenta.

a) Ex Epistula Apostolica Leonis XIII (A. S. S., vol. XXVI [1893-94], p. 709) : ... Neque est cur dubitetis, quidquam ... vel Nos vel successores

Nostros de iure vestro, de patriarchalibus privilegiis, de rituali cuiusque Ecclesiae consuetudine detracturos ...

b) Ex Motu Proprio « Dei Providentis » Benedicti XV (A.A.S. 1917, p. 530): ... E ceteris autem libet confidere iam non fore qui Latinos in suspicionem Orientalibus adducant, cum vel ex hac re sit manifestum, in Ecclesia Jesu Christi, ut quae non latina sit, non graeca, non slavonica, sed catholica, nullum inter eius filios intercedere discrimen, eosque sive latinos, sive graecos, sive slavos, sive aliarum nationum, omnes apud hanc Apostolicam Sedem eumdem locum obtinere ...

c) Ex Encyclica « Orientales Omnes Ecclesias » Pii XII (A.A.S. 1946, p. 47-49): ... Nihilominus quae iam tum Apostolicae Sedis mens fuerit, ex litteris manifestatur a Generali Praeposito Societatis Jesu anno MDCVIII datis, in quibus sodalibus scribit, in Polonia commorantibus, *eos non posse qui numquam latino ritu fruiti fuerint, hunc eundem ritum post initam reconciliationem suscipere,* « cum praeceptum sit Ecclesiae et peculiariter in litteris unionis factae sub Clemente VIII statutum, ut unusquisque permaneat in ritu suae Eclesiae » ... Quod autem ne posterioribus quidem temporibus Apostolicae Sedis mens ac sententia hac de re mutata sit, ex litteris etiam patet a Decessore Nostro Benedicto XIV ad Episcopum Leopoliensem et Premisliensem anno MDCCLI datis, in quibus inter alia haec habentur: « Vestrae ad Nos delatae sunt litterae, scriptae XVII Julii, in quibus merito conquerimini de transitu Ruthenorum a ritu graeco ad ritum lati-

num, ubi bene nostis, Venerabiles Fratres, *quod Nostri Praedecessores transitus hos abhorruerunt, et Nos ipsi abhorremus, utpote qui non destructionem sed conservationem ritus graeci summopere desideramus* » ...

d) Ex Motu Proprio Pii XI (A.A.S. 1938, pp. 154-159):... Itemque si nonnuli, nimio unitatis concordiaeque amore compulsi, cum non satis Orientalium res atque indolem cognoscerent, vel sacros eorum ritus corrumpere vel eos ad latinos ritus redigere enisi sunt, at Romani Pontifices, decessores Nostri, hisce nisibus pro facultate, nullis parcendo laboribus, obstiterunt ...

e) Ex Encyclica « Orientalis Ecclesiae » Pii XII (A.A.S. 1944, pp. 137-138:... Idque sciant ac secum reputent tum qui in Catholicae Ecclesiae gremio sunt nati, tum qui desiderio ac voto eidem assequendae velificantur: qui etiam omnes noscant et pro certo habeant *se numquam coactum iri ad proprios legitimos ritus et ad antiquitus sibi tradita instituta cum latinis ritibus institutisque commutanda* ...

2) Facta.

a) Ubi primum initium emigrationis Slavorum catholicorum ritus orientalis locum habuisset, S. Sedes statim communitatibus eorum propriam organisationem ecclesiasticam dare sollicita est. Ita S. P. Pius X iam anno 1908 (A.A.S., vol. XLI, p. 1-12) ritum ruthenum in Statibus Unitis Americae instituit. Similia provedimenta postea ad Canadam et ad totum orbem terrarum extensa sunt. Russiam quod attinet, idem S. Pontifex, die 22 Maii 1908, expresse iussit, ut ritus sic dictus « sy-

nodalis » « pure ac fideliter, absque ulla latini aliusque cuiuslibet ritus admixtione » conservaretur (Gatti-Korolevskij, I riti e le Chiese orientali, p.888).

b) S. Sedes peculiari sollicitudine curat codificationem Iuris Canonici Orientalis, cuius aliquae partes iam officialiter promulgatae sunt.

c) In ipsa Urbe a S. Sede varia Collegia Orientalia fundata sunt. Inter haec Pont. Collegium Ruthenum et Pont. Collegium Russicum expresse pro populis slavicis ritus orientalis destinata sunt.

d) A S. Sede libri liturgici orientales typis impressi eduntur et quidem non solum recensione Ruthena, sed etiam — quod maximi momenti est — recensione Vulgata, qua Russi utuntur, etiamsi inter ipsos paucissimi catholici in praesens enumerentur.

Stantibus tantis et talibus documentis factisque, S. Sedes nequaquam de ambiguitate, de defectu praecisionis et coaerentiae deque tendentiis latinisantibus in exercendo apostolatu inter populos slavicos accusari potest.

His adductis, auctor articuli sperat se sufficienter explicasse necnon clariorem fecisse suam ideam.

Ios. M. Schweigl, S. I.

MONUMENTA

SS. D. N. Pius Pp. XII

7 - ALLOCUTIO

(*AAS.* XXXXIX [18-24 maii 1957] p. 291)

Ad Moniales, ob Conventum nationalem e Moderatricibus atque Religiosis, nosocomiis addictis, Romae coadunatis. *

Vi diamo il Nostro paterno benvenuto, dilette figlie, Religiose e Superiore degli ospedali, delle cliniche e delle case di cura. Voi siete convenute a Roma per il vostro primo Convegno nazionale, allo scopo di studiare il tema « Vita e apostolato religioso, organizzazione e professione dell'Assistenza sanitaria agli infermi); Ci è parso quindi che non avremmo potuto rimanere assenti, Noi che vediamo con somma gioia muoversi, con prudenza e ardimento, tutto il mondo delle Religiose, intente ad esaminare i mezzi e i metodi, che più gioveranno al rinnovamento della loro vita e della loro azione apostolica.

Questo indica quanto voi siete persuase che la Chiesa, immutabile nei suoi principî e nelle sue essenziali istituzioni, non è tuttavia immobile, ma

* Habita die 24 Aprilis mensis a. 1957.

vive, cresce e si adatta ai nuovi tempi e alle mutate circostanze, per essere in ogni epoca anima del mondo. Della vostra generosa, pronta, e fiduciosa risposta ai desideri della Santa Sede Noi siamo grati a quanti hanno voluto affrontare i complessi e numerosi problemi che vi riguardano. E chiediamo al Signore affinchè voglia illuminarli e sostenerli nell'ardua impresa, che si sono assunta.

Non vi è bisogno che Noi riaffermiamo la Nostra certezza sulla insostituibilità delle Religiose in molteplici campi dell'apostolato cattolico; soprattutto in quello della educazione e della scuola, non meno che della carità. La stessa opera missionaria della Chiesa è, già da lungo tempo, quasi inconcepibile senza la partecipazione delle Suore; ma anche in non poche regioni, in cui è costituita la sacra Gerarchia, il loro lavoro è indispensabile per la retta organizzazione della cura spirituale. Senza la loro collaborazione, a molti progressi avrebbe dovuto forse rinunciare la Chiesa, non poche posizioni, faticosamente conquistate, avrebbero forse dovuto essere abbandonate. Con l'opera delle vostre mani materne, dilette figlie, la Chiesa sostiene i vecchi cadenti, coi palpiti del vostro cuore la Chiesa riscalda le anime dei piccoli orfani, col fervore della vostra dedizione la Chiesa assiste i malati.

Ma poichè siete un esercito di donne consacrate a Dio, offerte alla Chiesa in ispirito di olocausto perenne, è sempre opportuno, anzi talvolta è necessario, che di tanto in tanto si faccia il bilancio del vostro lavoro e in tale occasione si riguardino alcuni metodi di vita e di azione, allo scopo

di vedere se essi sono ancora utili ed efficaci, come lo furono nei tempi passati.

Eccovi dunque a un Convegno, dove si alternano la preghiera assidua, lo studio intenso e le discussioni animate e serene: potete ben immaginare come esso Ci trovi consenzienti e fiduciosi; Ci sembra infatti necessario che vi rendiate conto di ciò che dovete essere, di ciò che dovete fare, affinchè il delicatissimo argomento dell'assistenza agli infermi sia completamente e sapientemente esaminato e risoluto. Egregi oratori e conferenzieri illustreranno, con la chiarezza che loro deriva dal lungo studio e dalla diuturna esperienza, i criteri che devono ispirare e determinare i rapporti tra la vita religiosa e l'assistenza agli infermi; Noi quindi Ci restringeremo a proporvi alcuni brevi pensieri, per contribuire in qualche modo alla buona riuscita del vostro Incontro.

I. *Siate anzitutto vere religiose*

E' verità di fede, da Noi stessi anche recentemente enunciata nella Enciclica *Sacra Virginitas* del 25 Marzo 1954, che la verginità è superiore allo stato matrimoniale, perchè l'anima vergine stringe vincoli di assoluto e indissolubile amore direttamente con Dio, anzi con Dio incarnato, Cristo Gesù. Infatti tutto ciò che essa ha ricevuto in dono da Dio per essere sposa e madre, viene da lei offerto in olocausto a Lui sull'altare di una completa e perenne rinuncia. L'anima vergine, per giungere al cuore di Dio, amarlo ed esserne amata, non passa attraverso altri cuori, nè si fer-

ma a trattare con altre creature; nulla si frappone tra lei e Gesù, nessun ostacolo, nessun diaframma.

Nel matrimonio, invece, pur essendo un vero sacramento, una delle sette sorgenti di grazia istituite da Cristo stesso; pur importando la offerta reciproca dell'uno all'altro coniuge; pur raggiungendo una vera fusione di vite e di destini; vi è, nei confronti di Dio, qualche cosa che è trattenuta, che non viene data affatto o non viene data completamente; solo le anime vergini offrono ciò che per altre creature amanti è una irraggiungibile mèta; per esse il primo gradino del loro salire è anche l'ultimo: e il termine dell'ascesa è vertice insieme e abisso di profondità.

Chiamate da Dio, per un ineffabile disegno di amore, a questo stato di predilezione, voi dovete essere di fatto, non ostante qualunque sacrificio, quello che siete di diritto.

Dovete essere vere spose del Signore: anime unite indissolubilmente, initimamente e unicamente con Lui; anime senza macchia, staccate dal mondo dei sensi, dal mondo del denaro, dal mondo delle vanità. E volentieri riconosciamo che moltissime Suore corrispondono pienamente all'ideale della loro vocazione o almeno grandemente vi si avvicinano. Oh se tali esse fossero tutte, quante sono le religiose del mondo! Se fra di loro non vi fossero mai — non diciamo tradimenti —, ma nemmeno i minimi indizi d'infedeltà, i minimi segni di indifferenza, di freddezza e di incomprensione! Solo il Signore sa quale maggiore fioritura di vita e fruttificazione di opere vedrebbe la Chiesa! E se ne accorgerebbero soprattutto gli infermi, a voi

affidati, i quali vedrebbero sempre veramente in voi Gesù Cristo.

Affinchè tale vita religiosa non venga messa in pericolo o pregiudicata dalla vostra opera di assistenza ai malati, voi dovete reagire contro tutto ciò che si oppone allo spirito di assoluta e perenne dedizione a Dio. Attente, per esempio, a quell'azione disordinata e irrequieta, che non lascia tempo e calma per Gesù; per ascoltarLo, per chiederGli quali sono i Suoi voleri, i Suoi desideri, le Sue preferenze; per renderGli conto di quello che avete fatto, di come lo avete fatto. Attente, inoltre, a ciò che vi dovesse strappare troppo a lungo o troppo spesso alla vita comune: la quale, se importa alcune rinunzie, è anche una valida protezione per la vostra vita interiore e un grande esercizio di carità. Attente alla osservanza dello spirito di povertà, non soltanto individuale, ma anche collettivo. Senza dubbio Noi ben conosciamo le esigenze economiche delle vostre cliniche, le quali vogliono e debbono essere pari a ciò che si richiede per un ospedale moderno, e che non è sempre facile in tale condizione di rimanere in tutto fedeli all'ideale della povertà. Nonostante ciò, crediamo di poter farvi accorte al pericolo di facili tentazioni, da cui non vanno sempre esenti le Religiose che assistono gl'infermi: Ci riferiamo ad alcune cliniche, dove sembra che i criteri finiscano col non essere molto dissimili da quelli di certe aziende di lucro.

2. *Dallo spirito religioso, intensamente vissuto, deve derivare in voi l'assistenza agli infermi.*

Da quando l'uomo ha potuto ammalarsi, non è mancato chi si preoccupasse di assisterlo, di curarlo, come i tempi e i mezzi permettevano. Ma i veri e propri edifici costruiti allo scopo di ricoverare e di assistere gli infermi sono sorti più tardi e — non bisogna dimenticarlo — solo per effetto della carità universale, lasciata in eredità alla Chiesa dal Suo divino Fondatore, come avemmo occasione di mostrare in altra occasione [1]. Oggi di questo problema — come di non pochi altri — si interessano anche coloro che erano rimasti per lungo tempo indifferenti ed assenti. Siano benedetti i loro sforzi, e siano benvenuti quanti, nella grande casa della umana sofferenza, vogliono prestare la loro opera. Ma nessuno pensi che la Chiesa possa abbandonare il suo ufficio materno di confortatrice dei malati e dei sofferenti: nessuno, infatti, potrebbe sostituirla interamente nella sua missione presso l'infermo, che ha non soltanto un corpo, ma anche un'anima, spesso più di quello bisognosa di cura. E stimiamo che i primi ad esserne convinti sono i buoni medici, i quali sanno ben stimare quale beneficio sia la presenza e l'opera delle Suore infermiere cattoliche.

Di qui la Nostra volontà che non si arresti il cammino intrapreso, il quale ha come mèta la preparazione di una schiera di anime sempre più numerose e più pronte per gli uffici che le attendono accanto ai malati. Per questo voi, dilette figlie,

[1] Cfr. *Discorsi e Radiomessaggi*, vol. XIV, pag. 155-156.

avete lasciato la famiglia, quella che avevate, e quella che avreste potuto avere; per questo non dovete trascurare nulla di quanto può rendervi più capaci a dirigere luoghi di cura e specialmente a soccorrere gl'infermi. Non basterebbe per quest'opera essere religiose, e nemmeno religiose perfette; è necessario di possedere anche le indispensabili nozioni tecniche relative ai nuovi metodi di cura, ai nuovi strumenti che devono essere adoperati, ai nuovi medicinali che devono essere somministrati. Essendo Religiose, voi dovete, come e più delle altre infermiere, sorvegliare il vostro temperamento e formare il vorstro carattere. Vi occorre, per esempio, tenerezza materna davanti alle mille sofferenze, che vi chiedono conforto ed aiuto; vi occorre dolce fermezza di fronte a intemperanze o indiscrete richieste dei malati; vi occorre un ritmo dinamico di vita, e al tempo stesso, una costante calma che vi fa dominare gli avvenimenti. Vi è bisogno di una prontezza, che non vi trovi mai impreparate, anche nei casi più imprevisti e più improvvisi; vi occorre pazienza serena, gioiosa, un saper prevedere e provvedere, che nulla dimentica e nulla trascura. E come abbiamo raccomandato di nulla accettare che possa nuocere al genuino spirito religioso, così dobbiamo farvi avvertite che talvolta alcuni orari e consuetudini potrebbero rendere meno efficiente e meno facile il vostro ufficio presso gli infermi. Le Superiore devono mostrarsi anche in ciò sagge e vigilanti. Voi dovete essere religiose e insieme assistere i malati: bisogna che vi adoperiate affinchè ambedue le esigenze vengano considerate e attuate.

3. *Per questo Ci sembra che giovi in modo eminente il vedere in ogni malato Gesù.*

Quando giunge nelle vostre cliniche, nei vostri ospedali, un ospite, cui sembra, per qualche giusto motivo, che siano dovuti particolari riguardi, voi sapete ciò che suole accadere: subito è tutto un accorrere, un offrirsi, un prodigarsi di medici, di infermieri, di tutti, affinchè nulla gli manchi, di nulla egli abbia a lamentarsi. Che cosa avverrebbe allora, se un giorno, all'improvviso, venisse a chiedere ospitalità Gesù? Che gara sarebbe per stargli vicino, quale prontezza a qualsiasi sacrificio per essere scelte voi a farGli compagnia, a confortarlo, a curarlo? Allora ogni delicatezza vi sembrerebbe insufficiente, ogni attenzione troppo piccola, ogni orario opportuno.

Ora è certo che ogni uomo infermo è l'immagine di Gesù. « Domine, quando te vidimus infirmum? » gli chiederanno, un giorno, gli eletti « et venimus ad te? ». E il Signore risponderà: « quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » [2].

Se aveste viva fede; se oltre i volti umani — volti contratti dallo spasimo, o sbiancati dal consumarsi dell'organismo, volti infiammati dalla febbre, volti inquieti per il timore dell'aggravarsi del male, volti immobili rassegnati —, se oltre tutti i volti, voi sapeste ravvisare Gesù in tutte le corsie, giacente in tutti i letti, immobile nella solennità misteriosa delle sale operatorie; non sentireste

---

[2] Matth. 25, 39-40.

più il trapasso dalla cappella alla corsia, nè sussisterebbe il timore che l'osservanza religiosa nuoccia all'assistenza o questa sia di danno a quella. Voi continuereste ad amarlo egualmente, comunque e dovunque si nascondesse. Non vi sarebbe nessuna interruzione di colloquio con Lui; nessuna distrazione, nessuna dimenticanza di ciò che Egli è, di ciò che Egli vuole.

Allora sarà facile per voi passare le notti insonni davanti ai malati gravi, cui si annebbia ormai la vista e muoiono in cuore tutte le umane speranze; allora saprete sorridere davanti all'indifferenza, e perfino davanti all'insulto; allora saprete trovare sempre nuove fresche energie, come se il malato di oggi fosse il primo da voi avvicinato; allora saprete essere minuziose e precise, come se egli fosse l'ultimo malato, cui dovete prestare le cure prima di essere richiamate da Dio.

Dilette figlie!

Ecco quanto abbiamo creduto di dovervi dire all'aprirsi di questo vostro Convegno, che benediciamo con tutta l'effusione dell'animo Nostro, grati per quanto avete fatto finora, e pieni di fiducia per quanto farete ancora nell'avvenire.

La Chiesa, il Papa contano su di voi: sulla vostra dedizione completa, sulla vostra capacità, sul vostro spirito di amore.

8 - NUNTIUS RADIOPHONICUS

(*AAS.* XXXXIX [18-24 maii 1957] p. 276)

AD CHRISTIFIDELES, DIE PASCHATIS RESURECTIONIS D. N. I. C., DEVOTA OMINA SUMMO PONTIFICI AC VENERATISSIMO PATRI IN FORO SANCTI PETRI PROCLAMANTES. *

Ancora una volta una moltitudine immensa « di ogni lingua e popolo e nazione » [1] riempie questa maestosa piazza, la quale, diletti figli e figlie, par che tutti vi stringa e vi unisca. E con voi, presenti in ispirito, sono i milioni di altri fedeli, che devotamente ascoltano la Nostra voce.

Brilla ai vostri occhi una luce nuova, risuona nei vostri cuori un inno di gioia e di gloria: lo cantano mille e mille voci, lo accompagnano le armonie degli organi, lo diffondono nell'aria, sui monti e nelle valli, gli squilli delle campane. E' Pasqua. E' il giorno che ha fatto il Signore per la nostra esultanza, per la nostra letizia: « Haec dies, quam fecit Dominus: exsultemus et laetemur in ea » [2].

Sa il Signore come vorremmo penetrare in ogni casa, passare attraverso tutte le corsie degli ospedali, sostare benedicenti accanto ad ogni culla chinarCi con tenerezza su ogni sofferenza; vorremmo poter liberare tutti da ogni timore, per

---

* Die 21 Aprilis mensis a. 1957.

[1] Apoc. 5, 9.

[2] In Off. Domin. Resurrect.

donare a tutti la pace, per riempire tutti di gaudio. Purtroppo non è possibile fare quanto brameremmo; e allora Ci restringeremo a rivolgervi la Nostra parola, a confidarvi — come abbiamo fatto altre volte — qualche pensiero natoCi in cuore durante la Nostra meditazione.

Si sono appena spenti gli echi del « Praeconium paschale », e Noi abbiamo ancora nell'animo un particolare motivo fra i tanti che si inseguono, si intrecciano e si fondono in ardita armonia. Dopo l'invito all'esultanza, rivolto all'angelica turba dei cieli, alla terra, alla madre Chiesa e ai popoli tutti, l'attenzione del canto liturgico si ferma sulla notte che precedette la risurrezione del Signore. Notte vera, notte di passione, di angoscia, di tenebre; eppure notte beata: « vere beata nox »; perchè sola meritò di conoscere il tempo e l'ora nella quale Cristo risorse da morte, ma soprattutto, perchè di essa fu scritta: la notte s'illuminerà come il giorno: « et nox sicut dies illuminabitur ». Una notte che preparava l'alba e lo splendore di un giorno luminoso; un'angoscia, una tenebra, una ignominia, una passione, che preparavano la gioia, la luce, la gloria, la risurrezione.

1. Considerate, diletti figli, che cosa avviene in una notte di tempesta. Sembra che la natura sia sconvolta e giunta alla sua ultima ora, senza speranza. Il viandante smarrito non ha neppure la debole luce delle lontane stelle per raccogliere fiducia e direzione; le piante, i fiori, tutto il palpitare della vità è sommerso nell'ombra, ombra quasi di morte. Come sarà possibile ridestare il canto e il profumo? Pare che ogni sforzo sia inu-

tile: gli esseri non si riconoscono nella oscurità, la via non si ritrova, le parole si perdono nell'infuriare della procella.

Eppure tutti gli elementi vi sono; nelle zolle stesse della terra è un fremito di attesa; i semi gemono nella sofferenza; gli uccelli dell'aria hanno ferme le ali, desiderose di librarsi nel libero volo: ma nulla si può muovere.

Ecco però che verso l'oriente un tenue chiarore appare; il fragore del tuono si calma, il vento dilata le nubi e appaiono ridenti le stelle: è l'aurora. Il pellegrino si arresta; un sorriso compare sullo stanco volto, mentre l'occhio ardente si illumina di speranza. Il cielo si imporpora, si succedono con rapido ritmo i colori che via via si sbiancano; un ultimo fremito, un guizzo, un bagliore: è il sole. Si scuote la terra, si desta la vita, si leva un canto.

2. Anche la notte, che precedette la risurrezione di Gesù, fu notte di desolazione e di pianto, fu notte di tenebra. I nemici di Lui erano soddisfatti di aver chiuso finalmente, nella tomba, il « seduttore del popolo ». Percosso il Pastore, il piccolo gregge era andato disperso. Desolati, sconcertati, gli amici di Gesù sono costretti a nascondersi per il timore degli scribi e dei farisei. Gesù è nella tomba. La salma giace sulla roccia fredda e tutto il suo corpo è ancora piagato; le labra sono mute. Che rimane più delle sue parole così piene di maestà e di sapienza? Dove sono i suoi comandi ai venti e alle tempeste; dove è il suo potere di sfuggire alle diaboliche insidie dei suoi nemici o di far fronte coraggiosamente ai loro furo-

ri? Dove è la sua facoltà di sanare i malati, di risuscitare i morti? Tutto (pareva) è finito; e sono stati sepolti con Lui, nella tomba, non solo gli ambiziosi progetti di alcuni, ma anche le discrete speranze di molti. Tutto è finito; vanno mormorando gli uomini; e nella loro voce è l'espressione di una disperata tristezza. Tutto è finito, par che rispondano le cose.

Eppure chi avesse potuto guardare oltre la pietra che chiudeva il sepolcro, avrebbe avuto l'impressione che gli occhi di Gesù non fossero chiusi per la morte, ma per il sonno; nè vi era traccia di corruzione nelle sue membra e il suo volto aveva ancora ben visibili i segni della sua sovrumana bellezza, della sua infinita bontà. Dopo la morte, il corpo di Gesù, come la sua anima, rimase congiunto col Verbo, con la divinità, che vive ed opera in quelle membra. Poco lontano, in una casetta modesta e silenziosa, arde una fiamma di fede non mai spenta: Maria attende fiduciosa Gesù.

Ed ecco: la terra trema; l'angelo scende dal cielo, rovescia la pesante pietra che chiude il sepolcro, e si asside, maestoso e sereno, su di essa. I soldati fuggono e vanno a portare rudemente ai nemici di Gesù la prima prova della loro bruciante sconfitta. E' l'alba, ormai.

Maria Maddalena sta correndo quasi senza sapere dove, sospinta da un amore che non ammette soste e non consente riflessione: eccola, all'improvviso, come tramortita davanti a Gesù, che la saluta con infinita tenerezza. Le pie donne, col cuore in tumulto per l'annunzio dato loro dall'angelo, incontrano anch'esse Gesù e volano dagli

apostoli ad annunziare la risurrezione, per farli partecipi della loro gioia, della loro pace. Intanto Pietro ha avuto dal Signore con ineffabile segno la certezza del suo perdono. E Gesù entra nel Cenacolo a porte chiuse e trova gli apostoli; li conforta, li calma: lascia loro la sua pace. Poi ritorna per ravvivare la fede vacillante di Tommaso. Otto giorni prima, sulla strada di Emmaus, egli si era accompagnato a due desolati discepoli e si era mostrato loro nell'atto di spezzare il pane.

La notte è finita: con essa è finita l'angoscia, è finito lo spavento; sono scomparsi i dubbi; si sono illuminate le tenebre; è tornata la speranza, la certezza. Splende di nuovo il sole. Si leva un canto festoso: *Resurrexit, alleluia.*

3. Così vorremmo, dilettissimi figli, che un'altra notte, la notte che è scesa sul mondo e che opprime gli uomini, vedesse presto la sua alba e fosse baciata dai raggi di un nuovo sole.

Noi abbiamo più volte fatto notare che gli uomini, di tutte le nazioni e di tutti i continenti, sono costretti a vivere, disorientati e trepidanti, in un mondo sconvolto e sconvolgitore. Tutto è divenuto relativo e provvisorio, perchè è sempre meno efficiente, e quindi meno efficace. L'errore, nelle sue quasi innumerevoli forme, ha reso schiave le intelligenza di creature, peraltro molto elette, e il malcostume, di ogni tipo, ha raggiunto gradi di precocità, di impudenza, di universalità tali da preoccupare seriamente coloro che sono pensosi delle sorti del mondo. L'umanità sembra un corpo infetto e piagato, nel quale il sangue circola a stento,

perchè si ostinano a rimanere divisi, e quindi non comunicanti, gli individui, le classi, i popoli. E quando non si ignorano, si odiano: e cospirano e lottano, e si distruggono.

Ma anche questa notte del mondo ha chiari i segni di un'alba, che verrà, di un nuovo giorno baciato da un nuovo e più splendente sole.

Intanto nel mondo, provvidenzialmente, stanno moltiplicandosi i mezzi per lo sviluppo più pieno e più libero della vita. Mentre le scoperte della scienza allargano l'orizzonte delle possibilità umane, la tecnica e l'organizzazione rendono effettive tali conquiste, mettendole a servizio immediato dell'uomo. L'energia nucleare ha già dato praticamente inizio ad un'epoca nuova: le case sono già illuminate con energia proveniente dalla utilizzazione della fissione nucleare, e non sembra troppo lontano il giorno, in cui le città saranno illuminate e le macchine saranno mosse da processi di sintesi simili a quelli che accendono da miliardi di anni il sole e le altre stelle. La elettronica e la meccanica stanno cambiando il mondo della produzione e del lavoro con l'automazione: l'uomo diventa, così, sempre più il signore delle opere sue e vede il suo lavoro elevarsi come qualificazione e intelligenza. I mezzi di trasporto uniscono un punto e l'altro del pianeta in un'unica rete, che può essere chiusa con una velocità superiore al moto apparente del sole. I missili solcano le profondità dei cieli e i satelliti artificiali stanno per stupire lo spazio con la loro presenza. L'agricoltura moltiplica con la chimica nucleare le possibilità di alimentare una

umanità assai più grande di quella di oggi mentre la biologia guadagna giorno per giorno terreno nella battaglia contro le più terribili malattie.

Eppure tutto questo è ancora notte. Notte, sia pure, piena di fremiti e di speranze, ma notte. Notte che potrebbe divenire perfino e improvvisamente tempestosa, se apparissero qua e là i bagliori dei lampi e si udisse lo scoppio dei tuoni. Non è forse vero che la scienza, la tecnica e l'organizzazione sono divenute spesso fonti di terrore per gli uomini?

Essi quindi non sono più sicuri come una volta. Vedono con sufficiente chiarezza che nessun progresso da sè solo può far rinascere il mondo. Molti intravedono già — e lo confessano — che a questa notte del mondo si è giunti, perchè è stato arrestato Gesù, perchè si è voluto renderlo estraneo alla vita familiare, culturale, e sociale; perchè si è sollevato il popolo contro di Lui, perchè è stato crocifisso e fatto muto ed inerte.

E vi è una moltitudine di anime ardite e pronte, conscie che tale morte e sepoltura di Gesù fu possibile solo perchè tra gli amici di Lui si trovò chi lo rinnegasse e lo tradisse; vi furono tanti che fuggirono spaventati davanti alle minacce dei nemici. Quelle anime sanno che un'azione tempestiva, concorde ed organica cambierà la faccia della terra, rinnovandola e migliorandola.

E' necessario rimuovere la pietra tombale, con cui si sono voluti chiudere nel sepolcro la verità e il bene; occorre far risorgere Gesù; di una risurrezione vera, che non ammetta più alcun do-

minio della morte: « Surrexit Dominus vere »[3], « mors illi ultra non dominabitur »[4].

Negli individui Gesù deve distruggere la notte della colpa mortale con l'alba della grazia riacquistata.

Nelle famiglie, alla notte dell'indifferenza e della freddezza deve succedere il sole dell'amore.

Nei luoghi di lavoro, nelle città, nelle nazioni, nelle terre dell'incomprensione e dell'odio, la notte deve illuminarsi come il giorno « nox sicut dies illuminabitur »: e cesserà la lotta, si farà la pace.

Vieni, o Signore Gesù.

L'umanità non ha la forza di rimuovere la pietra che essa stessa ha fabbricata, cercando di impedire il tuo ritorno. Manda il tuo angelo, o Signore, e fa che la nostra notte si illumini come il giorno.

Quanti cuori, o Signore, ti attendono! Quante anime si consumano per affrettare il giorno in cui tu solo vivrai e regnerai nei cuori! Vieni, o Signore Gesù.

Vi sono tanti segni che il tuo ritorno non è lontano.

O Maria, che lo hai visto risorto; Maria, cui il primo apparire di Gesù ha tolto l'angoscia inenarrabile prodotta dalla notte della passione; Maria, a Te offriamo la primizia di questo giorno. A Te, Sposa del divino spirito, il nostro cuore e la nostra speranza. Così sia!

---

[3] Luc. 24, 34.
[4] Rom. 6, 9.

9 - ALLOCUTIO -

(*AAS.* XXXXIX [24-27 aug. 1957] p. 629)

Iis qui interfuerunt Conventui, Romae habito, de constituenda Unione Europaea *.

Nous sommes heureux de vous recevoir, Messieurs, à l'occasion du Congrès d'Europe, réuni sur l'initiative du Conseil italien du Mouvement Européen. Vous avez voulu par vos travaux contribuer à renforcer la collaboration entre les organisations et les forces politiques en vue de constituer sans retard l'unité de l'Europe.

Vous savez avec quelle sollicitude Nous suivons les progrès de l'idée européenne et des efforts concrets, qui tendent à la faire pénétrer davantage dans les esprits et à lui donner, suivant les possibilités actuelles, un commencement de réalisation. Bien que passant par des alternatives de succès et de revers, elle a, pendant ces dernières annés, gagné beaucoup de terrain. Aussi longtemps en effet qu'elle ne s'incarnait pas dans des institutions communes douées d'une autorité propre et indépendantes, dans une certaine mesure, des gouvernements nationaux, on pouvait la considérer comme un idéal très beau sans doute, mais plus ou moins inaccessible.

Or, en 1952, les Parlements de six pays d'Europe occidentale, ont approuvé la formation de la Communauté Européenne du Charbon et de l'A-

---

* Habita die 13 Iunii mensis a. 1957.

cier (C.E.C.A.), dont les résultats s'avèrent actuellement encourageants sur le plan économique et social. La Communauté Européenne de Défense (C.E.D.), qui devait engager les efforts d'unification sur le plan militaire et politique, se heurta par contre à de vives résitances qui la firent échouer. A ce moment, beaucoup pensèrent que les premiers espoirs d'aboutir à l'unité mettraient longtemps à renaître. En tous cas, le moment d'aborder de face le problème d'une communauté supranationale n'était pas encore venu, et l'on dut se replier sur la formule de l'Union de l'Europe Occidentale (U.E.O.) qui, outre l'assistance militaire, avait pour tâche de favoriser la collaboration dans le domaine social, culturel et économique. Mais, comme le principe de la décision majoritaire au Conseil des Ministres y est soumis à d'étroites limitations, et comme l'Assemblée n'est pas capable d'imposer sa volonté et d'exercer le contrôle parlementaire, on ne peut la considérer comme un fondement suffisant pour y édifier une vraie communauté d'Etats. Dè le printemps de 1955, s'amorçait ce qu'on a nommé « la relance européenne »; elle allait aboutir le 25 mars 1957 à la signature des traités de l'Euratom et du Marché commun. Bien que cette communauté nouvelle soit restreinte au domaine économique, elle peut conduire, par l'étendue même de ce champ d'action, à affermir entre les Etats membres la conscience de leurs intérêts communs d'abord sur le seul plan matériel, sans doute, mais si le succès répond à l'attente, elle pourra ensuite s'étendre

aussi aux secteurs qui engagent davantage les valeurs spirituelles et morales.

Votre Congrès a regardé franchement vers l'avenir et examiné en premier lieu le point décisif, dont dépend la constitution d'une communauté au sens propre : l'établissement d'une autorité politique européenne possédant un pouvoir véritable qui mette en jeu sa responsabilité. De ce point de vue, l'exécutif de la Communauté Economique Européenne (C.E.E.) marque un recul par rapport à celui de la Communauté du Charbon et de l'Acier, où la Haute Autorité jouit de pouvoirs relativement vastes et ne dépend du Conseil des Ministres qu'en certains cas déterminés. Parmi les tâches, qui vous attendent maintenant, se place d'abord la ratification, par les divers Parlements, des traités susdits signés à Rome le 25 mars ; puis vous aurez à chercher les moyens de pourvoir au renforcement de l'exécutif dans les communautés existantes, pour arriver enfin à envisager la constitution d'un organisme politique unique.

Vous avez étudié aussi la question d'une politique extérieure commune et noté à ce sujet que, pour être applicable et produire d'heureux résultats, elle ne suppose pas nécessairement que l'intégration économique soit déjà un fait accompli. Une politique extérieure européenne commune, susceptible d'ailleurs d'admettre des différenciations selon qu'elle s'exerce dans le cadre de tel ou tel organisme international, repose également sur la conscience d'intérêts communs économiques, spirituels et culturels ; elle devient indispensable dans un monde, qui tend à se grouper en blocs plus ou

moins compacts. Les points d'appui ne manquent heureusement pas pour la mettre en oeuvre dans les institutions européennes existantes, mais elle attend encore un instrument efficace d'élaboration et d'application.

Enfin vous avez considéré les problèmes de l'association de l'Europe et de l'Afrique, auxquels le récent traité du Marché commun a réservé une place notable. Il Nous paraît nécessaire que l'Europe garde en Afrique la possibilité d'exercer son influence éducative et formative et qu'à la base de cette action, elle déploie une aide matérielle large et compréhensive, qui contribue à relever le niveau de vie des peuples africains et à mettre en valeur les richesses naturelles de ce continent. Ainsi prouvera-t-elle que sa volonté de former une communauté d'Etats ne constitue pas un repliement égoïste, qu'elle n'est pas commandée par un réflexe de défense contre les puissances extérieures, qui menacent ses intérêts, mais procède surtout de mobiles constructifs et désintéressés.

A l'heure actuelle, on aperçoit de plus en plus la nécessité de l'union et celle de poser patiemment les bases sur lesquelles elle s'appuiera. Tantôt dans la joie, tantôt dans la peine, la construction s'élève et, malgré les tentatives avortées, on la poursuit avec courage. Vous osez dépasser hardiment le stade des réalisations actuelles pour préparer déjà les pierres nécessaires à l'édifice de demain. Nous Nous en réjouissons, persuadé que l'inspiration qui vous anime procède d'un sentiment droit et généreux. Vous voulez procurer, par les meilleurs moyens possibles, à l'Europe

tant de fois déchirée et ensanglantée, une cohésion durable, qui lui permette de continuer sa mission historique. S'il est vrai que le message chrétien fut pour elle comme ferment déposé dans la pâte, qui la travaille et en fait lever la masse, il n'est pas moins vrai que ce même message reste, aujourd'hui comme hier, la plus précieuse des valeurs dont elle est dépositaire; il est capable de garder dans leur intégrité et leur vigueur, avec l'idée et l'exercice des libertés fondamentales de la personne humaine, la fonction des sociétés familiale et nationale, et de garantir, dans une communauté supra-nationale, le respect des différences culturelles, l'esprit de conciliation et de collaboration avec l'acceptation des sacrifices qu'il comporte et les dévoûments qu'il appelle. Aucune tâche d'ordre temporel n'arrive à son terme sans en susciter d'autres, sans soulever par sa réalisation même d'autres besoins, d'autres objectifs. Les sociétés humaines restent toujours en devenir, toujours en quête d'une meilleure organisation et souvent ne se survivent qu'en disparaissant et en donnant naissance par là même à des formes de civilisation plus brillantes et plus fécondes. A chacune, le christianisme apporte un élément de croissance et de stabilité; surtout il dirige leur marche en avant vers un but bien défini et leur donne l'immuable assurance d'une patrie, qui n'est pas da ce monde et qui seule connaîtra l'union parfaite, parce que procédant de la force et de la lumière de Dieu même.

Nous souhaitons de tout coeur que cet idéal guide toujours vos recherches et vous permette de

supporter sans découragement les fatigues, les amertumes, les déceptions inhérentes à toute entreprise de cette envergure. Puissiez-vous préparer aux hommes de ce temps une demeure terrestre qui ressemble davantage au Royaume de Dieu, Royaume de vérité, d'amour et de paix, auquel ils aspirent dans leur être le plus profond.

En gage des faveurs divines que Nous implorons sur vos travaux, Nous vous accordons pour vous-mêmes, vos familles et tous ceux qui vous sont chers, Notre Bénédiction Apostolique.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

Sacra Congregatio Rituum

I

10 - DECRETUM

(*AAS.* XXXXIX [22 iulii 1957] p. 424)

DE MODO SERVANDO IN IUDICIO FERENDO SUPER REVISIONE SCRIPTORUM IN CONGREGATIONE ORDINARIA S. RITUUM CONGREGATIONIS.

Inter inquisitiones, quae a Codice Iuris Canonici Episcopis demandantur ad introductionem Causae Beatificationis Servorum Dei a Sede Apostolica obtinendam, non parvi momenti aestimanda est perquisitio scriptorum a Servis Dei exarato-

rum, cum evidens sit ex his ipsam indolem, characterem, animum scriptorum manifestari.

Perspicua est quoad operum revisionem lex decretorum Urbani VIII: « Praeterea illud etiam diligentissime indagandum est, an ille, vel illa pro cuius Canonizatione instatur, scripserit aliquos libros, tractatus, opuscula, meditationes, vel quid simile; nam si scripsisse constiterit, non prius est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quam tales libri diligenter in Sacra Congregatione examinentur, utrum contineant errores contra fidem vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam vel peregrinam atque a communi sensu Ecclesiae et consuetudine alienam ».

Quae disciplina a Benedicto XIV magis determinata, in Codicem Iuris Canonici transivit, qui Cann. 2065 et seqq. in revisione scriptorum praxim sequendam sancivit.

Attamen, gravitate rei permota, haec Sacra Congregatio, ut pleniori iudicio talia scripta excutiantur, uti iam pro Causae introductione statutum est, etiam pro scriptorum examine in Congregatione Ordinaria peragendo, statuendum esse putavit, ut praeter S. C. Secretarium, Promotorem Generalem Fidei, et Subpromotorem, adsit quoque ea pars Consultorum, qui inscribuntur « Officiales Praelati »; iique supradicti omnes suum consultivum concisum votum super tali revisione, scripto exaratum, legant coram Patribus Cardinalibus, qui postea rem excutient.

Quae omnia, cum ab infrascripto Cardinali, S. R. C. Praefecto, Sanctissimo D. N. Pio Papae XII relata sint, Sanctitas Sua approbavit, ac

in posterum ad instar normae pro ferendo super scriptis iudicio servanda iussit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Aprilis 1957.

C. Card. Cicognani, *Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *a Secretis*

II

11 - DECRETUM

URBIS ET ORBIS

Sanctissimam Eucharistiam maximo cum decore asservare sedula ac vigilanti cura semper studuit sancta Mater Ecclesia. Haec tamen sollicitudo diversimode per saecula in rem deducta est. Exinde percrebrescens in dies Eucharistica fidelium pietas, locum, ubi Dominicum asservatur Corpus, florescentis christianae vitae centrum effecit.

Ad praecavendos vero abusus, et ut omnia secundum ordinem fierent, nonnulla documenta, decreta aut leges competens Auctoritas pluries emanavit, quibus locus, forma, usus Eucharistiae asservandae determinarentur. Quae omnia Codex Iuris Canonici ita colligit et exprimit: Can. 1268, § 2: « Sanctissima Eucharistia custodiatur in praecellentissimo ac nobilissimo Ecclesiae loco, ac proinde regulariter in altari maiore ». Can. 1269, § 1: « Sanctissima Eucharistia servari debet in

tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito ».

Novissime autem, Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII, in sermone ad eos qui Congressui Internationali liturgiae pastoralis Assisii interfuerunt, die 22 Septembris an. 1956 habito [1], potiora quaedam capita circa doctrinam et praxim Ecclesiae de reali praesentia Christi Domini in tabernaculo lucide exposuit, modernos quosdam errores reppulit, et pietatis exercitia erga Eucaristicum Sacramentum in tabernaculis asservatum, iuxta probatam Ecclesiae traditionem summopere commendavit.

His prae oculis habitis, Sacra haec Rituum Congregatio, vi facultatum sibi a Ss.mo D. N. Pio divina Providentia Papa XII tributarum, haec decrevit:

1. Normae a Codice Iuris Canonici circa Ss. Eucharistiam asservandam statutae (Cann. 1268, 1269) sancte religioseque servandae sunt; nec omittant locorum Ordinarii de hac re sedulo invigilare.

2. Tabernaculum adeo firmiter cum altari coniungatur, ut inamovibile fiat. Regulariter in altari maiore collocetur, nisi aliud venerationi et cultui tanti sacramenti commodius et decentius videatur, id quod ordinarie contingit in ecclesiis cathedralibus, collegiatis aut conventualibus, in quibus functiones chorales peragi solent; vel aliquando in maioribus sanctuariis, ne propter peculiarem fidelium devotionem erga obiectum venera-

---

[1] Cfr. *A.A.S.*, vol. XXXXVIII, pag. 711 ss.

tum, summus latriae cultus Ss.mo Sacramento debitus obnubiletur.

3. In altari ubi Ss.ma Eucharistia asservatur, habitualiter Sacrificium Missae celebrandum est.

4. In ecclesiis, ubi unicum exstat altare, hoc nequit ita aedificari, ut sacerdos celebret populum versus; sed super ipsum altare, in medio, poni debet tabernaculum ad asservandam Ss.mam Eucharistiam, ad normam legum liturgicarum constructum, forma et mensura tanto Sacramento omnino dignum.

5. Tabernaculum sit undequaque solide clausum, et adeo in omni sua parte securum, ut quodvis profanationis periculum arceatur.

6. Tabernaculum, tempore quo sacrae species in ipso asservantur, conopaeo sit copertum ac, iuxta ecclesiae antiquam traditionem, lumen perenne ante ipsum ardeat.

7. Tabernaculum, quoad formam, stilo altaris et ecclesiae conveniat; ab illis in usu hucusque receptis haud nimis discrepet; non reducatur ad speciem simplicis capsae, sed verum habitaculum Dei cum hominibus quodammodo repraesentet; non ornetur symbolis vel figuris inusitatis, vel quae fidelium admirationem moveant, vel erronee interpretari possint, vel quae relationem ad Ss.mum Sacramentum non habeant.

8. Districte vetantur tabernacula eucharistica extra ipsum altare posita, ex. gr. in pariete, aut ad latus, vel retro altare, aut in aediculis seu columnis ab altare separatis.

Contraria consuetudo, sive quoad modum

Eucharistiam asservandi, sive quoad formam tabernaculi, praesumi nequit, nisi agatur de consuetudine centenaria vel immemorabili (cf. Can. 62, § 2), uti ex. gr. in casu quorundam tabernaculorum ad modum turris vel aediculae aedificatorum. Hae tamen formae reproduci nequeunt.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romae, 1 Iunii 1957.

C. Card. Cicognani, *Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *a Secretis*

Sacra Congregatio Concilii

I

12 - DECRETUM

(*AAS*. XXXXIX [24-27 aug. 1957] p. 637)

PARTICIPATIO ACTIVA REBUS POLITICIS IN HUNGARIA SACERDOTIBUS PROHIBETUR

Cum activa rebus politicis participatio haud consona sit viris ecclesiasticis, quorum munus totum est ad spirituale animarum bonum ordinatum, Ecclesia eamdem nonnisi in omnino peculiaribus rerum adiunctis et sub plane definitis conditionibus permisit aut etiam expresse prohibuit, congruis quoque comminatis poenis, cum inde fidelium bono aliquod esset pertimescendum nocumentum.

Talia autem sunt hodie in Hungariae Ditione

rerum adiuncta ut prorsus expediat ecclesiasticos viros in dicta Natione a quavis politica activitate penitus abstinere.

Quare haec Sacra Concilii Congregatio, de speciali Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae XII mandato, haec quae sequuntur statuit:

— sacerdotes sive saeculares sive religiosi in Hungariae Ditione munus Deputati vel aliud quodcumque munus in Parlamento sollicitare aut acceptare prohibentur;

— sacerdotes vero, sive saeculares sive religiosi, qui munus aliquod in eodem Parlamento actu iam detinent, idem intra mensem a publicatione huius Decreti dimittere praecipiuntur, simulque vetantur Parlamenti sessionibus adesse ac quamcumque operam praestare quibusvis activitatibus cum dimisso munere connexis.

Si quis vero, quod Deus avertat, contra praefatas normas se gesserit, excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurret.

Quibusvis, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, die 16 Iulii 1957.

P. Card. Ciriaci, *Praefectus*

L. ✠ S.

F. Roberti, *a Secretis*

II

13 - DECRETUM

OBLIGATIO LEGIS IEIUNII ET ABSTINENTIAE, PERVIGILIO FESTI DEIPARAE IN CAELUM ASSUMPTAE STATUTA, DEINCEPS UBIQUE AD PERVIGILIUM FESTI IMMACULATAE CONCEPTIONIS B. MARIAE V. TRANSFERTUR.

Cum plures Ordinarii, ex variis quidem Nationibus, Apostolicae Sedi significaverint difficultates quae, ob locorum et temporum adiuncta, continenter obstant fideli observantiae legis ieiunii et abstinentiae pervigilio Festi Deiparae in Caelum Assumptae statutae, Sacra Congregatio Concilii, omnibus mature perpensis, de speciali Summi Pontificis mandato, praedictam obligationem deinceps ad pervigilium Festi Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis, pro omnibus Christifidelibus ubique terrarum commorantibus, praesenti Decreto transfert.

Contrariis quibuslibet non obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, die 25 Iulii 1957.

P. Card. Ciriaci, *Praefectus*

L. ✠ S.

F. Roberti, *a Secretis*

Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus

14 - DECRETUM

(*AAS.* XXXXIX [24-27 aug. 1957] p. 638)

DE RATIONE QUA DIMISSI E SEMINARIIS DENUO ADMITTI POSSINT

Sollemne habet Mater Ecclesia candidatos ad Sacerdotium maxima cura esse explorandos, ut digni habilesque Sacris Ordinibus augeantur, indigni vero ineptique arceantur. Quapropter, ab admittendis in Seminarium alumnis, qui e cuiuscumque Dioecesis Seminario ipsi sua sponte exierint vel a Superioribus quavis de causa dimissi fuerint, generatim abstineant Episcopi; quodsi, omnibus diligenter perpensis, aliquem censeant admittendum, firmo praescripto can. 1363 § 3 C. J. C., adeant insuper Sacram Congregationem de Seminariis et studiorum Universitatibus huiusmodi auctoritatem rogaturi, quo uberius de candidati aptitudine constare queat.

Quae omnia Ss.mus D. N. Pius Div. Prov. Papa XII approbare atque confirmare dignatus est atque publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Callisti d. 12 Iulii a. D. 1957.

✠ I. Card. PIZZARDO, Ep. Albanen., *Praefectus*
L. ✠ S.
† C. Confalonieri, Archiep. Nicopolit., *a Secretis*

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

Prot. N. C. 88/956

15 - CONGREGATIO PRESBYTERORUM A SS. SACRAMENTO

Procutator Generalis Congregationis Presbyterorum a Sss.mo Sacramento humiliter exposuit Sacrae Rituum Congregationi diffusam esse variis in ephemeridibus opinionem juxta quam Sacerdos Missam Conventualem celebrans non teneatur ad privatim supplendam recitationem parvae Horae (Tertiae, Sextae vel Nonae) in choro recitatae dum ipse in Sacrario sacra induit paramenta, non aliter ac Episcopus, juxta Responsum S. Congregationis Concilii « Lincien », diei 9 julii 1921.

Hinc quaeritur:

1° Utrum haec opinio legitime sustineri, possit; et

2° quatenus negative, utrum, post Decretum de Rubricis ad simpliciorem formam redigendis Celebrans ejusque ministri a praedicta recitatione dispensari possint, si e choro discedant solum post « Deus in adjutorium meum intende » et recitationem Hymni.

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, re sedulo perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit, die 27 Aprilis 1956.

† A. Carinci, *Arch. Seleuc. S.R.C. a secr.*
L. ✠ S.

Henricus Dante, *Subst.*

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

CASUS DE FILIATIONE LEGITIMA

Non raro hodie apud forum civile aguntur causae de paternitate, quibus discussis iudex declarare debet quis sit pater prolis de qua controversia movetur. Paternitas aliena frequenter allegatur tamquam causa iusta divortium a vinculo procurandi ideoque actorem liberandi ab onere alendi prolem eamque interdum ut haeredem repellendi. Ad hoc breve studium quod attinet, proles legitima censeri potest in quantum ex copula coniugali sit concepta, et hic habendus est ut effectus iuris naturalis. Vi vero iuris positivi proles *praescriptione* legitima agnoscitur. Quomodo dicta praescriptio iure stabiliatur ex infra dicendis patebit [1]. Solus iudex ecclesiasticus controversias de legitimitate prolis natae ex baptizatis cognoscit ac iudicat. Idem quaestionem de legitimitate cognoscit sive sit causa principalis sive sit incidentalis seu accessoria. At quaestio orta ex controversia de legitimitate spectans ad effectum pure civilem v. c.,

[1] Pari modo ex iure positivo Ecclesiae, scl. in Canone 1114 expresso, proles est illegitima si « parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti ».

de successione haereditaria in foro civili est resolvenda. Ait Cappello:

« Huiusmodi causae (scl. de effectibus mere civilibus) si *principaliter* aguntur, pertinent ad iudicem civilem ad normam can. 1016; sed si *incidenter* et *accessorie* tales causae proponantur, possunt etiam a iudice ecclesiastico cognosci ac definiri (can. 1961). Practice tamen relinqui solent iudici laico » [2].

Dubium quod manet resolvendum in causis *de paternitate* venit ad hoc, num proles nata *in* matrimonio certe valido sit etiam concepta *ex* matrimonio seu ex copula coniugali inter virum eiusque uxorem consummata.

His praemissis, proponetur casus, ante cuius solutionem brevis consideratio iurisprudentiae Ecclesiae de legitimitate locum habebit. De religioso agit, qui, alioquin capax provinciam gubernandi, saltem in spe, ob allegatum defectum natalium forte ab hoc munere excludatur.

Tullia, uxor Martini, nuper defuncti, plures filios suscepit eosque secundum principia christiana educavit. Inter dictos filios secundus natu vocatus est Claudius, qui, cum ad aetatem iure praescriptam pervenerit, congregationem clericalem ingressus est ibique tempore statuto, professionem perpetuam emisit. Paullo post, Tullia, morbo lethali arrepta ad se vocavit Claudium eique declaravit ipsum conceptum esse non ex viro suo Martino sed ex consortio adulterino cum Caio; notam

---

[2] *De Sacramentis,* III (ed. 4a) n. 867; WERNZ-VIDAL, *Ius Matrimoniale,* V (ed. 2a) n. 612; ROSSET, *De Sacramento Matrimonii,* V, nn. 3467 ss.

esse similitudinem inter Claudium et Caium quoad vultum; et virum ipsam deserere noluisse ob bonum filiorum. Colloquio facto, duplici dubio torquebatur Claudius: primo, utrum censendus esset irregularis ex defectu natalium (Can. 984-1°) secundo, utrum superioribus religiosis declarare deberet relatum defectum ne forte aliquando contra praescriptum Canonis 504 in munus superioris maioris ipse eligeretur.

Exploratis regulis ab Ecclesia pluries repetitis, Tullio dubiis irretito via pacis clare pateret. Si quis studio de legitimitate incumbat, rationes inveniet solidissimas quae iam ab antiquitate legislatores moverunt ad recipiendum principium, « *Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant* ». Bonum tum prolis de cuius natalibus oriri potest dubium tum societatis cui disciplina matrimonii maxime interest prae mente est tenendum. Inde haud est mirandum si tot inter gentes relatum principium in usu fuit reductum. Perspicue hoc exprimit S. C. Concilii in *Verulana*:

Dictum principium exigit « matrimonii sanctitas, societatis bonum et familiarum tranquillitas, quae citra iuris praesumptionem de filiatione sancitam, deplorandum in modum turbaretur. Qua de re apud omnes fere gentes iam a remotissima antiquitate invaluit iuris principium, cuius vi natus ab uxore debeat viri filius haberi, nihilque aliud ad suos legitimos ostendendos natales teneatur ipse probare, quam ex iusto matrimonio se natum esse ».

Et iterum:

« Inter praesumptiones ea praeferenda est, quae delictum excludit, quaeque apparet honestior, naturae ra-

tionali magis consentanea, benignior, ac partui seu proli favorabilior » [3].

Benedictum XIV memorat principium hic applicabile et frequenter ab doctoribus revocatum:

« Iudex debet in bonum et commodum prolis propensus esse » [4].

De possessione praesumptiva filiationis ait De Lugo:

« ... quia cum ratione matrimonii filius inveniatur in possessione filiationis legitimae, non debet propter solum dubium sua possessione privari. Quod idem est, quando ex quocumque alio titulo praecedit possessio filiationis, ut si filius illegitimus nascatur tibi ex concubina, quam publice domi habes etc.» [5].

Rationibus supra expressis addi potest aliae a Rosset memoratae:

« Alias enim parentes facile possent exhaeredare prolem quam exosam habent, aut ipsi aliter praeiudicare » [6].

Iurisprudentia iam a tempore remotissimo testatur prolem, de cuius patre certitudo haberi nequeat, pro legitima censeri. Etenim lex semper maxime debet consulere rei et probationem supplere paternitatis, quam tenebris suis natura celavit [7]. Sapienter animadvertit Cuiacius:

« Extra nuptias pater est incertus; inter femineum sexum matrem scimus, patrem credimus, quia partus

---

[3] ASS XVII, p. 388.
[4] Ep. *Redditae Nobis*, Fontes I. C. n. 350 § 4.
[5] *De Iustitia et Iure*, Disp. XIII, Sec. II, n. 17.
[6] o. c., n. 3449.
[7] ASS XVII, p. 383.

sunt testes et inspectores certi, conceptus nulli sunt arbitri; denique patris naturalis una tantum demonstratio est, et probatio, quae sumitur ex nuptiis »[8].

Iurisconsultus Paulus distinguit inter patrem et matrem quod spectat ad natales legitimos:

« Mater « semper certa est, etsi vulgo conceperit » ... « Pater vero is est, quem nuptiae demonstrant »[9].

Apud iurisconsultum Celsum haec proponuntur verba:

« Cum legitimae nuptiae factae sunt, patrem liberi sequuntur, vulgo quaesitus matrem sequitur »[10].

Haec ultima clausula refertur ad eum qui patrem suum demonstrare non potest. In eandem sententiam conveniunt Imperatores rescribentes. Sic loquuntur:

« Matrimonio concepti filii civili iure patri constituuntur »[11].

Et in lege *Titium ff. de his qui sui vel alieni iuris sunt*:

« Non tamen ferendum eum qui cum uxore assidue moratus noluit filium agnoscere quasi suum ».

Neque adulterium matris operari debet in detrimentum prolis secundum legem *Miles* 11, *Defuncto* ff. *ad leg. Jul. de adult.*

---

[8] Ibidem.
[9] L. 5 ff. de in ius vocando.
[10] L. 19 ff. de Statu hominum.
[11] L. 14 Cod. *de Probat.*

« Nam non utique crimen adulterii, quod mulieri, infanti praeiudicat; cum possit et illa adultera esse, et impubes defunctum patrem habuisse ».

In iurisprudentia statuum civilium relatum principium fere universe est receptum. *Iustae nuptiae* vero aliter ac sensu genuino intelligi debent. Quia, paucis exceptis, status civiles divortium a vinculo agnoscunt proindeque *iustae nuptiae* non solum ad validam vel putativam verum etiam ad unionem adulterinam referri solet. Qui, spreto vinculo valido per divortium civile, ad alias nuptias, invalidas sane, audacter transierint, a statu civili tamquam legitime coniugati censentur eorumque proles ut legitima habetur quamvis ex copula adulterina sit nata. Ceterum cohabitatione assidua inter coniuges admissa, praesumptio nata ex *iustis nuptiis* non ita vehemens ac in iure ecclesiastico censetur.

Ad melius intelligendum Canonem 1115 prae mente ponendae sunt quaedam notiones fundamentales ex Codice desumptae et ex diuturna iurisprudentia Ecclesiae haustae quae ad usum praesumptionis spectant.

Canon 1825 § 1 Praesumptio est rei incertae probabilis coniectura; eaque alia est iuris, quae ab ipsa lege statuitur; alia hominis, quae a iudice coniicitur.

§ 2 Praesumptio alia est iuris simpliciter, alia iuris et de iure.

Canon 1826 Contra praesumptionem iuris simpliciter admittitur probatio tum directa tum indirecta; contra praesumptionem iuris et de iure, tantum indirecta, hoc est contra factum quod est praesumptionis fundamentum.

Canon 1827 Qui habet pro se iuris praesumptionem, liberatur ab onere probandi, quod recidit in partem ad-

versam; qua non probante, sententia ferri debet in favorem partis pro qua stat praesumptio.

Praesumptio est conclusio circa veritatem alicuius rei dubiae nata ex indiciis, adiunctis et qualitatibus factorum notis, ex quibus mens conclusionem deducit de facto ignoto. Conclusio praesumitur seu fit *ante* probationes allatas pro stricta evidentia. Praesumptio non declarat factum obiectivum seu rem obiectivam sed accipit indicia directa quae nos ad conclusionem expressam inducere solent. Sic filius natus *in* matrimonio, i. e. durante coniugio matris cum viro suo, praesumitur natus *ex* viro matris suae seu legitimus, quia, attenta natura matrimonii eiusque proprietatibus, homines iudicare solent filios natos *in* matrimonio valido vel saltem putativo esse fructum eorum qui matrimonio legitime coniuncti sunt. Quae conclusio eo fortior est quo clarius apparet cohabitationem inter coniuges integram manere.

Praesumptio quam inspicimus praesumptio iuris proprie dicta consideratur contra quam admittitur probatio directa, seu ea quae ipsum valorem asserti destruit, tum probatio indirecta, qua, ex indiciis allatis, demonstratur ipsum factum cui nititur praesumptio non existere. Hinc si Titius natus est post decem menses integros a die mortis viri matris suae, quae innupta mansit, praesumptio favens eius legitimitati cedit veritati, proindeque pro illegitimo habendus est Titius. E contra probatio indirecta praesumptionem legitimitatis elidit cum ipsum factum allegatum scl. matrimonium quo fundatur praesumptio, probatur

non existere. Invaliditate probata vel etiam eius statu putativo, cadit praesumptio legitimitatis.

Praesumptio iuris plenam probationem inducit et ille cui favet talis praesumptio non tenetur probare valorem eius. Qui vero impetit praesumptionem argumenta evidentia in favorem suae opinionis proferre tenetur, ad normam Canonis 1827.

Duplex praesumptio in Canone 1115 memorata de quo dicturi sumus, vocatur vehemens seu vehementissima quia solis argumentis in contrarium manifestissimis eliditur. *Obiective* loquendo filius de cuius natalibus oritur quaestio aut est legitimus aut est illegitimus. Sed natus *in* matrimonio valido vel putativo aut natus intra tempus utile ad normam parag. 2 relati canonis, habendus est ut legitimus et iuribus legitimorum *certissime* gaudet.

Principia quibus regulatur praesumptio suam vim non solum in rebus iudicialibus verum etiam in extraiudicialibus exercent. Tandem, praesumptio non est confundenda cum fictione iuris quae definitur ut legis adversus veritatem in re possibili ac ex iusta causa dispositio [12]. Discrimen memoratum ita proponitur a Cuiacio:

« Fingimus ea quae non esse scimus: praesumimus ea, quae vera esse arbitramur, ducti probabilibus argumentis » [13].

Iam Canon 1115 § 1 habet: « Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant nisi evidentibus argumentis contrarium probetur.

---

[12] Cappello, *Summa Iuris Canonici*, ed. 4ª, n. 296.

[13] Lega, *Commentarius in Iudicia Ecclesiastica*, II, p. 822.

§ 2 Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis.

Duplex est praesumptio in canone statuta: prima versatur circa matrimonii validitatem, altera circa tempus utile ad conceptionem. De solo patre agendum est, quia, ut supra est dictum, mater ut parens filii facile probari potest [14]. Si quis natus sit uxore in domo mariti cum eo cohabitantis proles legitima praesumitur. *Iustae nuptiae* dicuntur de valido necnon de putativo coniugio quod habetur « si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat ». Ita Canon 1015 4. Celebratio praeterea fieri debet *coram Ecclesia* [15].

Probatur matrimonium publice seu in facie Ecclesiae esse contractum ex libro matrimoniali parochi. Hic liber *testimonium authenticum* suppeditat, plenam fidem faciens in iudicio ad normam Canonis 1816, dummodo aliunde de contrario non constet. Alii modi probandi iustas nuptias admittuntur in foro ecclesiastico. Tales sunt attestationes parochi, declarationes testium matrimonialium et aliarum personarum fide dignarum. Quibus addi possunt fama publica et recognitio filii per parentes [16]. Haec ultima vero argumenta aeque valida non reputantur.

---

14 ASS XVII, p. 383.

15 AAS XLI, p. 158; Payen, *De Matrimonio in Missionibus*, II, ed. 2, n. 2164.

16 Schmalzgrueber, *Ius Ecclesiasticum Universum*, Tom. II, pars 2a, nn. 58, 59.

Ut praesumptio in favorem natalium legitimorum diluatur, argumenta evidentia in contrarium proponi debent. Vocantur diversis nominibus ab auctoribus. Ita loquitur Lega:

« Aliquando iuris praesumptio est ita fundata et efficax, ut destruatur tantum a probationibus manifestissimis; ut puta filius in matrimonio natus praesumitur legitimus donec evidentibus argumentis contrarium probetur » [17].

Et Cappello:

« Cum praesumptio in casu sit vehementissima, ut dicitur, probatio in contrarium *evidens* postulatur ab ipso iure. Quae probatio tunc habebitur quando *omnimoda certitudine* constet maritum commercium carnale cum uxore non habuisse toto *tempore utili* ad conceptionem, etc. » [18].

Rosset similiter exigit probationem vehementem in contrarium:

« Nam axioma iuris romani: *Is pater est, quem nuptiae demonstrant,* est praesumptio, quae omnino evacuatur, si in oppositum faciant probationes positivae atque inconcussae, aut si saltem adsint praesumptiones contrariae longe vehementiores » [19].

Itaque stante dubio positivo in contrarium favendum est legitimitati.

Inter argumenta varia allata contra prolis legitimitatem inveniuntur tria praecipua, viz., adulterium uxoris etiam libere admissum; similitudo

---

[17] *De Iudiciis Ecclesiasticis,* II, p. 819, n. 6.

[18] o. c., n. 748.

[19] o. c., n. 3450.

prolis natae viro cum quo mater adulterio se polluit, et tandem diuturna separatio coniugum ultra tempus utile ad conceptionem.

Adulterium uxoris. Cohabitantibus viro et uxore proles semper praesumitur legitimus. Et hoc est admittendum etsi constet matrem eodem tempore ab alieno pluries ac saepius carnaliter cognitam esse. Ex solo enim adulterio concludi nequit maritum non esse patrem. Immo, quamvis mater et ipse adulter aperte declarent prolem esse suam, nihilominus filius censendus est legitimus. Denique, si mater fide dignissima in ipso periculo mortis prolem conceptam esse ex concubitu alieno sollemniter iuraverit, manet praesumptio in favorem legitimitatis inconcussa, quia haec aliaeve similes probationes non sunt ita manifestissimae et vehementissimae ut argumentum pro legitimitate superent. Inprimis standum est principio iuxta quod in dubio interpretatio benignior et favorabilior est facienda. Praeterea « Unius testis depositio plenam fidem non facit » secundum Canonem 1791 § 1 et si ambo complices in iudicio sollemniter affirmaverint filium procreatum esse ex copula adulterina, eorum testimonium non erit acceptabile quia non sunt *omni exceptione maiores* [20] et praeterea « *allegans propriam turpitudinem fidem non meretur* » [21]. Quid concludendum si uxor, fide dignissima, cohabitans cum viro suo perditis moribus cui ob eius infidelitatem coniu-

---

20 Can. 179 § 2. Facile suspicio cadit in complices in hac materia.

21 L. 29, 1 Dig. *De Probationibus et Praesumptionibus*, XXII 3.

galem merito copulam denegaverit, quaeque post protractam continentiam perdifficilem, semel vel bis adulterium committens, *certissima* sit prolem exinde natam esse adulterinam? Aliud est dicere hoc testimonium solum in hac re non esse accipiendum ob principia iurisprudentiae ab Ecclesia perenniter recepta et aliud est dicere tali in foro interno *solo* numquam esse credendum. Ut in aliis materiis disparitas quandoque discerni potest. Neque in casu relato recedendum est a regula sancita ab Ecclesia cum legitimitas forum externum potissimum respiciat. Addi potest controversias de paternitate innumerabiles oriri posse nisi Ecclesia principia iuridica supra exposita sedulo sequatur.

Praxis Ecclesiae in *Bobiensi* patet. Dubium de consanguinitate existente inter sponsos ortum erat

« ex suspicione, quod Hieronyma sponsa genita fuerit ex adulterio per eius matrem cum Augustino, fratre sponsi commisso, quamvis in libro parochiali Baptismatum adnotatum legatur, eamdem Hieronymam ... ex Carolo et Angela coniugibus natam esse ».

Quod autem ex damnato coitu suscepta fuerit Hieronyma, coniici posse contendebatur ex nonnullis testibus in Episcopali Curia examinatis, qui deposuerunt satis vulgatam huiusmet rei famam, ac pravam consuetudinem a dicto sponsi fratre, vivente adhuc eiusdem Angelae viro, cum ipsa habitam, praetereaque recensuerunt tum epistolam quamdam verbis amatoriis plenam ab eodem conscriptam Angelae, atque in Episcopali Curia exhibitam, in qua suam is nuncupabat Hieronymam, tum plures eius iactationes, quibus se patrem Hieronymae dictitabat.

Constans ... est iuris praesumptio (nisi contrarium doceatur per manifesta, vel diuturnae absentiae aut im-

potentiae viri vel alterius similis caussae argumenta) sobolem ex coniugio potius, quam ex adulterio esse procreatam, quamvis certo constet matrem saepius pollutam fuisse nefariis amplexibus. Idque adeo verum est, ut neque si mater ipsa, vel uterque etiam parens in mortis articulo adseverent, quempiam ex filiis natum esse extra legitimum coniugii usum, ullatenus credi oportet [22].

In *Pientina,* Virginia mater Lucretiae, iureiurando interposito apud Curiam Episcopalem, declaravit se filiam memoratam procreasse non ex Bartholomeo viro suo, sed ex Ioanne, avunculo sponsi filiae suae Lucretiae. Affirmavit praeterea apud Curiam se expulsam fuisse a domo viri sui Bartholomaei et post circa quinque menses ad eum rediisse. Interea vero asseruit se praegnantem redditam fuisse a Ioanne. Nullum videtur dubium de prava consuetudine inter Virginiam et Ioannem habita neque de fama ipsorum late pervulgata. Testes rite interrogati de his deposuerunt. De motivis quae habuit Virginia in tali confessione facienda praescindi potest. In sententia ferenda dicit Congregatio:

« Lucretiam esse in possessione legitimae filiationis, tum sequitur ex matrimonio rite inito inter Bartholomaeum et Virginiam, tum etiam confirmatur ex descriptione ... facta in suscipiendo Sacramento Baptismi atque altero Confirmationis. Qua posita possessione, infert Lucretia haud quaquam sibi officere contrariam asseverationem matris, cui fidem in hoc non esse habendam etc » [23].

Separatio coniugum ultra tempus utile. Separatio in casu respicit tum cohabitationem inter-

---

22 *Fontes I. C.* V (pars altera) n. 3457.

23 *Thesaurus Resolutionum S. C. Concilii,* VI, p. 235.

ruptam tum non-accessum ad uxorem, cohabitatione integra manente. Attenta evolutione foetus humani, tempus utile dicit tempus minimum in quo proles manere debet in utero matris et tempus maximum ultra quod infans in utero vix manere potest. Tempus minimum et maximum in Codice praevisum regulam tradit pro legitimitate fundanda etiam in casibus extraordinariis. Minime vero excluditur auxilium artis obstetricae in aliquo casu particulari solvendo.

Unde filius natus post sex menses a die celebrati matrimonii eo ipso censendus est legitimus. Natus ante tempus dictum vix haberi potest legitimus vi Canonis 1115 § 2. Attamen, hac praesumptione exclusa, non immediate sequitur prolem esse illegitimam, quia proles *concepta* ex copula fornicaria inter partes nullo impedimento dirimente irretitas gaudere potest favore Canonis 1114 iuxta quem « legitimi sunt filii concepti *aut nati* ex matrimonio valido vel putativo etc. ».

Canon 1115 § 2 dicit *sex menses* et *decem menses*. Ius vetus statuit tempus minimum ex 180 diebus, maximum ex 300 diebus. Quidam auctores post Codicem de hac computatione loquuntur [24]. Porro Canon 104 Codicis Orientalis ita se habet:

« Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post centum octoginta dies a die celebrati matrimonii vel intra tercentos dies a die dissolutae vitae coniugalis » [25].

---

[24] CAPPELLO, o. c., n. 748; WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum* V, n. 613; GASPARRI, *De Matrimonio* (ed. 1932) II, n. 1113.

[25] AAS XLI p. 112 Motu Proprio *de Disciplina Pro Ecclesia Orientali*, pp. 89 ss.

Interpretatio nimis litteralis Canonis 1115 § 2 prolem natam nimis gravare videtur. Ait Payen:

« Cum terminus a quo assignetur, dies scilicet celebrati matrimonii aut dissolutae vitae coniugalis, v. g. menses quibusdam videntur sumendi ad normam Canonis 34 § 3, *prout sunt in calendario*. Aliunde, cum terminus a quo non coincidat cum initio diei, « primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri ». (Canon 34 § 3, 30) Si igitur matrimonium initum sit primo ianuarii die, et proles nascatur secundo die iulii, legitima praesumitur. Non autem praesumitur legitima si primo die iulii edatur, licet a die celebrati matrimonii 180 dies effluxerint » [26].

Singulare consectarium ex litterali interpretatione Canonis 1115 § 2 fluens proponit idem Auctor:

« Codex vero, sumendo nunc *sex et decem menses*, hoc habet consectarium, quod duorum puerorum, qui *per idem tempus* gestati sunt, *alter* praesumetur legitimus, *alter* non, quia alter anno bissextili, alter anno *ordinario* natus est ... » Fac enim a Petro et a Paulo 1 die septembris, sed a Petro anno *ordinario* et a Paulo anno *bissextili* initum esse matrimonium. Paritur proles ab uxore Petri 2 die martii, ab uxore Pauli 1 martii die. Utraque proles *per idem tempus* gestata est. Et tamen prior, nata ab uxore Petri, praesumitur legitima, dum posteriori, natae ab uxore Pauli, praesumptio non favet » [27].

Iuxta laudatum Auctorem Codex innuit mensem sumendum esse triginta dierum et proinde ius

---

[26] o. c., n. 2165.
[27] o. c., n. 2165.

vetus in hac re esse sumendum. Quae sententia roboratur verbis Codicis Orientalis relatis.

In *Verulana*, non obstantibus argumentis contra prolis legitimitatem inductis inter quae erat allegata absentia viri, sententia lata est in favorem filiae in casu quia « Absentia unius coniugis ab altero haud permanens supponenda est, quia facile et breve est iter Roma (ubi remansit vir) ad Verulas (ubi se contulit uxor) et satis fuisset ut coniuges semel convenissent »[28]. Inde concludendum est in aliis casibus absentiae viri, nisi argumentis vehementibus constet maritum toto tempore in iure statuto ab uxore abfuisse, prolem ab uxore procreatam esse legitimam.

Ante duo saecula in Brittannia Maiore, absentia viri ita erat sumenda ut si maritus intra territorium Regni Brittanici vel Hiberniae, seu uti legebatur *intra quattuor maria*, versaretur, abfuisse non censeretur. Proles nata ab uxore huiusmodi legitima habenda erat. Interpretatio absentiae viri in iure Brittanico alia est hodie[29].

Impotentia viri similiter proponitur ab auctoribus contra praesumptionem memoratam. Si sumitur ut incapacitas coeundi non facile probatur cum certitudine ut patet legenti sententias a S. R. Rota latas in causis nullitatis ex capite impotentiae. Probata non consummatione inter virum et uxorem quae peperit filium, praesumptio cedit veritati stabilitae ex argumentis manifestissimis, proindeque proles ut adulterina est reputanda.

---

[28] ASS XVII, p. 385.

[29] MADDEN, *Domestic Relations*, West Publishing Co., St. Paul, 1931, p. 341.

Infirmitas viri gravis et diuturna quae accessum ad uxorem per totum tempus utile impossibilem reddit, aequiparanda est impotentiae.

Ciprotti considerat casum mulieris quae, « nondum quattuor mensibus post dissolutum matrimonium, alteri nubat, et, post sex menses a novo inito matrimonio sed ante decem menses a priore dissoluto, pariat; tunc iuxta normam statutam in Canone 1115 natus praesumitur legitimus filius sive prioris mariti sive posterioris; quod est absurdum.

In huiusmodi casu censemus servandum esse ex Canone 1115 id tantum quod sine absurdo servari potest, quod est praesumptio legitimitatis: is igitur praesumitur legitimus, nisi probetur conceptus esse opera neutrius mariti. Verum utrius patris sit filius non ex legis praesumptionibus decidendum est, sed ex rerum adiunctis recte a iudice perpendendis (e. g. ex foetus maiore vel minore maturitate, relate ad tempus per quod praegnatio perdurare debuerit prout prior vel alter pater fuerit).

Ad huiusmodi incommodum (quod vocatur turbatio sanguinis) vitandum, civiles leges solent mulieri vetare matrimonium alterum, nisi elapsum sit certum tempus a prioris dissolutione [30].

Cui addi potest iudicem, qui rerum adiuncta perpendat, magnum adiumentum ex consilio obstetricis sumere posse.

Similitudo prolis adultero. Auctores generatim contendunt quod si proles nata similitudinem praeferat non viro matris sed adultero cum quo mater se commiscuerit adhuc proles mariti credi debet, quia ista similitudo oris vultusque ex aliis

---

30 *Apollinaris*, XII, p. 346, n. 26.

causis oriri potest[31]. At vero haec similitudo accedere potest magis minusve ad ipsam imaginem adulteri. Qua de causa similitudo attente perpendenda est quamvis in se non constituat argumentum vehemens contra prolis legitimitatem. Porro si filius natus quam similis sit amasio matris in moribus et temperamento et ex alia parte dissimilis viro non aufertur hac de causa possessio filiationis legitimae. Quousque se extendi potest haec praesumptio? Fingamus casum sequentem.

Vir eiusque uxor ex propria regione septentrionali negotiationis aliusve causa in partes meridionales longe distantes se contulerunt. Domicilio communi retento, uxor cum viro indigena pluries se adulterio polluit. Post annum in quo hanc detestabilem consuetudinem exercuit uxor infelix peperit filium qui imaginem adulteri non solum quoad os vultumque sed etiam quoad colorem illi regioni proprium se exhibuit. His adiunctis perpensis, quis affirmaret maritum esse patrem prolis? Tamen, nonobstante dissimilitudine prorsus singulari inter maritum et filium ab uxore natum, manet proles praesumptive legitima nisi alia indicia vehementia afferri possint, utpote vel repudiatio immediate facta post prolem natam, vel accusatio sincera et bene fundata contra uxorem adhuc praegnantem. Si vero, maritus ita uxorius sit ut hoc quasi-miraculum ethnologicum aequo

---

[31] Vid., e. g., De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, ed. 4a, Brugis, 1926, n. 282, nota 2. Rosset, *De Sacramento Matrimonii*, S Ioannis Maurianae, 1895, Vol. V, n. 3449. Payen, *De Matrimonio in Missionibus*, Zi-ka-wei, 1926, Vol. II, n. 2164.

animo acceptet, proles descripta legitimitate praesumpta gaudebit.

De valore adnotationis parentum in libro baptismali.

Inscriptiones baptismi et confirmationis utpote documenta publica ecclesiastica admittuntur ut probationes in quolibet iudicii genere [32]. Hoc principium receptum iam ante Codicem argumentum vehemens in favorem filiationis legitimae constituit. In causa *Bobiensi* supra relata [33] praeter validum matrimonium matris cum viro suo, praesumptio praecipua « est adnotatio in libro parochiali baptismatum » [34]. Similia argumenta pro natalibus legitimis Lucretiae in *Pientina* referuntur [35].

An argumentum susceptum ex libro baptismatum ita peremptorium est ut indiciis contrariis numquam infirmetur? Exemplum legitur in causa *Verulana*. Separatione perdurante a marito Philippo, Aemiliana infantem peperit, quam patris nomen reticendo, *baptizare fecit more spuriorum*. Dein exposita fuit infans in Archihospitali S. Spiritus in Saxia de Urbe et tradita est ad nutriendam sub nomine ficto. Argumentum contra legitimitatem descriptae filiae ita est propositum:

« Neminem latet libros parochiales attestantes de iis, quae ad parochi officium pertinent, plenam facere fidem, plenamque conficere probationem, non secus ac instru-

---

32 Canones 1812, 1813 § 1, 40.

33 p. 382.

34 *Fontes I. C.* V (pars altera): 3457.

35 *Thesaurus Resolutionum S. C. Concilii* VI, p. 234-235.

menta manu publici Notarii cum debitis iuris sollemnitatibus conscripta, dummodo aliunde de opposito non constet. Ita etc. ».

« Porro cum in facto consistat librum baptizatorum testari de incerta Oratricis paternitate, eidem attestationi standum esse videtur, quoadusque contrarium non probetur. Idque potiori ratione retinendum videtur ex eo quod praefatus baptizatorum liber clare designat Oratricis matrem. Haec enim cum matrimonio iuncta esset, Parochum in describenda incertae paternitatis nota cautius egisse praesumendum est, ne infantis honor et educatio in discrimen adduceretur ex parentum iniquitate. Nec verosimiliter dici posse videtur, Parochum deceptum fuisse; designata enim matre, nil profuisset denunciatio incertae paternitatis ob contrarium iuris praesumptionem; et insuper, parva cum sit Verularum civitas, dolus facile detectus fuisset [36].

De vero valore argumenti ex libro baptizatorum facto, indicia quae potiora vel saltem sufficientia a Congregatione existimata erant ut status legitimitatis stabiliretur, ex sequentibus rationibus apparuerunt.

Philippus, matris oratricis vir, « pecuniam uxori mittebat, et quoad filiam certior fieri cupiebat, lacrimans cum ab amico resciret, nulla imbui nobili arte » [37].

Legenti hunc casum classicum patebit quam sollicita sit Ecclesia ut filii sui innocentes re inaestimabili, scil. filiatione legitima nonnisi argumentis plane vehementibus priventur.

Praeter documenta publica ecclesiastica filiatio legitima constare potest:

---

[36] ASS XVII, p. 380.
[37] ASS XVII, p. 384.

« Ex civitatis, vel oppidi actis, si in his, quinam prolium in lucem editarum parentes sint, ab officiali publico adnotetur ... ex annotationibus ipsorum parentum, in quibus ipsi scripserunt diem nativitatis suarum prolium; ex aliis instrumentis antiquis, quamvis verba enuntiative duntaxat concepta sint » [38].

Ex hoc apparet acta civitatis ab officiali publico adnotata esse instrumenta publica, alia documenta, ut epistolae aliave scripta privata eundem valore generatim non ita censeri. Haec vero quandoque validam probationem dare possunt iuxta praescripta legis civilis. Libris paroecialibus incendio aliave calamitate destructis, documenta publica civilia probationem sufficientem in foro ecclesiastico supplere possint quin haberentur tamquam documenta ecclesiastica [39].

Quia repudiatio filii fieri potest ob varia motiva, puta avaritiam, auctores sequentem casum referunt ex C 10 X *Per tuas, de Probationibus* II, 19. Quamvis filius in casu ex unione concubinaria natus sit, principia de vera paternitate indicanda exponuntur. Elementa matrimonio propria aliquomodo ad concubinatum se extendunt saltem quoad speciem.

T. per septennium concubinam retinuit, prole non suscepta. Cohabitatione interrupta, post non multum tempus mulier redivit ad domum T. ibique filium peperit et ex eo se prolem suscepisse asseruit. T. vero primo negavit filium esse suum sed dein mulieris et aliorum instantia filium ut suum

---

38 SCHMALZGRUEBER, o. c. n. 60.

39 Vid. Can. 1813 § 1, 4°, § 2, § 3.

recognovit eumque Rainaldum nominavit. Occasio responsi Pontificis (Innocentii III) haec fuit.

Rainaldus, cum ad aetatem virilem pervenerit, Sophiam consanguineam suam in secundo gradu lineae collateralis carnaliter cognovit eamque in matrimonium ducere cupivit. Haec propinquitas ex variis indiciis expositis in relato decretali constabat sed mater Rainaldi ne matrimonium optatum impediretur « in civitatis platea iuravit publice coram multis se de alio quam de supradicto T. antefatum suscepisse Rainaldum ». Motivum repudiationis a matre publice factae clarius luce apparuit sed vana erat eius reclamatio. Ait enim Pontifex:

« Quia vero mulier illa de dicto T. suscepisse R., de quo agitur, primitus constanter asseruit, et idem T. praefatae mulieris praecipue devictus instantia ipsum suum filium publice recognovit, et filius eius nominatus communiter fuit et habitus ab ambobus, eiusdem mulieris postmodum iuramento in contrarium praestito non est standum, quum nimis indignum sit iuxta legitimas sanctiones, ut, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare. Unde apparet per consequens, quod praedictus R., memoratam neptem memorati T., cuius prima facie praesumitur consobrinus, non potest habere aliquatenus in uxorem ».

Haec inde sunt indicia quae praesumptionem constituunt Rainaldum esse filium naturalem supra descriptorum qui in concubinatu vixerunt:

1. Ultra septennium T. concubinam suam retinuit;

2. natus est filius in domo T. ex praefata muliere et cum ea cohabitantis;

3. mulier T. esse patrem prolis susceptae constanter asseruit;

4. T. instantia mulieris suae devictus filium suum *publice* recognovit eumque appellavit Rainaldum.

5. Rainaldus dein habitus fuit ambobus ut filius suus.

Quibus recensitis ut verus filius, etsi illegitimus, praesumptus est nec eius possessione filiationis privari poterat nisi argumentis vehementibus. Verum est casum de filiatione illegitima agere, sed potiori ratione principia in eo exposita indubie quaestionibus de filiatione legitima applicabilia sunt. Post principia de filiatione legitima expressa, Schmalzgrueber ea extendit

« etiam ad natum de concubina; nam qui domi eam habuit, praesumitur esse pater filii ex ea nati; ... Ratio est quia hoc favorabilius, et melius est filio, quam ut dicatur vulgo conceptus, atque incerto patre » [40].

De prolis repudiatione quaedam notanda. Si maritus, cum percipiat uxorem suam gravidam esse sciens ipsum non esse causam praegnationis et sine mora de hoc reclamet, habetur indicium saltem probabile contra filiationem legitimam. Dico *indicium,* quia alia argumenta poni possunt, v. c., declaratio obstetricis post interrogationem mulieris, separatio brevior toto tempore utili ad conceptionem etc. Repudiatio *post* prolem natam de aliena paternitate *in se* non sufficit ut filius censeatur illegitimus. Alia fortia proferenda sunt, ut

---

40 o. c., n. 57. *Ius Ecclesiasticum Universum,* Tom. II, pars 2, tit. xlx, n. 57.

visum est ex casu supra descripto [41]. Fere simile dicendum videtur de filio iuri suo filiationis renuntiante, quia ex *sola* renuntiatione filiationis quis de illegitimitate natalium imprudenter concluderet.

Resumendo casum Claudii supra memoratum dicendum est, post praescripta iuris ecclesiastici visa de filiatione legitima, resolutionem duplicis dubii dicti religiosi facilem esse redditam. Claudius fuit religiosus a votis smplicibus perpetuis in congregatione religiosa clericali, cui mater Tullia graviter aegrotans revelavit illum se procreavisse ex consuetudine prava cum quodam Caio habita, retenta communi domicilio cum Martino viro legitimo. Neque documenta neque fama adversa de amore illicito cum Caio existebant quibus adminicula in contrarium adduci poterant. Protestationes viri contra uxorem adulteram numquam divulgabantur. Neque similitudo Claudii ad speciem Caii ut argumentum suasivum contra eius natales acceptari potest secundum sententiam unanimem auctorum, deficientibus aliis argumentis vehementibus et manifestissimis.

Inde haec sit nostra resolutio duplicis dubii Claudii. Certissime reputandus est legitimus proindeque adhuc sibi vindicare potest tuta conscientia omnia iura legitimorum [42]. Neque de ir-

---

[41] Vide casum de repudiatione iuvenis tamquam filii seu responsum Alexandri III Archiepiscopo Rothomagensi C. 3, X, *qui filii sint legitimi*, IV, 17; SCHMALZGRUEBER, Tom. II, pars 2, tit. xlx, n. 58.

[42] GASPARRI, o. c., n. 113. Neque ex factis allatis *necesse* est ut Ordinarius proprius ad Can. 15 recurrat, quia ius in casu est certum.

regularitate ex defectu natalium neque de capacitate suscipiendi munus superioris maioris in congregatione sua, si forte ad hoc electus fuerit, se inquietare debet. Praeterea, cum quaestio de eius natalibus ad forum ecclesiasticum *exclusive* spectat iuxta supra exposita, agnoscenda est eius filiatio legitima etiam in foro civili, eique debiti sunt effectus civiles ad quos ius habet filius legitimus [43]. Breviter, iurisprudentia Ecclesiae de filiatione legitima perpensa, dubium duplex Claudii facile resolvitur neque in posterum de eo animum suum excruciet.

Iacobus Risk, S. I.

43 Wernz-Vidal, o. c., n. 612

DE DIVISIONE REDITUUM ANNI PROMISCUI INTER BENEFICIARIOS SUCCESSIVOS (c. 1480)

Fructus beneficii qui occasione successionis dividendi sunt inter beneficiarios successivos vocantur passim « *fructus intercalares* »[1]. At intercalares non sunt nisi sensu lato. Stricte enim intercalares definiri solent: « qui producuntur a die vacationis ad diem possessionis novi beneficiarii »[2].

Fluctuatio haec terminologiae provenit ex historica fluctuatione, sive iurium sive doctrinae, circa consistentiam concretam redituum qui sedi vacanti maturant et circa eorum destinationem. Tales enim considerabantur ante Codicem, et praesertim ante acceptationem definitivam criterii divisionis « *pro rata* » ex parte S. Congr. Concilii[3], non tantum « *bona tempore vacationis obvenientia* » sed etiam « *bona a praelatis* (antecessoribus) *ipsarum dimissa* »[4]. Haec autem bona debebant « *vel in utilitatem dictarum ecclesiarum expendi,*

---

[1] Sic *S. Congr. Conc.*, etiam post Codicem, « intercalares » fructus nominat illos qui dividendi sunt inter beneficiarios successivos ad normam c. 1480 (cf. responsum diei 20 nov. 1930 in A.A.S., 1931, p. 16; *Periodica de Re Morali ...*, 1931, p. 140).

[2] Et ita intelligit fructus intercalares *S. Congr. Consist.* in Instr. « per l'amministrazione delle mense vescovili in Italia » diei 30 iuni 1934, art. 5, 26, 27 (Del Giudice, *Codice delle leggi ecclesiastiche*, § 18*).

[3] 22 Ian. 1882 (*Acta S. Sedis*, XIV, p. 560).

[4] C. 40, I, 6, in IV°; c. 9, I, 16, in VI°.

vel futuris successoribus fideliter reservari »[5]. Et ita fructus intercalares tangebant sive antecessorem sive successorem in beneficio, et proinde ipsam divisionem fructuum inter utrumque.

* * *

Destinatio fructuum stricte intercalarium, qui neque a beneficiario antecessore neque a successore percipiendi sunt, ordinatur a cc. 441, 1481 et ab Instr. S. C. Cons. « per l'amministrazione delle mense vescovili in Italia » (diei 30 iun. 1934), art. 27. Nos autem agemus hac in dissertatione de fructibus intercalaribus lato sensu, seu de his qui dividendi sunt inter beneficiarios successivos ad normam c. 1480[6].

Et quasdam quidem quaestiones perpendemus circa massam ipsam fructuum dividendorum, quasdam vero circa personas quae divisioni participant et eorum titulos, praesertim circa heredes beneficiarii defuncti.

I. De fructibus dividendis

1. Codex I. C. in c. 1480 determinat massam dividendam componi ex computatione omnium pro-

---

[5] *Ibidem.*

[6] « Annui reditus beneficii inter successorem et antecessorem eiusve heredes, in casu obitus, pro rata temporis quo beneficio uterque deservierit, distribuantur, omnibus proventibus et oneribus currentis anni computatis, nisi legitima consuetudo aut peculiaria statuta rite approbata alium iustae compositionis modum induxerint ».

ventuum et onerum *currentis anni*. Annus autem beneficialis currere intelligebatur, et extra Italiam passim intelligitur, a die 1 iuli ad diem 30 iuni. Nunc vero pro Italia S. C. Conc. resolvit (die 20 nov. 1930) « reditus intercalares, sive civiles, sive naturales distribuendos esse iuxta annum solarem seu civilem »; quae « *norma a S. Congregatione praefinita uti directiva optimo consilio recipi haberique potest ad caeteras nationes quod attinet* [7].

2. Si apprehensio possessionis novi beneficiarii non occurrat eodem anno civili ac vacatio beneficii, annus civilis ex cuius proventibus efformanda est massa dividenda, et qui promiscuus vovari solet, est, pro divisione inter antecessorem et sedem vacantem, annus qui currit momento vacationis beneficii, pro divisione inter sedem vacantem et successorem, annus qui currit momento captae possessionis novi beneficiarii.

3. Ergo massa dividenda concrete componitur omnibus [8] fructibus maturatis intra annum solarem qui currebat momento vacationis, respective novae possessionis, detractis omnibus expensis quae illo anno occurrerunt in administratione beneficii [9].

---

[7] *Periodica de re morali ...*, 1931, p. 142.

[8] Secluso supplemento congruae quod a gubernio italico Episcopis assignatur a die nominationis, non a die captae possessionis (cf. *Instr. S. C. Cons.* d. 30 iun. a. 1934, art. 5, a).

[9] Non autem detrahendae sunt expensae quae occurrerunt pro sustentatione beneficiarii, ut patet, nec pro sustentatione vicariorum, quae non gravare debent massam dividendam sed exclusive partem quae sedi vacanti spectet (c. 1481 et cit. *Instruct. S. C. Cons.*, art. 5, b).

4. Quinam sunt fructus intra annum promiscuum maturati, facile patet si agitur de fructibus civilibus, etiam agrorum (ut in locatione praediorum). Ibi enim attenditur ad maturationem iuridicam et nullo pacto ad terminos solutionis (scadenze) vel ad ciclum agrarium maturationis physicae. Et ita, si die prima septembris resolvitur contractus aliquis locationis novusque incipiat, octo partes annui pretii veteris contractus, et quattuor novi, assignandae sunt massae fructum anni promiscui.

Si vero agitur de fructibus stricte naturalibus, a cursu agrario maturationis physicae praescindi non potest, difficultatesque occurrunt non tantum ex eo quod termini annuae maturationis physicae non coincidunt cum terminis cycli astronomici anni solaris, sed etiam quod ipsae periodi productionis non necessario sunt annuales sed possunt esse biennales, quinquennales ... tricennales, ut in productione olearia vel arborum silvarum. Unde quaestio oritur utrum massa dividenda componatur exclusive fructibus qui intra annum ad perfectam maturationem pervenerunt et collecti fuerunt, an etiam fructibus totius cycli agrarii in quantum relationem habeant ad annum solarem promiscuum.

5. Prima solutio repugnare videtur criterio divisionis « *pro rata temporis quo beneficio uterque deservierit* », quod in canone ipso 1480 recipitur. Non enim pro rata servitii dividerentur fructus si antecessor omnes fructus biennales percepisset anno praecedente promiscuum vel successor perciperet sequente.

Secunda autem solutio repugnare videtur ipsis terminis c. 1480, qui praescribit ut computentur proventus et onera « *anni currentis* », non vero annorum praecedentium vel sequentium.

6. Haec secunda solutio sic proponebatur ante concordatum italicum a iure ecclesiastico eiusdem regionis: « *Le rendite benefiziarie s'intendono acquisite giorno per giorno senza distinzione tra frutti naturali e civili. Per l'annata quindi di promiscuo godimento tra il cessato titolare e il nuovo provvisto la ripartizione avrà luogo nel modo seguente: si farà una massa di tutte le rendite maturate dal 1° gennaio al 31 dicembre e così pure delle spese; l'avanzo netto si dividerà a giorni fra i diversi interessati in proporzione del tempo del godimento spettante a ciascuno.*

. . . . . .

Ove siavi rendita olearia od altra di natura biennale, dovrà unirsi l'annata fertile alla infeconda, e con lo stesso metodo si procederà per le selve cedue e per i boschi, i cui tagli non avvengono ogni anno in eguale misura »[10].

7. Hanc normam iuris ecclesiastici italici S. C. Conc. recepit tamquam transitoriam pro divisione facienda in traditione Ordinariis locorum administrationis beneficiorum vacantium[11].

---

[10] Regolamento per gli economati generali dei benefizi vacanti 23 maggio 1918 n. 978, art. 103 (DEL GIUDICE, *Codice delle leggi ecclesiastiche*, § 19).

[11] « Per la ripartizione dei redditi promiscui dell'anno corrente con l'economato, gli Ordinari applicheranno le norme sostanziali di cui all'art. 103 del Regolamento economale 23 maggio 1918 n. 978, tenendo presente che all'economato spetta, l'avanzo netto sui redditi di ogni beneficio vacante dal 1° gennaio 1929 al

8. Etiam post concordatum, doctrina iuris ecclesiastici italici et iurisprudentia fori civilis hanc eamdem normam sequuntur, non quidem quod ei vim legis tribuant, sed quia uti bonam habent interpretationem c. 1480, cui etiam inspiratam fuisse asserunt [12].

9. Etiam in doctrina canonica aliqui auctores inveniuntur alicuius ponderis qui huic normae subscribunt. Sic, v. c., Cappello docebat in hac ipsa ephemeride, p. 142, anni 1931, circa quaestionem quam tractamus; « Applicandum censemus praescriptum art. 103 (vulgo Regolamento 23 mai 1918) quo statuitur ... ». Pariter Stocchiero: « si deve ritenere ... che l'annata fertile deve unirsi con quella o con quelle infeconde, se la rendita è pluriennale » [13].

10. Antequam solutionem nostram proponamus, opportunum ducimus ad crisim reducere haec elementa quae divisioni massae fructuum pluriennalium favent:

a) Art. 103 citatae normae iuris ecclesiastici italici nunquam constituit interpretationem autenticam canonis 1480. Non enim prodiit ab auctoritate competenti neque umquam ab ea receptus

---

7 giugno successivo, data dello scambio delle ratifiche » (*Litterae circulares* 20 iuni 1929, art. 4, nota).

12 Cf., v. c., sententia a tribunali appellationis urbis Potentiae latam die 14 apr. 1951, cum adnotationibus a Doct. Elio Mazzacane exaratis (in ephemeride « *Il Diritto Ecclesiastico*, 1951, pp. 1139-1157). Insuper FORCHIELLI, *Della divisione dei frutti pro rata temporis* in *Studi Urbinati*, 1931, 1-2, pp. 64-96 et 3-4, pp. 1-35). Idem, in *Nuovo Digesto Italiano*, voce Benefici Vacanti, n. 34.

13 *I diritti del beneficiario in temporalibus* (Studi in onore di C. Calisse, II vol., Milano 1940, p. 91.

fuit [14]. Post concordatum autem quamcumque vim amisit cum, articulo 26 ipsius, statuatur administrationem et fructuum utilitatem beneficiorum vacantium normandam esse iure canonico. Neque dici potest illa norma recipi in ius canonicum per c. 1529; non enim agitur de re contractuali vel de solutionibus.

b) Eo vel minus considerari potest norma illa iuris ecclesiastici italici a S. C. Conc. recepta: haec enim illam applicatam voluit uti normam transitoriam pro negotio transitorio, idest pro concordata restitutione administrationis beneficiorum vacantium.

c) Quod attinet iurisprudentiam et doctrinom in iure ecclesiastico italico receptam, tantum valent quantum valent argumenta quibus fulciuntur. Eorum aliqua videntur convenientia, alia autem non probant [15].

d) Auctoritas canonistarum non evincit cum nullus auctor quaestionem ex professo examinavit. Auctores vero supra citati tantum solutionem obiter proponunt, nec argumenta afferunt.

---

[14] « Pernotum est numquam Ecclesiam in Italia acquievisse, saltem theorice, normis et legibus a Statu Italico latis circa beneficia et circa oeconomatus beneficiorum vacantium » (*S. Romana Rota*, Campobassen, 7 iuni 1936, Collectio, vol. 28, p. 267).

[15] Sic, v. c., argumentum quod trahunt ex art. 5 supra citatae intr. *S. Congr. Consistorialis*: « *Se il rispettivo possesso ha avuto luogo in due anni differenti si eseguiranno due ripartizioni distinte* ». Textus hic si quid probaret contrarium probaret. At nihil probat quia non respicit reditus poliennales, uti assumit citata sententia Tribunalis Potentini appellationis, sed casum in quo vacatio beneficii et possessio novi beneficiari non occurrunt eodem anno, ita ut duo anni considerandi sint promiscui: unum respectu antecessoris et sedis vacantis et alterum respectu sedis vacantis et successoris.

1. Omnia ergo haec elementa, etiam simul sumpta, evincentia non essent si vere verba can. 1480 « *proventus anni currentis* » significarent, quoad fructus stricte naturales, reditus qui maturatione phisica et perceptione ad currentem annum relationem haberent. At res non ita se haberi videtur. In textu enim et contextu verba illa aliam significationem admittunt, immo — ni fallimur — exigunt.

12. A contextu avulsa, verba « proventus anni currentis » indicare possunt sive fructus naturales qui facto physico eodem anno occurrente a dote separati sunt, sive fructus naturales qui, quamvis alio anno phisice a dote separati sint, iure tamen ad annum currentem referuntur. Solum ex contextu scire possumus qualis istarum acceptionum assumenda sit.

13. Si in contextu ageretur de instituto usus-fructus prima acceptio necessaria esset. Non aliter enim usufructuarius fit dominus fructus naturalis ac per eius separationem physicam a solo. Sed quia in contextu non agitur de usufructu sed de beneficio, necessaria videtur secunda acceptio ex sequenti ratione.

In beneficio ita nectuntur officium sacrum et ius percipiendi reditus ut haec duo elementa inscindibiliter, secundum Codicis definitionem (c. 1409) beneficii essentiam constituant et eius personalitatem moralem fundent. Ex hoc arctissimo nexu essentialiter scatet aliqua commensuratio etiam temporalis inter exercitium onerum officii et exercitium iuris percipiendi reditus, seu acquisitionem fructuum dotis. Onera enim in tem-

pore sustinentur, ius percipiendi reditus in tempore exercetur.

Quam commensurationem temporalem, etiam antequam Codex sic definiret beneficium, docebant, saltem quoad « *beneficia curata vel alias personale servitium requirentia* » [16], auctores qui sustinebant divisionem *pro rata,* quam praecise c. 1480 recepit. Sic Card. De Luca super hanc commensurationem, et quidem iuridicam et mathematicam, non physicam, fundabat suam sententiam de fructibus pro rata dividendis, sive civilibus [17] sive naturalibus [18].

Haec autem commensuratio physica esse non potest, quia onera officii singulis diebus et horis sustinentur, fructus vero naturales non singulis diebus et horis percipiuntur. Unde iuridica esse debet. iuridica commensuratio habetur si non curatis terminis perceptionis (sicut in fructibus civilibus negliguntur termini solutionis), fructus naturales « *ministerio iuris maturare et percipi dicantur singulis diebus, quinimo horis ac momentis* » [19].

---

[16] De Luca, *Theatrum veritatis et Iustitiae,* lib. VI, De Dote, disc. 160, n. 40.

[17] « Cum isti fructus civiles iuris ministerio maturare et percipi dicantur singulis diebus, quinimo horis ac momentis, hinc proinde inter praedecessorem et successorem, non curato actu exactionis, intrat divisio in regulis arithmeticis pro rata temporis ad instar eorum, quae iure disposita sunt, ac firmantur circa divisionem faciendam inter virum ac uxorem, vel respective heredes, in ultimo anno soluti, vel separati matrimonii » (*Theatrum verit. et iust.,* lib. XII, De ben., disc. 84, n. 4).

[18] « Nulla facta distinctione naturalium et industrialium seu civilium ... singulis diebus et horis quibus onera supportavit, omnes fructus cuiuscumque sint qualitatis lucratur » (*Theatrum verit. et iust.,* lib. VI, disc. 160, n. 40).

[19] cf. notam (1).

Commensurationem hanc iuridicam, et hanc iuridicam fructum maturationem singulis diebus et horis, Codex recepit dum divisionem fructum anni promiscui statuit *pro rata* servitii esse faciendam et dum massam dividendam componi voluit omnibus proventibus anni currentis, non curato termino perceptionis singulorum.

Per hanc receptam commensurationem omnium fructuum ad singulos anni diebus non curato termino perceptionis, fructus omnes qui iuridice annuales considerantur fiunt *proventus anni currentis,* etiamsi cyclum maturationis sex vel tribus mensibus percurrant vel, ex circumstantiis maturationem physicam retardantibus, tredecim vel quattuordecim, ita ut extra fines anni currentis percipiantur, puta mense ianuario aut februario anni successivi.

Si terminus perceptionis ita negligitur ut ei praeponatur consideratio iuridica, iam patet canonem 1480 termino « *proventus anni currentis* » non indicare fructus naturales qui physice intra annum currentem percipiuntur, sed qui ad annum currentem iuridice referuntur.

14. Sic cadit difficultas praecipua, immo unica, pro sententia affirmante massam dividendam fructuum anni promiscui componi non tantum fructibus annualibus, sed, pro rata maturationis, fructibus poliennalibus. Fructus enim poliennales ad annum currentem iuridice referuntur quia singulis diebus et horis totius cycli poliennalis, et proide singulorum annorum eiusdem, maturasse considerantur.

15. Ut hanc sententiam pressius et concretius definiamus, dicendum est:

a) Si aliqua dos natura sua non ferat fructus annuales sed tantum poliennales, massa redituum annuorum dividenda inter beneficiarios successivos constituitur parte aliquota ad annum proportionata massae fructum pluriennalium.

b) Si dos constituatur diversis elementis essentialibus, silva, v.c., et agro, quorum unum fructus annuos, alterum fructus pluriennales afferunt, quoad primum ad massam dividendam ferendi sunt fructus anno currente physice maturati, quoad alterum partem anno proportionatam fructuum pluriennalium.

c) Aliud dicendum est si dos constituatur pluribus elementis quae, in seipsis spectatis fructus pluriennales ferunt, eorum vero complexus ita per quamdam rotationem ordinatus est ut natura sua fructus annuos fere aequales ferat. Ita si agatur de silva, cuius partes, fere aequales, ita dispositae sunt ut quotannis una pars cedatur; vel si dos componatur duobus olivetis quorum unus annis paribus alter disparibus olivas producat. Hoc in casu attendendum est ad complexum potius quam ad eius elementa et dos aestimanda est ferre fructus annuales.

16. Sic resoluto dubio principali de massa fructuum pluriennali dividenda ad normam c. 1480 [20], remanent resolvendae quaestiunculae quaedam respicientes computationem cyclorum agra-

[20] Confortatur haec solutio praxi S. C. Conc., quae dividit, uti ferunt, fructus poliennales inter diversos annos *pro rata maturationis.*

riorum pluriennalium et eorum commensurationem cum respectivis cyclis astronomicis seu civilibus.

17. Prima est utrum in computatione cycli annus foecundus uniendus sit cum praecedentibus an cum sequentibus sterilibus.

Ex principio iuridicio « *ecclesiasticos fructus fuisse destinatos* ad hoc, ut ex illis sustineantur onera donec novi habeantur » [21], sequitur annum fecundum uniendum esse cum subsequentibus sterilibus, non cum praecedentibus. Et hoc principium confirmatur etiam a necessitate vitandi « *illud inconveniens* », a cuius consideratione forte introductum est « *quod* (successores in beneficio) *comode nequeunt ad impendendum servitium debitum residere in ecclesiis, in quibus beneficiati existunt* [22]. Hoc inconveniens maius esset in casu nostro in quo non agitur de fructibus annuis, sed pluriennalibus. Ponamus, v.g., quod de cyclo quinquennali agatur, si annus fecundus uniendus esset cum praecedentibus sterilibus et successio locum haberet anno sequenti fecundum, novus provisus attendere deberet ore ieiuno et cum oneribus officii, quattuor annos [23].

Ultro concedimus etiam contra hunc modum uniendi (annum fecundum cum sterilibus) pugnare non spernendas difficultates, praesertim si de lon-

---

21 BARBATO, *De divis. Fruct.*, part. 2 cap. 8; cf. et. alios auctores in citata *Res. S. C. Conc.* 20 dic. 1873 (A.A.S., VIII, pp. 197-199).

22 c. 2, I, Extr. Io. XXII; c. un., III, 3, Extr. Comm.

23 Ex hac difficultate aliqui optarent etiam pro fructibus annuis destinationem fructuum anni praecedentis ad sequentem (cf. STOCCHIERO, *Il diritto del beneficiario in temporalibus*, n. 10 nota 3, in l. c., p. 92).

ga periodo pluriennali agatur: difficultas, v.c., computationis, mutatio valoris pecuniae forte substantialis, periculum litium cum heredibus beneficiariorum defunctorum. Propter has, forte, difficultates c. 1479 prohibet « *in locatione bonorum beneficialium anticipatas solutiones ultra semestre sine licentia Ordinaria loci, qui in casibus extraordinariis congruis praescriptionibus cavet ne talis locatio vergat in damnum loci pii aut successorum in beneficio* ».

At praecise hisce difficultatibus provideri poterit congruis praescriptionibus Ordinarii. Congrua autem esset praescriptio ut beneficiarius qui percipit fructus pluriennales suam faciat quotannis partem horum fructuum anno proportionatam, reliquas vero partes consideret ut bona ecclesiastica et administret ad normam cc. 1518-1528.

Unde unio anni fecundi cum sequentibus sterilibus doctrinae conformior et rebus congruior videtur. In praxi tamen attendendum est in singulis beneficiis ad computationes praecedentes. Iniquum enim esset ut beneficiaribus qui primum annum fecundum divisit cum sterilibus praecedentibus et proinde cum predecessore in beneficio, ultimum dividat cum sequentibus et proinde cum successore [24]. Ergo norma unionis anni fecundi cum sequentibus sterilibus servanda est si iam adhibita fuit in divisione praecedenti quando non constat de praecedenti criterio unionis.

18. Secundo quaeri potest an expensae quae occurrunt in administratione beneficii deducendae

[24] In Italia fere ubique mos est ut annus fecundus cum praecedentibus sterilibus coniungatur.

sint a summa fructum totius periodi pluriennalis (ante divisionem fructum inter singulos annos qui eam componunt), an a portione quae singulos annos, et proinde annum promiscuum, contingit. Responsum pendet a natura expensarum: si agitur de expensis quae semel in tota periodo sustinentur, puta replantatio silvae, a summa totali, ante divisionem, detrahendae sunt; si e contra agitur de expensis quae fere aequaliter quotannis solvuntur, ut tributa, detrahendae sunt a portione quae annum promiscuum contingit.

19. Tertium dubium occurrit circa supputationem cycli pluriennalis quando initium cycli agrarii non coincidat cum initio anni solaris. Quaeri potest utrum, ex analogia cum praescripto c. 34, § 3, n. 3, primus annus pro nihilo computandus sit et cyclus finiendus sit expleto ultimo die ultimi anni, an e contra cyclus supputandus sit a momento ad momentum ita ut includat fractionem anni quo initium sumpsit maturatio agraria et fractionem anni quo maturatio per messem completa est.

Cum divisio inter antecessorem et praedecessorem agenda sit secundum annum solarem, cyclus agrarius videtur reducendus ad respondentem cyclum astronomicum per supputationem analogicam ad praescriptum c. 34, § 3, n. 3. Secus, in qualibet divisione, ad efformationem massae dividendae duplex periodus contribuere deberet, cum ingenti complicatione divisionis.

20. Et idem dicendum videtur quoad fructus naturales annuales si cyclus maturationis physicae non coincidat cum anno solari sed occupet finem unius et initium alterius anni solaris, sicuti accidit

pro cerealibus qui seminantur tempore autumnali unius anni et colliguntur tempore aestivo anni sequentis.

21. Si autem ipsa messis occupet duos annos (ut fit in olivis, quae partim colliguntur circa finem unius anni et partim initio sequentis), standum est considerationi vulgari, quae generatim totam messem adscribit anno praecedenti. Si enim, pro rata perceptionis, duobus annis solaribus adscriberetur, facile lites orirentur: praecox videri posset antecessor in collectione, tardus autem successor, ut ambo aliquos fructus anno promiscuo subtraherent.

* * *

22. Massa, ergo fructum anni promiscui dividendorum componitur, detractis omnibus expensis quae in administratione beneficii occurrerunt:

a) fructibus civilibus anno currente civili maturatis, quamvis termini solutionis extra currentem annum civilem inveniantur;

b) fructibus naturalibus annualibus qui anno civili currente secundum communem aestimationem maturati sunt, quamvis cyclus annualis maturationis physicae ante initium anni currentis solaris inceperit vel messis per aliquos menses anni successivi protrahatur.

c) portione fructum naturalium pluriennalium anno currenti proportionata secundum ratam maturationis. Quae ut eruatur proportio, cyclus agrarius pluriennalis reducendus est ad respondentem cyclum astronomicum per computationem a primo ianuario anni successivi ad illum quo

praecedens cyclus agrarius per messem finem accepit; a massa, porro, pluriennalium fructum, deducendae sunt, ante divisionem in singulos annos, expensae quae non occurrunt quotannis fere aequaliter.

II. De personis quae divisioni participant

23. Ad normam c. 1480, divisio fructum anni promiscui fieri debet debet, pro rata servitii, inter antecessorem, eiusve heredes, et successorem. At imprimis clarum est occurrere saepe tertium inter antecessorem et successorem, scilicet sedem vacantem, quam vocant. Unde evenire potest ut, occurrente tertio hoc subiecto divisionis, reditus anni promiscui non dividantur inter antecessorem, eiusve heredem, et successorem, sed inter antecessorem et sedem vacantem aut inter sedem vacantem et successorem. Hoc evenit quando vacatio non eodem anno accidit ac possessionis apprehensio novi beneficiari [25]. Si autem vacatio et nova possessio, eodem occurrant anno civili, divisio quidem unica fiet subiecta autem divisionis tria erunt, si tamen verum interstitium intercessit, nempe antecessor, sedes vacans et successor [26].

Divisionem peragit qui beneficium occupat vel administrat in fine anni promiscui civilis, quando

---

25 « Se il rispettivo possesso ha avuto luogo in due anni, si eseguiranno due ripartizioni distinte » (*Instr. S. C. Consist.*, 30 iuni 1934, art. 5).

26 *Coronata Institutiones*, vol. II, Romae, 1931, n. 1017, 3°, p. 417; Stocchiero, *Il diritto del beneficiario in temporalibus*, in *Studi in onore di Carlo Calisse*, Milano 1940, p. 40, n. 10).

divisio facienda est. Ergo si agitur de divisione inter sedem vacantem et novum beneficiarium vel de unica divisione, novus beneficiarius divisionem faciet. Si vero agitur de divisione inter antecessorem et sedem vacantem, huius ultimae administrator peragit divisionem [27].

24. Non est cur inquiramus de titulo iuridico quo beneficiarii successivi divisioni fructum anni promiscui participant. Cum enim fructus acquirantur singulis diebus et horis, ipsi acquisierunt portionem quae respondet diebus quibus qui beneficium occupaverunt et officio deservierunt.

De titulo autem quo divisioni participant sedes vacans et heredes beneficiarii defuncti aliqua disserenda videntur.

25. Et imprimis aliqua dicenda occurrunt de natura ipsius sedis vacantis quatenus divisioni participat. Non enim clarum est *quid* sit sedes vacans in quantum subiectum divisionis, ita ut auctores, et saepe idem auctor, diversis nominibus eam vocent [28].

Statim dicatur sedem vacantem non esse confundendam cum finibus a iure statutis (cc. 441 et 1481) pro fructibus intercalaribus, idest pro portione fructuum anni promiscui quae sedi vacanti contingit. Hi enim, in quantum subiecta iurium sint, seu personae, (vicarius oeconomus, fabrica ecclesiae, dioecesis etc.), non sunt subiecta iuris in divisionem, sed potius subiecta utilitatis ex divisione.

---

[27] Instr. supr. cit. *S. Congr. Consist.*, art. 28.

[28] Ita STOCCHIERO, in eodem contextu vocat eam « administratio Sedis aVcantis », et « vacatio » (l. c. p. 90 et nota 1).

Nec sedes vacans confundenda est cum beneficio in quantum « *ius percipiendi reditus* ». In quantum tale, beneficium non est — nec esse potest — subiectum iuris in divisione fructum. Cum enim ipsum *sit* ius percipiendi reditus, non potest esse subiectum huius iuris. Nec sedes vacans est subiectum iuris in fructus in quantum est *officium sacrum,* sicuti sequeretur ex theoria cl.mi Stocchiero qui posuit officium sacrum quasi « *primarium et verum beneficiarium* »[29]. Officium enim sacrum, in quatum elementum beneficii distinctum ab altero elemento essentiale quod est ius percipiendi reditus officio adnexos, non est subiectum cui confertur alterum elementum, sed co-elementum, *conferendum,* et ipsum, *ad normam sacrorum canonum* (c. 145), alicui subiecto.

Tandem sedes vacans non identificatur cum eius administratione. Haec enim nec sibi, nisi partialiter, nec nomine proprio fructus intercalares percipit.

Sedes vacans, qua subiectum iuris percipiendi reditus intercalares, est illud cuius, praeciso nomine administrator interinalis fructus intercalares percipit. Sed quid est hoc « *illud* », cum non sit nec subiectum *cui* reditus intercalares percipiun-

---

29 « Il beneficiario primario e vero del reddito non è logicamente l'investito, l'amministratore o il rappresentante del beneficio, ma l'ufficio, dal quale deriva nell'ufficiale, che ne è il titolare, il '*ius percipiendi reditus*', nonchè 'utendi et fruendi' nei limiti necessari a mantenersi atto alle sue funzioni » (*Il beneficio eccl. sede plena,* Vicenza 1943/46, § 91, p. 254). Quaenam differentia intercederet inter beneficiarium et administratorem sedis vacantis? Theoria ergo vera est si intelligas beneficiarium ut subiectum *utilitatis,* falsa si intelligas, ut subiectum iuris percipiendi reditus.

tur, nec beneficium in quantum officium, nec beneficium in quantum ius percipiendi reditus, nec beneficiarius antecessor nec successor? Cuius vices gerit Vicarius oeconomus paroecialis in percipiendis fructibus et, immo, in cura animarum exercenda? Clarum est vicarium actualem (c. 471) vices gerere parochi habitualis, vicarium substitutum (c. 474) vices gerere parochi absentis, vel ad normam c. 1923 impediti, vicarium adiutorem (c. 474) vices gerere parochi ob causas contingentes et personales imparis, vicarium cooperatorem (c. 476) vices gerere parochi insufficientis ob causas ipsi sedi inhaerentes; sed vicarius oeconomus, nisi dicatur vicarius Episcopi, dicendus esset vices gerere parochi inexistentis, quod repugnat [30].

26. Ut quaestioni solutio satisfaciens praebeatur attendendum est beneficium posse considerari in suae naturae elementis et in sua personalitate, qua singula elementa suae constitutionis transcendit et consideratur ut subiectum iurium potius quam ius conferendum alii subiecto [31].

Vidimus repugnare quod beneficium in elementis quo componitur consideratum (officium sacrum et ius percipiendi reditus) fiat subiectum iu-

---

[30] Nec quoad curam animarum vicarius oeconomus consideratur ut episcopi vicarius; eo vel minus quoad ius percipiendi reditus. Episcopus enim numquam consideratus fuit in iure tamquam beneficiarius habitualis paroeciarum vacantium (v. Forchielli, in *Nuovo Digesto Italiano,* voce Benefici Vacanti, n. 16).

[31] Beneficiario non confertur beneficium in quantum ens iuridicum; hoc esset absurdum, sed consideratum in elementis suae naturae (officium et ius percipinedi reditus). Ad beneficium ut persona beneficiarius se habet ut repraesentans, administrator, tutor.

ris in reditus beneficiales. At si consideretur ut persona, haec repugnantia evanescit; nam, ut persona neque est ius neque munus conferendum sed est iuris subiectum et potest iura acquirere, habere, amittere. Habet, v.g., ius dominii stricte sumpti in bona frugifera quae dotem constituunt, *si eorum proprietas penes ipsum ens sit* (c. 1410) et iura alius naturae in dotem si dos alio modo constituatur ad normam eiusdem c. 1410.

Si non repugnat quod beneficium *habeat iura,* quamvis in suis elementis *sit ius,* nec repugnare videtur quod ipsi inhaereat, ad tempus, ius ipsum quod beneficium est in uno elemento suae naturae, nempe ius percipiendi reditus, si hoc ius tempore aliquo nemini collatum sit. Eo vel minus quod res non est ita pensanda quasi tempore vacationis beneficium *accipiat* aliquod elementum quo iam constituebatur, seu ius percipiendi reditus et ita fiat « beneficiarius ». Ius enim percipiendi reditus tempore vacationis non ei inhaeret titulo beneficii, quod certe repugnaret, sed titulo dominii in dotem. Cum beneficium *ut persona* semper proprietatis ius, vel aequivalens titulum, in dotem habeat, radicaliter ex hoc titulo ei est ius in fructus ex dote: eius enim sunt fructus cuius est res frugifera nisi alius alio titulo hos iure polleat. (v.c. titulo usufructus) Ius hoc radicale fit formale et plenum tempore vacationis, quando ius percipiendi reditus nulli beneficiario est [32].

---

32 Ita res concipiebatur ab auctoribus qui heredibus beneficiarii negabant fructus ab eorum causam dante nondum perceptos. Beneficiarium comparabant usufructuario « qui non aliter dominus fructum efficitur quam si ipse eos perceperit. Et ideo si maturis

Et hoc manifestum est si agitur de iure in fructus ex dote constituta bonis quorum proprietas sit penes ipsum ens iuridicum. Si vero persona beneficii non sit domina rei frugiferae quia dos constituitur, ad normam c. 1410, *praestationibus, oblationibus, iuribus stolae etc., quae ad rectorem beneficii spectent,* haec omnia non aliter constituere possunt dotem beneficii nisi per vinculum iuridicum perpetum ligentur ad personam beneficii, prius quam ad rectorem. Rector ipse subiectum fit dominii in singula percepta non in vinculum perpetuum inter praestationem et praestatarium, oblationem et beneficium, quod facit ut haec fiant dos perpetua perpetui benificii. Hoc vinculum personam physicam beneficiarii excedit. Nec beneficiarius aliquid agere potest circa hoc vinculum, illud relaxando vel reducendo praestationum quantitatem, nisi qua repraesentans beneficii et eius nomine.

Nunc praecise vinculum hoc iuridicum perpetuum, singulas personas beneficiariorum excedens, et per quod illa « *ad rectorem benefici spectantia* » dotem beneficii constituere possunt, analogice ad eius domini pleni in bona quae dotem constituunt, illam producit inhaerentiam iuris percipiendi hos fructus, si et in quantum hi percipiendi sint tempore vacationis, in ipsa persona iuridica, seu in sede vacante [33].

---

fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit, ad haeredes eius non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur (§ 36, Inst. l II, tit. 1; l. 13 D. VII, 4; A.A.S. VIII, p. 196).

[33] Pari analogia affirmari posse videtur aliqua inhaerentia in persona morali beneficii ipsius potestatis « cuius saltem aliquam

27. Unde ad quaestionem propositam quonam titulo sedes vacans participat divisioni fructum anni promiscui pro rata vacationis respondendum censemus eam participare titulo dominii in fructus, quos pesona beneficii suos fecit non quidem beneficii sed titulo iuris proprietatis in rem frugiferam quae dotem constituit, vel alius nexus iuridici cum dote si dos alio analogo modo constitutura sit.

Quod autem fructus intercalares persona moralis beneficii non omnes et directe sibi acquirat, sed tantum ad normam c. 1481, non probat quod non totos et omnino suos faciat; aliud enim est fructus suos facere et aliud suos *sibi* facere. Ne quidem beneficiarii normales omnes fructus sibi suos faciunt, quamvis omnes, etiam honestam sustentationem excedentes, suos faciant secundum doctrinam fere communem [34].

28. Quoad heredes beneficiarii defuncti notandum est imprimis terminum « *heredes beneficiarii* » assumi reduplicative, et indicare heredes beneficiarii in quantum beneficiarii, seu illos qui succedunt in bona beneficialia, non autem qui succedunt in bona patrimonialia vel parsimonialia. Proinde heredes legitimi, sive ex testamento, sive ab intestato, in considerationem non veniunt nisi

---

participationem » secum fert officium. Unde ad quaestionem cuius vices gerat vicarius paroecialis oeconomus in cura animarum exercenda, responderi posse videtur vices gerere personae moralis paroeciae cui radicaliter inhaeret cura animarum.

[34] Ex c. 1481 constat indirecte fructus intercalares totos evolvi in utilitatem beneficii, nam partim applicandi sunt ad cuiuslibet generis expensas, partim ad augendam dotem beneficii, partim in utilitatem fabricae ecclesiae quae est sedes beneficii.

in quantum ipsi succedant etiam in bona beneficialia [35].

29. Titulus quo heredes divisioni fructuum anni promiscui participant, non est, absque dubio, successio in ius percipiendi reditus. Hoc enim ad beneficii essentiam pertinet et beneficiario defuncto sic collatum fuerat et inhaerebat ut per eius mortem nullo pacto ad heredes transmitti posset sed subiecto vacaret.

E contra heredes succedunt in bona quae beneficiarius iam sua fecerat. Fructus autem anni promiscui respondentes ratae servitii, et tantum illos, beneficiarius, sive ante mortem percepisset sive non, suos fecerat singulis diebus et horis quibus beneficium occupaverat officioque deservierat.

Unde titulus quo heredes divisioni participant est successio in bona beneficialia beneficiarii antecessoris, qui eis causam dedit. Tantum ergo divisioni participant quantum in bona illius succedere possunt, seu quantum causam dans bona illa sua fecerat et ad heredes transmittere voluit. Unde, si causam dans heredibus legitimis noluit fructus beneficii relinquere sed ea legavit causae piae, heredes legitimi tantum quatenus executores

---

35 In Codice acceptio termini *heredes* a contextu determinatur. Sic in c. 1310 « heredes » non potest indicare nisi illos qui in rem voto gravatam succedunt; in c. autem 1453, § 1, cum agatur de actione personali ex damno, terminus « heredes » non sumitur, nec sumi potest, reduplicative, sed specificative: heredes personae quae male administravit bona ecclesiastica. Nec excipiatur in veteris iuris praescriptis et doctrina circa fructus intercalares agi saepe de « heredibus » etiam « ab intestato » (sic in *Bulla Cum sicut,* 26 iun. 1550). Heredes enim legitimi possunt succedere etiam in bona beneficialia, ut diximus et fusius dicemus.

divisioni fructuum anni promiscui participant; si de eis causa pia heres partialis constituta est, haec est heres de quo c. 1480 et heredes legitimi nullo modo in considerationem veniunt [36].

30. At non sufficit ut *velit,* necesse est ut *valeat,* idest ut valide possit transmittere fructus beneficiales.

Quoad fructus beneficiales honestam sustentationem beneficiarii non excedentes, nullum dubium est quin hodierno iure heredes legittimi valide et licite succedere possint.

Item certum est beneficiarios, exceptis Cardinalibus [37], non posse *licite* transmittere ad heredes, qui non sint pauperes vel causae piae, fructus beneficiales honestam sustentationem excedentes [38].

Num *valide* hi fructus transmitti possint ad heredes communes, disputatur etiam nunc. Post Codicem contrariam sententiam defendunt pauci auctores, ut Stocchiero, Pistocchi, Augustine. At infirmis argumentis quia eorum doctrina fulcitur thesi quae docet beneficiarium fructus superfluos *suos non facere.* Quam theoriam iam F. X. Wernz antiquatam vocabat et ex eo improbabilem quia nullum dubium existere poterat « *quin ex praxi ecclesiae iam a compluribus saeculis comprobata reditus beneficiales, tum necessarii tum superflui, in dominium privatum transirent* » [39].

Dum autem auctores supra citati illam theo-

---

36 Et hoc etiam si nullam mentionem fecerit de sibi obventuris ex divisione fructuum anni promiscui.

37 C. 239, § 1, n. 19.

38 C. 1473.

39 *Ius Decr.,* t. III, Romae 1908, n. 186, p. 199.

riam argumentis ex Codice sustinere conantur, infirmiorem reddunt. Pistocchi quidem et Augustine ex eo quod male interpretantur verba can. 1473 « *uti frui potest* »; non enim accipiunt ea sensu obvio quem in textu et contextu ferunt, sed sensu tecnico « usufructus », quem contextus pati non potest; usufructus enim habetur super rem frugiferam non super eius fructus. Ex hac autem interpretationem deducunt beneficiarium non habere ius proprietatis in fructus cum usufructus sit in re aliena, non in re propria [40]. At interpretationem hanc contextus canonis non patitur quia agitur ibi de fructibus, non de re frugifera. Porro ipse Codex verba « libere uti frui » vertit in verba « libere disponere » ubi (c. 239, § 1, n. 19) contra hunc canonem privilegium concedit Cardinalibus.

Stocchiero autem [41] autem, confundendo sua optima desideria circa ius condendum cum iure condito, fingit officium esse verum et primarium beneficiarium; beneficiarium vero physicum nomine officii fructus percipere seu exigere; fructus autem perceptos dividendos esse in tres portiones. Portionem primam restituendam esse doti ad resarcienda damna quae ex fructificatione passa est, secunda pertinere beneficiario physico tamquam salarium pro officii exercitio, tertiam pertinere officio et destinari pauperibus et piis causis. Ex hisce praemissis concludit fructus excedentes honestam sustentationem, seu portionem secundam, « *non in-*

---

[40] PISTOCCHI, *De re beneficiali*, Taurini 1928, p. 414; AUGUSTINE, *A Commentary on the New Code of Canon Law*, 2 ed., vol. VI, p. 537.

[41] *Il Beneficio Ecclesiastico sede plena*, §§ 91-100.

gredi dominium privatum beneficiarii sed manere bonum eclesiasticum ex iustitia »[42].

Cum praemissae horum auctorum tam infirmae sint, infirma est conclusio beneficiarium non facere suos fructus benefici honestam sustentationem excedentes; et, propterea, etiam post Codicem sententia contraria qualificari debet ut *communis*.

Unde ex hoc capite non sequitur beneficiarium non posse valide transmittere ad heredes communes fructus benefici excedentes honestam sustentationem, sive agatur de ante mortem exactis sive de ex divisione obventuris.

Posset haec consequentia ex alio capite derivari: ex obligatione ex iustitia distribuendi pauperibus fructus superfluos quamvis proprietatis iure beneficiarius super illos gaudeat. Iam ante Codicem auctores classici non pauci affirmabant possibilitatem ut, quamvis beneficiarius omnes fructus beneficii suos faciat, tamen ex iustitia teneatur distribuere superfluos pauperibus[43], quia suos facit cum onere, « *quod onus, non obstante dominio privato potest esse modus ex iustitia debitus, quemadmodum heres universalis bonorum*

---

[42] *L. c.*, § 102, Ed. 2, p. 300.

[43] REIFFENSTUEL, *Ius Can. Universum*, l. III, tit. 25, n. 59 « ... Quandocumque alicui, sive cum sive sine translatione dominii quid datur, aut donatur sub certa conditione, intentione ac fine, tenetur donatarius vel conditionem ac intentionem, sub qua datum accepit, adimplere vel restitutionem facere, v. g. donat quis alteri certam quantitatem pecuniae hac conditione, ac fine, vel expresso pacto ut quantum sibi pro aliquo itinere necessarium fuerit, inde sumat, reliquum vero in pauperes vel pias causas expendat; tenetur donatarius ex iustitia, ut vel conditionem ac intentionem adimpleat residuumque illud pauperibus distribuat, vel aliter impendens restitutionem faciat ».

vere fit dominus et nihilominus modis, legatis, debitis quibus bona hereditaria onerata sunt ex iustitia satisfacere tenetur » [44].

At difficulter sustineri potest haec obligatio ex iustitia, eo praesertim quod in doctrina iam sententia invaluit contraria, nempe obligationem hanc ex oboedientia repeti debere [45].

Et tamen quaestio de validitate actuum liberae dispositionis de fructibus honestam sustentationem excedentibus aperta manere videtur. Invaliditas enim actuum alicui obligationi contrariorum provenire potest insuper ex lege irritante et ex intrinseco defectu iuris agendi: nemo enim valide utitur iure quo caret.

Quominus praescriptum distribuendi pauperibus fructus excedentes honestam sustentationem considerari potest lex irritans vetat c. 11 [46].

Defectus vero iuris in agente non excluditur per eius ius proprietatis in fructus etiam excedentes. Ius enim proprietatis non est ita intrinsecus illimitatum et illimitabile ut vel plenum habeatur, sc. cum iure omnino liberae dispositionis, vel non habeatur. Si quis, ex.c., hortum mihi donet absque iure in eo aedificandi vel de eo disponendi in fa-

---

[44] WERNZ, *Ius Decr.*, t. III, Romae 1908, n. 1895, p. 199.

[45] Nec sine difficultate admittere potuissent obligationem esse ex iustitia absque, ex adverso, stricto iure in pauperibus et piis causis. Strictum autem hoc ius excludebant, praesertim ante Conc. Tridentinum, auctores cum S. Thoma (cf. II-II, q. 185, a. 7) ex persuasione pauperes habuisse partem suam redituum ecclesiasticorum in divisione a Papa S. Simplicio facta (c. 28, C. 12, q. 2).

[46] « Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur ».

vorem heredis qui non sit de eadem familia vel gente, hortus erit quidem vere meus quin tamen iure pollerem de eo libere disponendi in favorem heredis alius familiae vel ad domum aedificandam in eo. Eousque extenditur ius meum proprietatis in hortum quosque actus iuridicus (donatio) qui ipsum produxit, dedit ut extenderetur. Et si ageretur de acto vel facto iuridicio continuo dependente a norma iuris obiectivi, tantum producere iuris posset quantum concederet norma iuris obiectivi ut produceret.

Nunc autem, ius proprietatis in fructus beneficiales totum producitur ab actu iuridicio qui est apprehensio possessionis beneficii. Actus vero hic iuridicus totus dependet a iure obiectivo canonico et tantum iuris subiectivi producere potest quantum ei dat ius obiectivum canonicum ut producat. Ius autem canonicum dat quidem ut producere possit ius proprietatis in fructus, non autem ita plenum ut beneficiarii omnes de omnibus fructibus libere disponere possint. Hoc ius plenum de « *reditibus beneficialibus libere disponendi etiam per testamentum* » dat ius canonicum (c. 239, § 1, n. 19), ad modum privilegii, solis Cardinalibus. Pro caeteris beneficiariis norma iuris disposuit ut capta possessio beneficii, produceret ius proprietatis in fructus ita limitatum ut beneficiarius « libere uti frui posset fructibus beneficialibus qui ad eius honestam sustentationem essent necessarii » (c. 1473).

Ideo, prescindendo a consequente obligatione caeteros fructus distribuendi pauperibus, iure libere disponendi de fructibus excedentibus hones-

tam sustentationem carent. Si tamen libere disponant, excedendo limites sui iuris, invalide disponunt quia nemo valide utitur iure quo caret [47].

Unde videntur beneficiaris, exceptis S. R. Ecclesiae Cardinalibus, non posse valide transmittere fructus superfluos beneficii heredibus qui non sint pauperes et istos nullo titulo participare posse divisioni fructum anni promiscui quoad partem quae evidenter excederet honestam sustentationem beneficiarii.

Multi tamen auctores, praesertim inter moralistas, principio iniixi quod beneficiarius fructus etiam superfluos faciat suos nec teneatur ex iustitia ad disponendum in favorem pauperum, pro validitate dispositionis contrariae concludunt. Immo moralistarum aliqui, ultra urgendo dependentiam totius limitationis iuris liberae dispositionis circa fructus superfluos a praecepto distribuendi superflua pauperibus, et personalitatem huius obligationis inde defluentis, docent beneficiarium non tantum disponere posse de superfluis valide, quamvis illicite, in favorem heredis communis, sed

---

47 Posset casus cogitari in quo beneficiarius graviter peccet contra obligationem distribuendi fructus superfluos pauperibus et tamen limites sui iuris non excedat. Sic si, in aliquo adiuncto, concreto pauperi succurrere deberet in gravi necessitate posito, fructus superfluos disponibiles haberet et tamen auxilium negaret, non quidem ut fructus superfluos in favorem consanguineorum vel amicorum non pauperum impendat, sed ut servet, ex avaritia, relinquenda post mortem successori vel causae piae, certe graviter peccaret contra charitatem et contra praeceptum canonis 1473, non tamen limites sui iuris excederet nec invalida esset dispositio mortis causa in favorem causae piae sibi acceptae, quamvis nullo modo indigentis.

etiam illa transire ad talem heredem absque onere. Onus enim distribuendi superfluos pauperibus, cum sit mere personale non transit ad heredes [48].

Quae deductio logica omnino esset si limitatio libertatis disponendi de superfluis hanc obligationem personalem distribuendi superflua pauperibus, et hac solam, *consequeretur;* sed si illam *antecedit* et oritur, e contra, ex limitatione intrinseca iuris dominii, conclusio diversa esse debet [49]. Nemo enim dat quod non habet. Atqui beneficiarius ius libere disponendi de excedentibus honestam sustentationem non habebat. Ergo ad heredes transmittere illud nequibat. Successio in iuribus

---

[48] Sic NOLDIN (*De Praec.*, n. 782, 2, c): « Heres vel legatarius bona ecclesiastica, quae a clerico accepit, non tenetur erogare in pias causas, nisi mediis iniustis clericum ad testamentum in suum favorem condendum induxit, quia obligatio erogandi bona superflua non est realis, sed personalis, quae ad heredes non transit ». Eodem fere modo IORIO, (II, n. 560) et HEYLEN (*De Iure et Iustitia*, Mecliniae, 1950, p. 169), qui tamen dubitat num hortandi sint heredes ad restitutionem: « Heredes clerici qui ipsis superflua beneficialia reliquisset, hortandi forsan forent, non vero, sub denegatione absolutionis, obligandi ad illa in pias causas impendenda ».

[49] Quod limitatio iuris liberae dispositionis non consequatur, sed antecedat, obligationem distribuendi pauperibus vel piis causis, erui potest etiam ex fontibus canonis 1473, praesertim ex Conc. Trid., c. 1, Sessio XXV, de ref., ubi motiva propter quae omnino interdicit Concilium « ne ex reditibus Ecclesiae consanguineos, familiaresque suos augere studeant » non sunt nec caritas nec pauperum iura sed prohibitio can. Ap. « ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent: sed — sic pergit textus — si pauperes sunt, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa: immo, quam maxime potest, eos sancta Synodus monet; ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum seminarium in Ecclesia extat, penitus deponant ».

nec iura mutat nec iurium obiecti naturam, ut clare docebat Card. Gennari [50].

In praxi tamen, cum auctoritas dictorum moralistarum dubias reddat conclusiones nostras, videntur hae urgeri non posse nec quoad invaliditatem actuum dispositionis contra c. 1473 nec quoad onus distribuendi pauperibus superflua a beneficiario illicite accepta.

31. Sic resoluta quaestione de transmissibilitate ad heredes redituum excedentium honestam sustentationem (c. 1473), restat ut solutionem applicemus ad nostram quaestionem circa c. 1480: quonam nempe titulo heredes beneficiarii defuncti participent divisioni fructum anni promiscui relative ad eventualem partem quae certo honestam sustentationem beneficiarii excedat.

Cum heredes divisioni participent non ex iure percipiendi reditus, sed ex iure successionis in ea quae beneficiarius iam ante mortem fecerat sua, applicatio speciali difficultati non implicatur. Haec tantum dicenda videntur:

1°. Si agitur de heredibus privilegiatis (causae piae, pauperes, heredes legitimi Cardinalium) eodem hi titulo divisioni participant superfluorum quo participant divisioni honestae sustentationi beneficiarii congruorum.

2°. Si de heredibus communibus agitur, attendendum est imprimis utrum sufficienter constet

---

[50] « L'essere delle rendite cadute in mano di eredi laici non fa certo cangiare la loro natura. Se questi perciò vogliono agire con retta coscienza, debbono addire quei beni agli usi a cui vanno diretti, non potendone disporre a lor talento » (*Consultazioni morali*, vol. I, Romae, 1902, p. 699).

de (perversa) voluntate causam dantis eis etiam superflua transmittendi : nemo enim praesumendus est malus « *et ideo clericus qui ex improviso sine expressa suae voluntatis declaratione mortuus est, censeri debet habuisse, saltem in fine vitae, bonam voluntatem superflua bona ex beneficio cumulata secundum praeceptum Ecclesiae et caritatis impendendi* » [51]. Immo si beneficiarius dum vivebat recte agebat cum parte fructuum quam excedentem considerebat, eam separatim ponebat et secundum suam destinationem impendere solebat, ex hoc cum omnimoda certitudine constat ipsum voluisse etiam circa ea quae ex fructibus anni promiscui sibi post mortem obvenirent recte se gerere et proinde noluisse ea heredibus communibus transmittere.

Hisce in casibus, ex defectu voluntatis in causam dante, heredes communes nullo titulo participant divisioni fructuum anni promiscui quoad partem quae evidenter excedat ordinariam honestam sustentationem beneficiarii. Haec pars tradenda est integra successori ut eam distribuat secundum suam destinationem.

3°. Si certe constat de mala voluntate causam dantis transmittendi heredibus communibus etiam fructus excedentes honestam sustentationem, ne tunc quidem, secundum nostram sententiam, validus est titulus hisce heredibus ad obtinendam etiam partem fructum quae honestam sustentationem excedat. Deest enim ius in causam dandi sic disponendi. Si tamen contra hanc sententiam, sustineatur ius causam dantis sic dispo-

---

51 FANFANI, *Theol. Mor.*, II, Romae 1950, p. 275.

nendi valide, quamvis illicite, tenendum est titulum quidem dominii esse heredibus in supradictos fructus, non tamen dominii pleni, sed limitati sicuti erat in causam dante, seu absque iure libere disponendi, nisi in favorem pauperum vel piarum causarum.

4°. In praxi tamen, ob probabilitatem saltem extrinsecam sententiae contrariae, si certo constet de voluntate causam dantis relinquendi heredibus communibus etiam partem redituum anni promiscui sibi obvenientium quae certo superet honestam sustentationem beneficiarii, haec voluntas aestimanda est validus titulus pleni dominii heredum in partem illam redituum excedentem.

I. M. Fazzari, S. I.

VITAM VEL INCOLUMITATEM PERICULO EXPONERE

Notissima est simul ac maximi momenti in doctrina morali distinctio inter occisionem directam et indirectam, mutilationem vel laesionem integritatis corporalis directam et indirectam. Doctrina cum recta eius applicatione huius distinctionis in omnibus invenitur theologiae moralis manualibus. Quae hac de re scribuntur hodie [1] tendunt non ad modificanda vel corrigenda ea quae in libris manualibus proponuntur, sed ad eorum maiorem perfectionem, explicationem, elucidationem et praecipue ad eorum ad casus practicos difficiliores rectam et tutam applicationem [2].

Etiam sententia a quibusdam [3] propugnata, scilicet, quod indirectae sive occisionis sive mutilationis nota distinctiva consistit in *incertitudine* mortis vel amissionis incolumitatis secuturae, iam ita peremptorie demonstrata est erronea, ut hodie derelicta vocari merito possit. Non superfluum tamen videtur adhuc animadvertere lectores occisionem (mutilationem) indirectam non tantum *non requirere* incertitudinem mortis secuturae (amis-

---

1 L. Bender, O. P., *De occisione directa et indirecta,* in *Angelicum,* 1951, XXVIII, fasc. 3. Idem in *Nederlandse Katholieke Stemmen,* 1936. Idem: « *Ge zult niet doden* » Hilversum 1937.

2 Conf. J. McCarthy: *Recent Papal address and indirect killing,* in *Irish Ecclesiastical Record,* Jan. 1952, p. 38.

3 I. a.: A. Gemelli, Vide: *Nouvelle Revue Theologique,* 1933, sparsim.

sionis incolumitatis secuturae), sed potius *certitudinem requirere*. Hoc bene videnti et intelligenti lucidior erit tractatus de occisione et mutilatione hominis, sive sui ipsius sive proximi. Nam tunc clare apparebit (ut rem ad occisionem restringamus) aliud esse occidere (seipsum vel proximum), aliud esse exponere periculo vitam (sui ipsius vel proximi). Et tunc aperta est via ad fructuose explicandam et ad maiorem perfectionem deducendam illam theologiae moralis partem, quae in manualibus recte sed non perfecta exactitudine tractari solet, doctrinam scilicet de actu qui est: se vel alium exponere periculo amittendi vitam vel corporis incolumitatem. Revera enim occisio, etiam indirecta, distinguitur ab hoc ultimo actu. Occisio est actus ex quo practica seu morali certitudine sequitur mors. Haec autem occisio quandoque est directa quadoque est indirecta.

Distinctus ab occisione (quamvis malitia ad eam accedens) et propriam indolem moralem habens est alius actus, qui indicatur nomine: periculo exponere vitam (sive propriam sive proximi). Hic actus natura sua accedit ad occisionem, sed est aliquid aliud. Eius malitia est eiusdem *generis* ac malitia occisionis, non tamen eiusdem *speciei*. Viri fortes et nobiles, qui furiante tempestate in parva navi appropinquare conantur ad navim periclitantem ut salvent vitam nautarum in periculo constitutorum, peragunt actum qui est *periculo exponere vitam*. Si parva navis ipsa perimatur, hi viri moriuntur. Sed tunc non recte dicitur ipsos occidisse seipsos quamvis indirecte. Actus istorum virorum species moralis non mutatur

exitu accidentali. Ab initio actus est « periculo exponere vitam » et hoc remanet usque ad finem operationis, sive finis est reditus in portu tuto, sive mors in undis. Si moriantur in undis, causis pluribus infeliciter concurrentibus viri perempti sunt et amiserunt vitam. Mortui sunt, nullatenus sunt occisi, ne indirecte quidem et a seipsis seu propria operatione. Quare non recte hic sermo esse potest de indirecta occisione. Ubi habetur actus, qui est periculo exponere vitam, mors aut sequitur aut non sequitur, sed exitus semper est effectus concurrentiae causarum, quae concurrentia non dependet ab agente. Sed si agens amittat vitam, a nemine occisus est. Non habetur occisio ut actus humanus, de quo agit moralista.

In tractatu de quinto praecepto aut de peccatis contra bonum corporis proprii vel proximi separatim agere debemus de occisione et de actibus quibus periculo exponitur vita [4]. Si nos moralistae hoc accurate fecissemus, probabiliter Gemelli non incidisset in errorem suum et nos non neglexissemus applicare distinctionem notissimam inter directe et indirecte velle *etiam vitae vel incolumitatis expositioni.* Nam mirari sane licet quod haec celebris distinctio omittitur, quando moralistae agunt de « exponere se vel alium periculo amittendi vitam vel incolumitatem ».

Revera etiam periculum amittendi vitam vel

---

[4] Multi moralistae hoc omittunt. Sic Merkelbach materiam disponit ac si vitam periculo exponere est casus occisionis indirectae. Aertnys-Damen materias magis separat, attamen etiam ipse de vitae expositione agit inter resolutiones ad tractatum de occisione sui adiunctas.

incolumitatem corporalem aliquis voluntarie causare ideoque velle potest *duplici modo,* directe scilicet et indirecte. *Directe* aliquis vult « vitam periculo exponere » si periculum ipsum aut intendit ut finem aut eligat ut medium ad aliquid aliud bonum tamquam finem attingendum. Indirecte aliquis vult « vitam periculo exponere », si ut medium ad aliquod bonum attingendum eligat actum vel operationem, cui hoc periculum est coniunctum, non autem *quia* hoc periculum est actui coniunctum sed *quamvis* hoc periculum sit actui coniunctum. In hoc casu proprie non eligit actum *utpote periculosum* seu non eligit *periculum ipsum* tamquam medium sibi utile.

Sane, casus in quibus aliquis *directe* vult « vitam periculum exponere » sunt potius rari. Sed distinctio etiam valet de expositione incolumitatis corporis. Et quoad eam casus facilius contingere possunt. Exempla actus directe voluntarii in hac materia sunt: operationes eorum qui peragunt repraesentationes gymnasticas in theatro vel circo et eligunt operationes periculosas *proprie quia sunt periculosae* et sic sensationem et curiositatem hominum moventes multos attrahunt spectatores et lucrum habetur magnum. Si operationes sint vere periculosae, i.e. si periculum non sit magna dexteritate longo exercitio acquisita ad tale minimum reductum ut de vero periculo sermo esse non possit, (tunc enim mutatur natura moralis actus), et proprie istis viris utiles sint quia periculosae, expositio sive vitae sive incolumitatis nihil aliud est quam vitam (incolumitatem) periculo exponere *directe voluntarie.* Alius habetur casus

quando vir, post initum assicurationis contractum pro casu quo mortem vel mutilationem patitur ex infortunio, spe obtinendi pro se vel pro hederibus suis summam pecuniae praeeligit labores periculosos, quamvis sine ullo incommodo obtinere possit alios labores aeque lucrativos. Huiusmodi vir peragit actum qui est directe exponere periculo vitam vel incolumitatem [5].

E contra vir qui ad salvandos nautas parva navi eos accedit in mari tumultuoso vitam exponit periculo, sed indirecte. Actus eius est: *indirecta* vitae expositio. Non eligit actum *quia* est periculosus. Quaerit navigationem eamque tanto libentius quanto est minus periculosa. Sed ipse non potest ab actu quam eligit tamquam medium ad finem et in quo non comprehensum est periculum, amovere hoc periculum.

Doctrina de indole morali huiusmodi ultimi actus seu doctrina de moralitate *indirectae* expositionis vitae aut corporis incolumitatis est optime elaborata in omnibus theologiae moralis manualibus. Quare dissertationem nostram restringere nos iuvat ad actus qui sunt expositio vitae (incolumitatis) *directa*. Quid dicendum de indole morali expositionis vitae vel incolumitatis si sit *directe* voluntaria?

---

5 Aliud exemplum esset modus agendi viri qui taedio vitae affectus iter periculosum aut labores periculosos eligit et peragit, abhorrens ab ipso suicidio sive defectu animi sive metu amittendi famam et honorem, sive metu causandi dolores propinquis suis dilectis. Etiam in hoc casu vir proprie non se occidit, nequidem indirecte. Si tamen gaudeat sufficienti libertate et deliberatione, reus est peccati quod prope accedit ad malitiam et gravitatem suicidii.

Duae moventur quaestiones. Primo, utrum hic actus sit intrinsece malus necne? Secundo, utrum actus si sit peccatum, sit peccatum grave an leve? Ad primam quaestionem respondendum esse videtur, huiusmodi actum seu modum agendi esse intrinsece malum. Ratio est haec. Occidere, mutilare, periculo exponere vitam, periculo exponere incolumitatem corporis, sunt actus qui inter se non differunt nisi sicut magis et minus. Verum sane est quod differunt specie morali. Sed omnes actus sunt in eodem *genere*. Eadem ratione qua non mihi licet occidere, non mihi licet mutilare; eadem ratione qua mihi non licet occidere vel mutilare, mihi non licet vitam aut incolumitatem periculo exponere. Ratio est: homini malum (vitandum) est in bonis corporalibus nocere homini (sibi vel proximo); homini malum est destruere, deteriorare hominem. Destruere hominem (non animam sed ipsum compositum quod est homo) fieri potest totaliter (occidere) et partialiter (mutilare); potest fieri actu qui certe et actu qui maiori vel maiori probabilitate adducit hunc effectum (periculo exponere vitam vel incolumitatem). Sed omnes actus eodem modo sunt legi naturali morali contrarii, quamvis non aeque graviter. Etiam *vero periculo* exponere est aliquid quod est ipsi legi naturali contrarium. Et de omnibus istis operationibus seu actibus valet: directe ea velle (intendere, eligere) est intrinsece malum. Indirecte autem eorum effectus velle et causare licitum esse potest, dummodo habeatur ratio proportionata et regulae de voluntario indirecto notissimae serventur. Quare numquam licitum est id, quod vocari solet « quaerere

periculum » sive propter se sive ut medium propter aliquid aliud attingendum. Hoc esset violatio normae generalis totius ordinis moralis: non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Licitum tamen esse potest quaerere (eligere, ponere) actum seu modum agendi, cui periculum est adiunctum, dummodo actus vel modus agendi eligatur *quamvis* ei coniunctum sit periculum; ideoque non *quia* ei coniunctum sit periculum, a.v. dummodo actus vel modus agendi eligatur, *quamvis* praeter voluntatem agentis ut effectus non intentus oriatur illud malum quod vocatur notabile periculum amittendi vitam vel incolumitatem [6]. Eligitur tunc actus in se saltem indifferens (mare petere), cui annexum est hoc periculum, quin periculum ipsum reddat actum idoneum aut magis idoneum ad finem intentum attingendum. Ad secundam quaestionem responderi debet: exponere vitam aut incolumitatem periculo esse peccatum *grave ex genere suo*. Agitur enim de bonis magni valoris. Peccatum autem leve seu veniale esse potest ex materiae parvitate. Et hoc duplici modo: aut quia, si de incolumitate agatur, malum est parvae molis, e.g. periculo se exponere amittendi unum digitum minus utilem;

---

6 Ut habeatur *periculum* et *exponere periculo* non sufficit quaelibet etiam minima possibilitas amittendi vitam vel incolumitatem, sed requiritur probabilitas quae quamvis tenuis tamen specialem metum ratonabilem causat. Iter instituere in navi aerea hodie non vocatur se exponere periculo amittendi vitam, quamvis infortunia quaedam frequentia contingunt. Idem valet de itinere curru automobili perficiendo. Neque proprie sermo esse potest de « *exponere periculo* » ut de actu morali nisi periculum adnexum actui vel modo agendi sit notum agenti saltem in confuso. Hoc autem cognoscitur multis modis, puta instructione, experientia, suspicione bene fundata, natura actus.

aut quia periculum est leve, sed tamen non omnino spernendum.

Applicatio doctrinae de liceitate indirectae expositionis vitae vel incolumitatis est opus prudentiae. Difficilius hic dari possunt regulae determinatae ad statuendum quid sit causa proportionata. Neque incolumitatis laesio est eadem pro diversis casibus, neque omne periculum est aeque grave. Difficilior adhuc est applicatio doctrinae, si agatur de causando (etiam negative seu non evitando) periculum pro vita et incolumitate *proximi*. Qua de re sapienter plura adamussim sunt legibus humanis statuta (praescripta vel prohibita), ut caveatur ne negligentia vel desiderio faciendi lucrum similibusve rationibus hominis aliquid agant vel omittant et sic vita et incolumitas aliorum periculo exponatur. Hodie etiam in sic dicta legislatione sociali huismodi praecepta idonea inveniuntur ut ab operariis conductis pericula pro posse amoveantur.

Dr. L. Bender. O. P.

MONUMENTA

SS. D. N. Pius Pp. XII

16 - LITTERAE ENCYCLICAE

(*AAS*. XXXXIX [23 octobris 1957] p. 765)

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE RE CINEMATOGRAPHICA, RADIOPHONICA AC TELEVISIFICA.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Miranda prorsus technicae artis inventa, quibus nostrorum temporum homines gloriantur, quamquam ex humano ingenio laboreque oriuntur, dona sunt tamen Dei Creatoris nostri, ex quo omnia opera bona procedunt: « non enim solum protulit creaturam, verum etiam prolatam tuetur et fovet »[1].

Ex quibus inventis alia eorum vitae condiciones meliores efficiunt; alia denique, cum animum potissimum respiciant, vel per se, vel per artifi-

---

1 S. IOAN. CHRYS., *De consubstantiali, contra Anomoeos*: *P. G.*, 48, 810.

ciosas imagines ac voces multitudines ipsas attingunt, et cum iisdem cuiusvis generis nuntios, cogitata et praecepta facilitate summa communicant, quibus veluti mentis pabulo enutriantur per requietis etiam ac relaxationis horas.

Ad quae postrema inventa quod attinet, maximum aetate hac nostra incrementum acceperunt cinematographicae, radiophonicae ac televisificae artes.

Quas quidem artes, vixdum in usum invectae sunt, non modo summo cum gaudio Ecclesia excepit, sed materna etiam cura sollicitudineque vigilanti, eo consilio permota, ut filios suos, progredientis aetatis iter ingressos, a periculis omnibus tueretur.

Haec cura evigilans ex ipso a Divino Redemptore accepto munere oritur; quandoquidem, ut patet omnibus, hae novi generis artes multum multumque conferunt ad peculiarem singulorum universaeque hominum communitatis cogitandi agendique modum.

Aliud praeterea est, cur Ecclesia euismodi causam e re sua potissimum consideret; ipsa enim, ratione omnino potiore quam ceteri omnes, nuntium debet singulis hominibus impertire: hoc est nuntium aeternae salutis; nuntium incomparabilis ubertatis et potentiae; nuntium denique, quem omnes homines, cuiusvis gentis et cuiusvis aetatis, accipiant atque amplectantur necesse est, secundum illud Apostoli gentium: « Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illu-

minare omnes quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit »[2].

Nihil igitur mirum est si ii, qui suprema Ecclesiae auctoritate fruuntur, hanc gravis ponderis causam eo consilio pertractarunt, ut sempiternae eorum saluti prospicerent, qui non sunt « corruptibilibus auro vel argento redempti ..., sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi »[3]; et quaestiones omnes diligenter perpenderunt, quas res cinematographicae, radiophonicae ac televisificae christianis hodie proponerent.

Plus quam viginti anni elapsi sunt, ex quo Decessor Noster fel. rec. Pius XI, « mira sane ope marconiana » usus, primum radiophonicum nuntium « ad omnes gentes et ad omnem creaturam » edidit[4].

Atque post paucos annos idem Decessor Noster mirabilem illam Epistulam Encyclicam, cui a verbis initium est *Vigilanti cura*[5], ad Venerabiles Fratres Archiepiscopos et Episcopos Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum misit; qua quidem Epistula, de cinematographicis spectaculis praecepta sapientissima impertiens, praesentibus necessitatibus concentanea, haec inter alia edixit: « Pernecessarium est ac penitus urget id providere atque efficere, ut quidquid ex Dei mu-

---

[2] *Ephes.* III, 8-9.

[3] *I Petr.* I, 18-19.

[4] Radiophonicum nuntium *Qui arcano,* d. 12 Februarii a. 1931: *A. A. S.,* vol. XXIII, 1931, pag. 65.

[5] Epist. Enc. *Vigilanti cura,* d. 29 Iunii a. 1936: *A. S. S.,* vol. XXVIII, 1936, pag. 249 sq.

nere progrediens aetas in humanas disciplinas ac vel in ipsas technicae industriae artes invexerit, ita divinae gloriae, animarum saluti et Iesu Christi propagando regno reapse inserviat, ut omnes, quemadmodum Ecclesia nos precari iubet, " sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna " »[6].

Ac Nosmet ipsi, per Summi Pontificatus Nostri decursum, saepe, occasione data, hac eadem de re egimus, non modo Sacris Pastoribus, sed variis etiam Actionis Catholicae sodalitatibus, christianisque educatoribus opportunas impertientes normas. Ac libenter praeterea eos coram admisimus, qui pro peculiari, quo funguntur, munere, vel cinematographicam, vel radiophonicam, vel televisificam artem exercent; iisdemque, postquam ob mirandam harum artium horumque artificum progressionem factam, Nostram patefecimus admirationem, sua cuiusque, quibus tenentur, officia significavimus; itemque magna promerita, quae adepti sunt, pericula, in quae facile incidere possunt, atque altissima illa proposita, quae eorum mentes illuminare eorumque regere voluntates debent.

Nobis etiam, ut nostis, curae fuit hac in Romana Curia peculiare Consilium[7] constituere, cuius ex credito munere esset varias de re cinematographica, radiophonica ac televisifica quaestiones diligenter perpendere ad catholicam fidem et christianos mores quod attinet; a quo Consilio et Epis-

---

[6] *Ibid.* pag. 251.

[7] Cfr. *A. A. S.*, d. 16 Decembris, a. 1954, vol. XLVI, 1954, pag. 783-784.

copi et ii omnes, quorum res est, opportunas normas exquirere possunt.

Persaepe Nos ipsi hodiernis hisce mirandisque opibus utimur, quibus facilius possimus gregem universum cum Supremo Pastore coniungere; ita quidem, ut vox Nostra terrae marisque spatium ac vel turbidos animorum fluctus secura tutaque supervolans, mentes hominum attingere possit in easque salutariter influere, prouti summi apostolatus munus, Nobis creditum atque hodie quasi in immensum adauctum, a Nobis postulat [8].

Cum autem noscamus et Nostras et proximi Decessoris Nostri fel. rec. Pii XI hac de re adhortationes haud parum eo contulisse, ut cinematographicae, radiophonicae ac televisificae artes homines revocare contenderent ad suam ipsorum animi perfectionem assequendam, atque adeo Dei promovendam gloriam, id magnum Nobis solacium affert.

Etenim studiosa vigilantique cura vestra, Venerabiles Fratres, incepta et opera inita sunt, quibus id genus apostolatus non modo in singulis dioecesibus singulisque Nationibus promoveretur, sed populos etiam amplecteretur universos, collatis viribus consiliisque.

Haud pauci publicae rei moderatores, itemque ii, qui vel ingenuis artibus vel mercandis rebus dant operam, et eorum quoque plurimi, qui vel catholici vel acatholici, id genus spectaculis intersunt, probitatem suam hac in causa gravissi-

---

[8] Cfr. Sermo ad catholicos Hollandiae, d. 19 Maii, a. 1950 habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. XII, pag. 75.

ma comprobarunt, id non sine labore nec sine rerum iactura enitentes, ut non modo mala pericula vitarentur, sed sacrosancta etiam Dei iussa fierent, atque humanae personae dignitas in tuto poneretur.

Attamen, pro dolor, sententiam illam Apostoli gentium geminare debemus: « Non omnes oboediunt Evangelio »[9]; etenim hac quoque in re non desunt, qui Ecclesiae magisterium neque intellegant neque agnoscant, immo etiam qui omni ope aversentur: ii sunt, ut nostis, qui vel inordinata lucri cupidine moventur, vel erroribus decepti, humanae naturae dignitatem libertatemque non aequo loco ponunt, vel denique de liberalibus cuiusvis generis artibus sententiam amplectuntur a veritate alienam.

Quamvis horum agendi ratio aegritudine animum oppleat Nostrum, haud possumus tamen officio Nostro deesse a rectoque deflectere itinere, fore confisi, ut verba illa, quae Divino Redemptori Nostro eius inimici dixerunt, Nobis quoque tribuantur: « Scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo »[10].

E progressionibus mirandis prorsus, quas nostris hisce diebus technicae disciplinae, ad cinematographicam, radiophonicam et televisificam artem quod attinet, fecerunt, ut maximae utilitates, ita maxima quoque pericula oriri possunt.

Hae enim novae opes novaque instrumenta, quae fere omnibus ad manum sunt, vim exserunt

---

[9] *Rom.* X, 16.

[10] MATTH. XXII, 16.

in animos potentissimam, cum idcirco quod eos luce collustrare possunt, nobilitate evehere, pulchritudine decorare; tum ex eo etiam quod eos tenebrarum obscuratione foedare, depravatione dehonestare, effrenatisque subicere queunt motibus, prouti eiusmodi spectacula res aut pravas aut honestas nostris sensibus proponunt [11].

Quemadmodum superiore saeculo, cum progrediens ars technica, ad ea, quae quaestus causa tractantur, pertinens, id saepenumero effecit, ut machinae in usum inductae, quae hominibus servire debent, eos potius in servitutem aerumnoso cum detrimento redigerent, ita pariter hodie increscentia eiusdem technicae artis incrementa, ad imagines, ad sonos, ad cogitata propaganda quod attinet, nisi suavi iugo legis Christi subiciantur [12], innumerabilium malorum fons esse possunt, quae eo vel gravia evadunt, cum non modo materiae, sed animi etiam vires misere subigantur, atque adeo humana inventa salutaribus illis utilitatibus priventur, quas ex providentis Dei consilio primum quaerere oportet [13].

Quapropter, cum gravem eiusmodi causam maiore cotidie paterni animi Nostri sollicitudine prosecuti simus, cumque salutares consideraverimus fructus, qui — ad cinematographica spectacula quod pertinet — ex Encyclica Epistula, quae

---

11 Cfr. Sermo ad cultores cinematographicae artis ex Italia Romae congregatos, d. 21 Iunii, a. 1955: *A. A. S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 504.

12 CCfr. MATTH., XI, 30.

13 Cfr. Sermo ad radiophonicae artis cultorum coetum, d. 5 Maii, a. 1950 ex omnibus Nationibus Romae habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. XII, pag. 54.

Vigilanti cura inscribitur, per plus quam decennia duo iam orti sunt, Nos precibus sacrorum Pastorum laicorumque hominum harum artium studiosorum concedentes, cupimus per Encyclicas has Litteras normas et praecepta impertire, quae ad radiophonicas etiam auditiones atque ad televisionem attineant.

Postquam igitur instantes supplicationes Deo admovimus, ac Deiparae Virginis auxilium impetravimus, vos, Venerabiles Fratres, quorum pastoralem sollertemque curam perspectam habemus, eo consilio compellamus, ut non modo christiana hac de re doctrina in plena luce ponatur, sed ut etiam opportuna suscipiantur proposita et incepta; ideoque omni ope, qua possumus, vos commonere cupimus, ut grex, unicuique vestrum creditus, adversus quoslibet errores quaelibetque detrimenta muniatur, quae memoratarum artium usus in christianae vitae mores, non sine gravi discrimine, inducere possit.

I

Antequam de singulis quaestionibus agimus, quae ad has artes tres pertinent, ad cinematographicam dicimus, radiophonicam, et televisificam — novimus enim unamquamque earum ad mentis animique cultum fovendum peculiares causas solvendas proponere cum in liberalium, tum in technicarum et oeconomicarum disciplinarum campo — opportunum ducimus ea breviter enucleare principia, quae ad bona, hominum commmunitati

et singulis civibus destinata, quam latissime fieri possit, propaganda pertineant.

Deus, cum summum sit bonum, nullo non tempore sua munera hominibus largitur, quos peculiari cura caritateque prosequitur; e quibus quidem muneribus alia ad animum, alia vero ad terrenae huius vitae usum spectant; suntque haec, ut patet, prioribus subiecta eodem quippe modo, quo corpus menti subigatur oportet, cum qua, antequam semet ipsum per beatificam visionem communicet, per Fidem caritatemque coniungitur, quae « diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis » [14].

Ac praeterea, cum propriae perfectionis imaginem in homine cernere percupiat [15], huius etiam supernae largitionis eum voluit fieri participem, atque eum, horum bonorum nuntium, largitorem dispensatoremque ceteris fratribus universaeque hominum communitati factum, cum sua ipsius opera consociavit. Homo enim, ex sua ipsius natura, inde a primaeva aetate, signorum ope quae e rebus corporeis quaesita ad perfectiorem cotidie formam redigere conatus est, sua spiritualia bona cum ceteris communicare assuevit. Ex antiquissimorum igitur temporum imaginibus scriptisque ad technicas usque huius aetatis nostrae artes, instrumenta omnia quibus homines inter se coniunguntur ad excelsum illum finem contendant oportet, ut homines nempe Dei administri hac in re quodam modo evadant.

---

14 *Rom.* V, 5.

15 Cfr. MATTH. V, 48.

Quamobrem, ut hoc providentis Dei consilium tutius et efficacius in hominibus effectum detur, Apostolica auctoritate Nostra « Sanctum Gabrielem Archangelum, qui mortalium generi ... exoptatum detulit humanae Redemptionis nuntium, caelestem apud Deum Patronum » per Apostolicas Litteras [16] constituimus earum artium, quibus homines electrica vi possunt tum verba ad absentes quam celerrime transcribere, tum ex locis valde longinquis inter se colloqui, tum nuntios per aethereas undas mittere, tum denique res et eventus, etsi iidem procul commorantur, per imagines ante oculos relatas praesentes conspicere [17]. Mens enim Nobis erat, cum hunc caelestem elegimus Patronum, ut ii omnes, quorum in manibus benefica eiusmodi instrumenta sunt posita, quibus licet inaestimabiles Dei thesauros inter homines propagare, veluti bona semina, quae veritatis bonitatisque fructus referrent, mentem cuiusque suam ad crediti muneris nobilitatem converterent.

Considerantibus enim Nobis excelsa illa proposita, ad quae technicae nobilesque hae artes destinantur, haec observatur quaestio: cur nempe eaedem interdum fiunt vitiorum opes ac veluti semitae? « Unde ergo habet zizania? » [18].

Omnia profecto mala, quae rectis morum normis opponuntur, non ex Deo oriri possunt, qui perfectum absolutumque bonum est, non ex ipsis technicis artibus, quae eius pretiosa sunt dona, sed ex

---

[16] Litt. Apost. d. 12 Ianuarii, a. 1951: *A. A. S.*, vol. XLV, 1952, pag. 216-217.

[17] Cfr. *Ibid.*, pag. 216.

[18] Matth. XIII, 27.

eo tantum, quod homo, cum sit libera voluntate praeditus, iisdem donis abuti possit, prava nempe facinora perpetrando propagandoque, atque adeo cum tenebrarum principe Deique inimico se consociando: « Inimicus homo hoc fecit » [19].

Quamobrem id postulat vera hominum libertas, ut iis omnibus utamur opibus easque cum ceteris communicemus, quae ad virtutem nostraeque naturae perfectionem conferre possint.

Ecclesia autem, cum salutiferae doctrinae magistra sit, eaque omnia habeat, quae ad sanctitatem adipiscendam necessaria sunt, inviolabili iure fruitur ea impertiendi, quae sibi ex divino mandato concredita sunt. Cui sacrosancto iuri officium eorum respondeat oportet, qui publicam rem moderantur; ita quidem, ut etiam ad has artes, quibus veritatem virtutemque propaget, ei aditus patere debeat.

Qui vero Ecclesiae sinceri actuosique filii sunt, cum inaestimabile Redemptionis donum agnoscant, id efficere pro viribus iubentur, ut eadem technicis hisce inventis uti possit, quatenus ad animorum sanctitatem conferant.

Quae tamen Ecclesiae iura asseverantibus ac vindicantibus Nobis voluntas non est civili societati ius negare earundem artium ope eos nuntios easque doctrinas propagandi, quae reapse ad commune humanae consortionis bonum vel necessaria vel utilia sint.

Ac praeterea singulis etiam civibus fas esto, perspectis tamen opportunis rerum adiunctis ac

---

19 Matth. XIII, 28.

sartis semper tectisque communis boni principiis, pro facultate conferre ad suum ipsorum ceterorumque mentis animique cultum hisce artibus ditandum amplificandumque.

Attamen christianae doctrinae potiorique harum artium fini contrarium est eorum placitum atque propositum, qui hisce inventis uti velint tantummodo ad res politicas fovendas propagandasque, vel ad res oeconomicas provehendas; atque adeo nobilem hanc causam quasi negotium commerciumque considerent.

Parique modo illud eorum commentum probari nequit, qui libertatem quidquid effingendi propagandique asseverant ac vindicant, quamvis plena in luce sit positum, quae quantaque animis corporibusque detrimenta elapsis annis hisce ex principiis sint orta; non enim de recta libertate agitur, de qua supra diximus, sed de effrena potius licentia quidquid, nulla cautione habita, cum ceteris communicandi, etiamsi contra rectos sit mores et in grave periculum cedere possit animorum.

Iamvero Ecclesia, quae omnia fovet ac provehit, quae revera ad ornandos ditandosque animos pertinent — est enim humanarum disciplinarum ingenuarumque artium patrona et altrix — haud permittere potest, ut ea principia eaeque normae violentur, quae hominem ad Deum, supremum finem, dirigant ac moderentur. Nemo igitur miretur, si hac etiam in re, quae multas cautiones habeat oportet, considerate circumspecteque agat secundum illud Apostoli: « Omnia autem probate:

quod bonum est, tenete. Ab omni specie mala abstinete vos » [20].

Quapropter ii procul dubio improbrandi sunt, qui profiteantur et asseverent illam etiam harum rerum propagationem esse fovendam efferendamque, quae praeceptis de re morali officiat et adversetur, modo si ad ingenuarum technicarumque artium leges conformetur. « Utique liberales artes — quod, breviter edisserendo, quinto exacto saeculo ab Angelici morte, in audientium memoriam revocavimus — id per se non postulant, ut ad ethicum vel religiosum munus dirigantur. Verumtamen si humanarum artium forma, sive verbis, sive sonis, sive imaginibus efficta, fallacibus, vacuis et turbidis adaequetur modis, qui divini Creatoris consilio non conformentur; quin immo, si mentem, si animum non ad nobiles sensus excitet, sed ad pravas potius cupiditates libidinesque concipiendas moveat, tum homines allicere potest saltem ob novitatem, quae non semper vi virtuteque pollet, vel ob exiguam eam veritatis partem, quae ex qualibet re elucet; sed tamen eiusmodi ars ex nobili suo gradu decedet, a primario ac necessario principio suo longe aberrabit, atque adeo non universalis, non perennis esse poterit, quemadmodum hominum animus, ad quem dirigitur » [21].

---

20 *I Thess.* V, 21-22.

21 Cfr. Sermo, quinto exeunte saeculo ab Angelici obitu, in Aedibus Vaticanis habitus d. 20 Aprilis, a. 1955: *A. A. S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 291-292; Litt. Enc. *Musicae Sacrae*, d. 25 Decembris, a. 1955: *A. A. S.*, vol. XLVIII, 1956, p. 10.

Ii, qui publicam rem moderantur, procul dubio gravi tenentur officio novis etiam hisce artibus consulendi vigilanter; neque solummodo debent politicis hac de re prospicere rationibus, sed publicis quoque moribus, quandoquidem tutum eorum fundamentum in naturali lege innititur, quae ut divinum testatur eloquium, scripta est in cordibus nostris [22].

Hanc evigilantem Civitatis moderatorum curam haud asseverari potest iniuste singulorum opprimere civium libertatem, cum non privatam eorum personam respiciat, sed universam potius hominum consortionem, cum qua hae artes communicantur.

« Haud ignoramus — quod iam occasione data diximus — vulgatam esse nostrae aetatis hominum opinionem, qui interpositae auctoritatis publicae impatientes sunt, praeoptandas esse etiam in re cautiones, quae ab ipsa potius communitate edantur » [23]; attamen hae normae cautionesque, quae ab eis profiscantur, qui pro suscepto munere has artes exercent, minime debent gravissimum eorum officium aversari, qui publica auctoritate praesunt, quamquam laudabiliter possunt eorum actioni occurrere, atque etiam mala praevertere, quae rectis moribus facile nocere queant.

Hac de causa, ut proximus Decessor Noster, ita Nosmet ipsi libenter eos dilaudavimus, qui, pro credito hac in causa munere, opportunas edide-

---

22 Cfr. *Rom.* 11, 15.

23 Sermo ad cultores artis cinematographicae ex Italia Romae congregatos, d. 21 Iunii, a. 1955: *A. A. S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 505.

runt cautiones et normas, nihil tamen praeiudicatum habentes ad publicas auctoritates quod attinet. Putamus enim tum solummodo has novas artes ad rectam eorum animi conformationem, qui iisdem utuntur, facilius et aptius conferre posse, si Ecclesia, si Civitas, si ii etiam, qui id genus munera obeunt, collatis inter se recto ordine viribus, ad optatum assequendum finem adiutricem sibi invicem operam praebeant, quodsi contra eveniet, hoc est si hae artes, nullis propositis legibus nullisque de re morali cautionibus habitis, per pronum liberumque iter prodibunt, verum populi cultum procul dubio minuent eiusque mores pessumdabunt.

Inter varias technicas artes, quae cogitata hominum propagant, illae hodie peculiarem locum occupant, ut diximus, quae cum auribus unaque simul cum oculis, per voces nempe imaginesque, omne genus nuntios quam latissime communicant.

Hic imagines vocesque propagandi modus, ad res etiam spirituales quod spectat, aptissimus est naturae hominum, secundum Aquinatis sententiam: « Est autem naturale homini, ut per sensibilia ad intelligibilia veniat; quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet »[24]. Quin immo videndi facultas, cum nobilior et dignior sit ceteris sensibus[25], facilius ad spiritualium rerum cognitionem conducit.

Quamobrem praecipuae tres technicae artes, quibus auribus voces, oculis autem rerum imagi-

---

[24] S. Thom., *Summa Theol.*, I, q. 1, a. 9.
[25] Cfr. *Ibid.* I, q. 67, a. 1.

nes ex longinquo proponuntur, hoc est cinematographica, radiophonica ac televisifica ars, non ad homines tantummodo recreandos relaxandosque pertinent, quamvis non pauci hoc solum requirant auditores spectatoresque, sed ad ea potissimum propaganda, quae cum ad animi culturam, ad virtutemque alendam attineant, non parum possunt ad civilem nostrorum temporum societatem recte instituendam conformandamque conferre.

Faciliore modo, quam scripta typis edita, id profecto hae technicae artes efficere possunt, ut homines nempe inter se communicent sibique sociam praestent operam; quod quidem cum ad civilem omnium gentium cultum fovendum per se spectet, Catholica Ecclesia, quae ex sibi credito mandato universam hominum consortionem amplectitur, ad veri nominis propaganda provehendaque bona convertere percupit.

Atqui eo primum spectent oportet cinematographicae, radiophonicae, televisificae artes: ut scilicet veritati virtutique inserviant.

Veritati autem propagandae ea ratione inserviant, ut vincula inter populos artiora cotidie fiant; ut iidem mutua rerum aestimatione se intellegant; ut in quovis rerum discrimine se adiuvent; ut denique inter publicae rei moderatores singulosque cives adiutrix intercedat opera.

Veritati inservire non modo postulat, ut omnes ab errore, a mendacio, a fraude omnino abstineant, sed ut etiam ea omnia devitent, quae vel falsam, vel mancam, vel alicui parti obnoxiam fovere possunt vivendi agendique rationem.

Imprimis autem veritates, Deo revelante traditae, ut res sacrae inviolabilesque habeantur. Quin immo, cur ad hoc potissimum non contendant hae nobiles artes, ut nempe Dei eiusque Filii Iesu Christi doctrinam propagent, « christianamque fidem illam mentibus inculcent, quae una potest hominum multitudinibus supernam praebere vim, qua adiutae sereno animo virtuteque consentanea queant superare discrimina, angores vero tolerare praesentis huius aetatis nostrae »? [26]

Ac praeterea non modo veritati inserviant hae novae artes oportet, sed morali etiam humanae vitae perfectioni. Quod quidem tribus hisce modis, de quibus scripturi sumus, conferre enitantur: hoc est datis nuntiis, impertitis praeceptis, praebitisque spectaculis.

Cuiusvis rei notitia, etiamsi nihil aliud nisi veritatem reapse referat, aliquam tamen rationem in se habet, quae ad hominum pertinet aliquo modo conformandos mores. « Quae ratio, ad humanos mores attinens, numquam est neglegenda; nam quivis nuntius mentis iudicium provocat ac voluntatem movet. Nuntiator, qui suo munere fungatur digne, neminem suis dictis opprimat, sed conetur potius relatas iacturas, vel perpetrata crimina aptiore quo potest modo intellegere et explicare; quod tamen eadem excusare vel probare minime significat, sed innuere remedia ac praestare leni-

---

[26] Sermo ad sodales Radiophonicae Societatis Italiae, d. 3 Decembris, a. 1944 habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. VI, pag. 209.

menta, atque adeo ad animorum restituendam probitatem aliquid conferre »[27].

Quae supra scripsimus, maiorem procul dubio vim habent, cum de praeceptis impertiendis agitur; quam quidem causam didascalicae taeniolae cinematographicae, radiophonicae auditiones, ac televisifica spectacula magnopere adiuvant ac provehunt, non modo ad eos quod attinet, qui adhuc iuventute florent, sed ad eos etiam, qui ad virilem iam aetatem pervenerunt. Verumtamen cavendum omnino est, ne haec impertita praecepta Ecclesiae doctrinae ac sacrosanctis eius iuribus obstent, vel recto educandae proli muneri in domestico convictu officiant atque adversentur.

Parique modo fore sperandum est, ut novae hae propagationis artes, sive a privatis exercentur civibus, sive e nutu pendent publicae rei moderatorum, varias ne impertiant doctrinas reticito Dei nomine eiusque divina lege ignorata.

Attamen, pro dolor, non ignoramus in quibusdam Nationibus, in quibus communismi athei commenta dominantur, hae technicae artes, quae aures oculosque ex longinquo attingunt, in scholis etiam eo spectare, ut religionem sanctam ex animis radicitus evellant. Quod quidem qui serena mente atque a praeiudicatis opinionibus libera consideret, facere non potest quin videat adulescentium iuvenumque conscientiam, divina veritate orbatam, novo tectoque modo opprimi, cum veritatem illam divinitus patefactam ii cognoscere ne-

---

[27] Sermo ad Nationum Societatis Consilium publicis ordinandis nuntiis, d. 24 Aprilis, a. 1956 habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. XVIII, pag. 137.

queant, quae, ut Redemptor noster asseverat, nos liberat [28]; atque adeo hac callida ratione novam haberi adversus religionem insectationem.

Nos autem vehementer cupimus, Venerabiles Fratres, ut haec technica instrumenta, quibus e longinquo aures oculique facilitate summa suavique delectatione attinguntur, in id potissimum adhibeantur, ut pleniore animi cultura, ut cognitionibus ad sua cuiusque obeunda munera necessariis, « utque potissimum christianis principiis homines conformentur; quibus principiis neglectis, nulla, ne in rebus quidem humanis, veri nominis progressio haberi potest » [29]. Optamus igitur eos omnes praeceptores educatoresque debitis honestare laudibus, qui sive cinematographicis imaginibus, sive radiophonicis auditionibus, sive televisificis spectaculis ad nobilissimam eusmodi contendunt metam.

Animadvertendum praeterea est, praeterquam editis nuntiis et impertitis praeceptis, spectaculis etiam haud parum posse has novas artes ad verum hominum conferre bonum.

Id genus enim spectacula plerumque aliquid habent, quod non solum ad delectandos homines et ad eis praebendas rerum notitias pertinet, sed ad animos etiam instituendos. Iure igitur meritoque a Decessore Nostro fel. rec. Pio XI cinematographica theatra « veluti rerum scholae » [30] ap-

---

28 Cfr. Ioan., VIII, 32.

29 Cfr. Nuntius radiophonicus ad christifideles Columbianae Reipublicae, d. 11 Aprilis, a. 1953 habitus, cum Statio Radiophonica Sutacentiae inaugurabatur: *A. A. S.*, vol. XLV, 1953, pag. 294.

30 Ep. Enc. *Vigilanti cura*, d. 29 Iunii, a. 1936: *A. A. S.*, vol. XXVIII, 1936, pag. 255.

pellata sunt; scholae enim idcirco dici possunt, quod id genus spectationibus scaenica actio adiungitur, in qua vividae illae species, quae versatilis lucis motu effinguntur, cum congruentibus vocibus musicisque concentibus non sine magna fascinatione ita copulantur, ut non modo intellegentiam ceterasque facultates, sed totum etiam hominem attingant, eumque sibi quadam ratione coniungant, ac secum quasi rapiant ad effictam rem participandam.

Cinematographicae, radiophonicae ac televisificae artes, quamquam varia spectationum genera, iam diu in usum inducta, quodam modo amplectuntur, novum tamen unaquaeque artificium exprimit, atque adeo novum spectaculi genus, quod non paucis destinatur selectisque spectatoribus, sed hominum multitudinibus, qui aetate, vitae ordine animique cultura inter se differunt.

Ut autem, hisce in rerum condicionibus, eiusmodi spectacula id, ad quod pertinere debent, assequi queant, necesse est, ut spectatorum mentes animique tam recte instituantur atque educentur, ut non modo propriam unicuique arti formam intellegant, sed ut recta potissimum conscientia hac in re ducantur; ita ut varia elementa, quae cinematographicum vel televisificum album conspicienda proponit, vel quae ex megaphonio eduntur, mature considerare et iudicare queant, non autem, ut saepenumero contingit, eorum vi fascinationeque alliciantur et incomposite rapiantur.

Si haec animorum institutio et conformatio desit, quae christianae doctrinae lumine collustretur, tum nec honesta oblectamenta, quae « iis om-

nibus, quotquot negotiis vitaeque sollicitudinibus detineantur, necessaria prorsus esse nemo est qui non videat »[31], neque mentis culturae profectus in tuto posita esse possunt.

Sanae huius spectatorum educationis necessitatem catholici laudabili consilio perpenderunt postremis praesertim hisce annis; ac non pauca sunt instituta atque incepta, quae eo contendunt, ut iuvenes et adulti satius aptiusque velint horum spectaculorum utilitatem et pericula perspicere attenteque considerare. Hoc tamen causam numquam praebeat spectacula frequentandi, quae rectis officiant moribus; quin immo ad ea tantum indicanda ac deligenda conducere debet, quae cum Ecclesiae praeceptis congruant ad religionis morumque normas quod spectat, et quae praescriptis obtemperent ab Ecclesiasticis hac de re Officiis impertitis.

Haec incepta, si, ut omnino confidimus, didascalicis principiis rectisque animi culturae normis conformantur, Nos non modo probamus, sed commendamus etiam; atque adeo cupimus, ut inducantur in cuiusvis ordinis scholas, in Actionis Catholicae sodalitates et in paroeciales coetus.

Recta eiusmodi spectatorum institutio atque educatio ex una parte id efficiet, ut pericula minuantur, quibus mores pessumdari queant; ex altera vero ut christiani possint, per novas, quas adipiscentur cognitiones, animum ad supernas veritates meditandas erigere.

Peculiari autem modo exoptamus eos divini

---

31 Ep. Enc. *Vigilanti cura*: *ibid.* pag. 254.

verbi praecones hac etiam de causa dilaudare, qui, cum sint conscii se officio teneri morum integritatem servandi incolumen eorum populorum, quos suis laboribus excolunt et ad viam veritatis traducunt, cinematographicis etiam, radiophonicis et televisificis artibus recto modo in hanc causam utuntur; atque adeo quas utilitates, quae inventa, reapse salutifera, nostra induxerit aetas, cum iisdem communicant. Cupimus igitur, ut eorum operae eorumque conatibus ii praesertim obsecundent, qui vel in Ecclesia vel in civili societate auctoritate pollent.

Animadvertendum tamen est hac in moderanda causa rectam, de qua locuti sumus, spectatorum institutionem educationemque non omnino sufficere. Necesse enim est, ut singula spectacula ad peculiarem cuiusvis aetatis ratiocinandi gradum, sentiendi vim, animi fascinationem, morumque condicionem apta atque accommodata sint.

Id quidem idcirco summam suscipit gravitatem, quod, cum radiophonicae auditiones ac televisifica praesertim spectacula intra ipsos domesticos parietes facillime habeantur, repagula subvertere minantur, quibus sana prolis educatio in tuto poni necesse est, usque dum adulescens aetas necessariam virtutem adipiscatur, qua victrix possit saeculi tempestates superare. Quam ad rem, tribus abhinc annis, haec Italiae Episcopis scribebamus: « Cum non horreamus, si intento recogitemus animo, per televisificas spectationes etiam in domestico convictu omnes posse venenatum illum aërem imbibere, qui " materialismi " placita sapit, qui fatuitatem et omne genus voluptates

cupidinesque eodem modo spirat, quo in cinematographicis auditoriis saepe saepius contingit? »[32].

Haud ea ignoramus incepta, quae non modo ii, qui publica fruuntur auctoritate, sed privati etiam coetus provexerunt, quorum est iuventutis educationi dare operam; incepta dicimus, ac proposita, quibus eo contenditur, ut adulescentes a spectaculis pro facultate abstrahantur, quae eorum aetati consentanea non sint, et quae saepius non sine gravi discrimine frequentantur. Quidquid laudabili hac de causa agitur, Nos valde probamus; animadvertatur tamen oportet magis quam physiologicas et psychologicas perturbationes, quae inde evenire queant, pericula praecavenda esse, quae ad iuvenum mores attineant; pericula, quae nisi opportuno tempore praevertantur ac prohibeantur, ad ipsius humanae societatis detrimentum et ruinam multum conferre possunt.

Iuvenes Nobis carissimos hac de causa paterno adhortamur animo, fore confisi, ut, cum de spectaculis agitur, in quibus eorum innocentia periclitari possit, eorum temperantia prudentiaque christiana eniteant. Grave eis officium est innatum illud effrenumque quidquid videndi audiendique studium compescere ac moderari; ac liberum animum ab immodicis terrenisque voluptatibus servare, et ad superna dirigere.

Ecclesia, cum probe noscat ex novis hisce artibus, quae directo oculos auresque attingunt, plurima bona plurimaque mala ac pericula, prouti

---

32 Cfr. Adhortatio de televisione, d. 1 Ianuarii, a. 1954: *A. A. S.*, vol. XLIV, a. 1954, pag. 21.

iisdem utantur homines, oriri posse, suo munere hac etiam in re perfungi cupit; quod per se non ad variam animi culturam pertinet, sed ad religionem potissimum et ad mores regendos moderandosque [33].

Quo aptius et facilius huic obeundo muneri prospiceretur, Decessor Noster imm. mem. Pius XI asseveravit atque edixit « prorsus necessarium esse Episcopos stabile pro tota Natione inspectionis Officium constituere, cuius [esset] honestas imaginum series promovere, ceteras autem indicato more generatim distribuere, ac denique editum ab se iudicium sacerdotibus et christifidelibus significare » [34]; ac praeterea catholicorum omnia incepta de re cinematographica ad probum finem dirigi necesse esse.

In nonnullis autem Nationibus Episcopi, has normas prae oculis habentes, huius generis Officia constituerunt non modo ad rem cinematographicam quod attinet, sed ad radiophonicam etiam ac televisificam.

Iamvero Nos mature considerantes spirituales utilitates, quae ex hisce technicis artibus oriri possunt, itemque necessitatem christianorum morum integritatem tutandi, quam id genus spectationes facile in discrimen adducere possunt, cupimus, ut in singulis Nationibus, si eiusmodi Officia nondum

---

[33] Cfr. Sermo ad moderatores, docentes, et cultores Consociationis ex omnibus Nationibus Institutorum Archaeologiae, Historiae, et Artis Historiae, d. 9 Martii, a. 1956, habitus: *A. A. S.*, vol. XLVIII, 1956, pag. 212.

[34] Ep. Enc. *Vigilanti cura*, d. 29 Iunii, a. 1936: *A. A. S.*, vol. XLVIII, 1936, pag. 261.

habeantur, nulla interposita mora constituantur quam primum; eademque viris, harum artium usu peritis, concredantur, quos aliquis sacerdos moderetur ab Episcopis delectus.

Vos hortamur praeterea, Venerabiles Fratres, ut in singulis Nationibus haec virorum Officia, sive ad rem cinematographicam, sive ad radiophonicam, sive denique ad televisificam pertinent, vel ab uno eodemque Consilio pendeant, vel saltem adiutricem invicem operam praestent; itemque hortamur, ut christifideles, ii praesertim, qui in Actionis Catholicae agminibus militant, debito modo edoceantur, ita ut necessitatem percipiant communem efficacemque operam hisce Officiis praestandi libenter.

Et quandoquidem quaestiones hac de re non paucae haud facile queunt in singulis Nationibus enodari ac solvi, perutile profecto erit, si haec singula Officia ad magnas illas ex omnibus Nationibus Consociationes pertinebunt, quas Apostolica haec Sedes, re mature considerata, iam probavit.

Haud dubitamus autem vos, Venerabiles Fratres, ex iis, quae ad obtemperandum hisce normis, non sine labore et incommodo, feceritis, uberes proditurosque esse salutaresque fructus; quod tamen facilius aptiusque eveniet, si peculiaria praescripta, quae de re cinematographica separatim ac de re radiophonica et televisifica per Encyclicas has Litteras edituri sumus, ad effectum diligenter deducantur.

II

Cinematographeum, quod sexaginta circiter abhinc annis in usum invectum est, hodie maximis est instrumentis annumerandum, quibus cogitata et inventa nostrorum temporum propagari queunt.

De variis eius processibus deque eius fascinatoria vi, occasione data, iam verba fecimus [35]. Ex hoc eius incremento, ad pellicularum series praesertim quod spectat, quae peculiarem narrationem imaginibus et vocibus expressam vivido quodam modo repraesentant, magna succrevit et negotiosa ars, cui sociam operam praestant non modo artifices, opifices et technici, sed coetus etiam de re oeconomica; quandoquidem singuli cives haud facile possunt tam gravem atque implexam operam exsequi. Quamobrem, ut cinematographeum nobile exsistat instrumentum, quo homines salutariter educentur, ad excelsa erigantur, ac meliores revera fiant [36], omnino necesse est, ut ii singuli universi, de quibus supra diximus, recta animati conscientia voluntateque adiutricem sibi invicem navitatem praestent, qua probandae taeniolarum cinematographei series effingantur ac propagentur.

---

[35] Cfr. Sermo ad cinematographicae artis cultores ex Italia Romae congregatos, d. 21 Iunii, a. 1955: *A. A. S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 501-502.

[36] Cfr. Sermo ad cinematographicae artis cultores, d. 28 Octobris, a. 1955, Romae congregatos: *A. A. S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 817.

Iis omnibus, qui ad cinematographica specula vigilem mentem animumque convertunt, iam huius causae gravitatem non semel patefecimus, eos adhortantes ad earum praesertim imaginum series procurandas, quae ad tam nobilem pulchritudinis speciem pertineant, ut quodam modo sanae educationis munus obire queant [37].

Diligenti vobis curae sit, Venerabiles Fratres, ut per peculiaria Nationis vestrae Officia, quae auctoritate vestra moderanda sunt, et de quibus supra scripsimus, variis civium ordinibus, quorum res interest, nuntii, res spectandae, cōnsilia et normae impertiantur, quibus, pro variis temporum locorumque adiunctis, nobilissima haec causa, quae tantopere animorum bono consulere potest, pro facultate provehatur.

Ob hanc rem « peculiaria ordine conficiantur typisque edantur rationaria seu elenchi, in quibus quam saepissime cinematographicae pelliculae distribute ... ita proponantur ut omnium in notitiam venire possint » [38]; idque fiat a proborum virorum Consilio, quod a memorato Nationis cuiusque vestrae Officio pendeat; qui profecto viri doctrina ac rerum prudentia eniteant, cum de singulis cinematographicis taeniolis iudicium ferre debeant, ad christianorum morum normas quod attinet.

Huius Consilii sodales, cum rem tanti momenti tractare ac decernere debeant, quae cum christiana vivendi ratione tam arte coniungitur;

---

37 Cfr. Sermones d. 21 Iunii et 28 Octobris, a. 1955 habiti: *ibid.*, pag. 502-505 et 816 sq.

38 Ep. Enc. *Vigilanti cura*, d. 29 Iunii, a. 1936: *A. A. S.*, vol. XXVIII, 1936, pag. 260-261.

cumque probe noscant oporteat peculiarem eam vim, quae ex cinematographicis spectaculis exseritur, variam quidem pro variis spectatorum condicionibus, etiam atque etiam adhortamur, ut opportuno harum disciplinarum studio ac precationi sanctae diu multumque vacent.

Quotiescumque ii debent cinematographicae rei seriem, ad rectos mores quod spectat, iudicare, normas intento animo secum recogitent, iam pluries a Nobis, ocasione data, impertitas; cum praesertim verba fecimus de cinematographeo ad excelsam pulchritudinis educationisque speciem evecto, de argumentis, quae ad religionem attinet, itemque de malorum facinorum repraesentatione, quae numquam neglegat, numquam offendat oportet hominis dignitatem, domestici convictus verecundiam vitae sanctitatem, Iesu Christi Ecclesiam, ac civilem humanamque consortionem.

Meminerint praeterea munus ipsis concreditum singulas cinematographicas imaginum series quoad mores iudicandi ad id potissimum spectare, ut hominum mentes publice, ut oportet, illuminentur; ita omnes inducantur ad normas et principia illa de re morali magni habenda, sine quibus recta animorum cultura verique nominis civilis cultus ne intellegi quidem potest. Quamobrem improbanda sine dubio eorum agendi ratio est, qui, nimis indulgentes, eas pellicularum series admittunt, quae, quamvis technica arte praestent, rectos tamen offendunt mores; vel, quamvis legibus moralibus specie saltem obtemperare videantur, aliquid tamen habent, quod catholicae Fidei adversatur.

Si autem clare aperteque significaverint, quas

omnes, quas iuvenes, quas adulti imaginum series visere possint; quae vero in morum discrimen spectantes inducere queant; et quae denique omnino pravae ac detrimentosae sint, tum singuli facile poterunt iis tantum spectaculis interesse, ex quibus eorum animi « laetiores, liberiores melioresque exibunt » [39]; eaque vitare, quae eis damno esse possint, eo profecto graviori, quod pravarum rerum negotiatoribus emolumento, ceteris autem malo exemplo erunt.

Opportunas animadversiones iterantes, quas Decessor Noster fel. rec. Pius XI per Encyclicam Epistulam [40] edidit, cui a verbis *Vigilanti cura* initium est, optamus vehementer, ut christifideles, quotiescumque fieri potest, non modo hac de causa diligenter moneantur, sed gravi etiam obtemperent officio sese certiores faciendi de sententiis in re cinematographica ab Ecclesiastica Auctoritate latis, eisdemque fideliter obsequendi. In hanc rem Episcopi, si opportunum duxerint, peculiarem per annum diem festum praestituere poterunt, quo christifideles de peculiaribus ipsorum officiis, ad spectacula, praesertim cinematographica, quod attinet, sedulo edoceantur, et ad adhibendas Deo supplices preces hac de causa moneantur.

Ut autem omnes facile queant has sententias noscere, iisdemque obtemperare, necesse est, ut

---

39 Cfr. Sermo ad cultores cinematographicae artis ex Italia Romae congregatos, d. 21 Iunii, a. 1955: *A. A. S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 512.

40 Ep. Enc. *Vigilanti cura*, d. 20 Decembris, a. 1935: *A. A. S.*, vol. XXVIII, 1936, pag. 260.

hae normae breviter explicatae opportuno edantur tempore, et quam latissime propagentur.

Quam ad rem multum possunt catholici ludorum cinematographicorum critici, qui rationem moralem in sua debent luce collocare, talia iudicia propugnantes, quibus praecaveatur, ne ad « relativismum moralem », quem dicunt, descendatur aut legitimus turbetur ordo, quo minora subduntur maioribus.

Perverse igitur agunt diariorum et commentariorum, quae catholica appellantur, scriptores, si, de spectaculis huiusmodi tractantes, lectores non edocent, quid de iis quoad mores sit sentiendum.

Officii autem conscientia non solum spectatores tenentur, qui, quotiescumque aditus tesseram emunt, quasi suffragia ferentes, toties cinematographeum honestum aut inhonestum eligunt, sed etiam, idque magis, qui auditoria cinematographica exercent atque pelliculas distribuunt.

Haud ignoramus quantis difficultatibus eorum, qui cinematographea exercent, opera hac aetate obstruatur plures ob causas atque etiam eo quod res televisifica tot aucta est incrementis. Tamen difficilibus hisce in rerum adiunctis meminerint illi oportet conscientia se vetari ludos edere cinematographicos, qui Fidei bonisque moribus adversentur, vel contractus inire, quibus spectacula huiusmodi cogantur praebere. Quoniam vero multis in regionibus iidem sese obligaverunt, ne ullo pacto cinematographicas imaginum series proponerent, quae perniciosae essent vel malae, fore confidimus, ut tam egregium inceptum in omnes

orbis terrarum partes pervadat neu ullus vir catholicus cinematographeum exercens dubitet tam frugifera tamque salutaria sequi consilia.

Id etiam vehementer moneamus oportet, ne locus detur nuntiis laudativis mercatoriis, quae insidias parent vel turpia sint, licet praeconia huiusmodi, ut interdum evenit, ad honestas taeniolas cinematographicas pertineant. « Quis dicere possit, quanta detrimenta imagines huiusmodi animis, praesertim iuvenilibus, afferant, quot cogitationes impuras ac pravas excitent voluptates, quantum conferant ad corrumpendos populi mores, non sine discrimine prosperi status ipsius rei publicae? » [41].

In auditoriis ergo cinematographicis, Ecclesiae auctoritati obnoxiis, quandoquidem fidelibus ac maxime iuventuti spectacula praebenda sunt rectae institutioni apta atque locorum condicionibus honesta, liquet non nisi eos ludos edi licere, qui, ad mores quod attinet, nullo modo possint improbari.

Sacrorum Antistites, huiusmodi auditoriis, etiam religiosorum exemptorum, ad quae vulgo patet aditus, sedulo invigilantes, viros ecclesiasticos, in quos rei onus recidit, admoneant, ut fideliter accurateque normas de his propositas servent neve suae utilitatis nimis sint studiosi, si velint ministerii huius partes implere, quod Apostolicae Sedi maximae curae est. Magnopere etiam suademus, ut, qui auditoriis hisce catholicis sunt prae-

41 Cfr. Pii XII sermo ad Urbis Parochos sacrosque per Quadragesimae tempus Oratores die 5 Martii 1957 habitus: *A. A. S.*, vol. XXXXIX, 1957, pag. 208.

fecti, in collegia coeant — quemadmodum nonnullis in regionibus non sine assensu et probatione Nostra factum est — quo efficacius, praecepta et invitamenta Officiorum singulis in Nationibus constitutorum ad usum deducentes, communia commoda rationesque tueantur.

Adhortationes vero, quas auditoria cinematographica exercentibus adhibuimus, ad distributores quoque volumus pertinere, qui, cum in pelliculas ipsas conficiendas suis sumptibus interdum operam conferant, maiorem sane habent copiam, atque adeo graviore obstringuntur officio, honesta cinematographica spectacula promovendi. Distributio enim nullo modo technica quaedam muneris functio, uti dicunt, existimari debet, cum taeniolae cinematographicae — ut saepius iam monuimus — non solum merces aestimandae sint, sed etiam, idque potius, ingenii alimentum habendae et quasi palaestra animorum morumque vulgi. Itaque distributores locatoresque eodem modo merita et onera participant, prout a cinematographicis ludis bonum aliquid proficiscitur aut malum.

Cum igitur agatur de re cinematographica melioribus conformanda rationibus, non modicum est conscientiae officium, quo actores scaenici obligantur; qui quidem, memores dignitatis suae ut homines et artis periti, noverint sibi non licere operam suam ad spectaculorum partes commodare vel eam sociare ad imaginum series exprimendas, quae bonis moribus adversantur. Actor vero quivis, ingenio et artificio nominis famam adeptus, ea, qua floret, laude ita uti debet, ut vulgi animos ad ea erigat, quae egregia sint et praeclara; memi-

neritque suum esse imprimis in vita privata ceteris virtute in exemplum praelucere. Haec enim, artis peritos olim allocuti, asseveravimus: « Neminem fugit coram spectatorum multitudine, in vos intenta, anhelante, plaudente, fremente, animos vestros vehementibus concitari atque gaudio et excelsitate quadam perfundi » [42].

Quodsi haec iure meritoque aliquem sentire dici queat, tamen non efficitur, ut scaenicis christianis eas liceat a consessu accipere animi declarationes, quae cuiusdam quasi idololatriae similes sint, cum hic quoque obtineat, quod ait Servator: « Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est » [43].

Maximum vero officii onus — quamquam ratione diversa — in pellicularum auctores atque scaenici apparatus artifices recidit. Tanti oneris conscientia egregiis eorum inceptis non obest, sed potius animos debet confirmare eorum, qui, bona praediti voluntate, pecuniis pollent aut ingenii dotibus ad huiusmodi imaginum series efficiendas aptis.

Saepe etiam accidit, ut taeniolarum cinematographicarum auctores et scaenici apparatus artifices propter artis rationes et necessitates ac simul religionis morumque praecepta difficultate non levi afficiantur; tunc, antequam imaginum series exprimitur vel dum efficitur, legitimum expetendum est iudicium sapiensque ineundum consilium,

---

[42] Cfr. Sermo de arte scaenica die 26 Augusti 1945 habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. VII, pag. 157.

[43] MATTH. V, 16.

ut bono spirituali spectatorum atque ipsius operis perfectioni provideatur. Hi ergo consulere non dubitent Officium Catholicum rei cinematographicae praepositum, ad quod pertinet quodque libenter iis aderit, etiam negotii huius curam, si oportuerit, viro ecclesiastico huius rei perito, cautione adhibita, delegando.

Neque fiet, ut propter fiduciam, quam in Ecclesia collocarunt, auctoritas et gratia eorum imminuantur; « Fides enim, omne in aevum, praesidium erit humanae personae »[44], atque in ipsis operibus artificiosis exigendis humana persona luce doctrinae christianae rectaque morum ratione locupletatur et perficitur.

Tamen viris ecclesiasticis fas non est operam adiutricem auctoribus imaginum cinematographicarum praebere sine peculiari Moderatorum suorum mandato, cum, ut perspicuum est, ad bene suadendum hac in re necessaria sit artis praestantia eximia et non vulgaris institutio, quarum iudicium singulorum arbitrio permitti non potest.

Catholicos ergo taeniolarum cinematographicarum auctores et scaenici apparatus artifices paterno monemus animo, ne imaginum series fieri sinant, quae Fidei moribusque christianis repugnent; si autem, quod Deus avertat, hoc evenerit, Episcoporum est eos admonere et, si opus fuerit, opportunis plectere sanctionibus.

Persuasum autem est Nobis, ut res cinematographica ad optimam atque perfectam formam

---

[44] Cfr. Epist. Pii XII ad christifideles Germaniae, ob conventum « Katholikentag » appellatum, Berolinum congregatos die 10 Augusti, a. 1952: *A. A. S.*, vol. XLIV, 1952, pag. 725. .

educatur, nihil esse efficacius quam conformationem ad christianae legis praecepta eorum, qui in efficiendis hisce pelliculis operam collocant.

Quarum effectores, si ad fontes, unde superna munera permanant, accedant, si doctrinam perdiscant Evangelicam, si cognoverint, quae Ecclesia de veritate vitae, de beatitudine et virtute, de dolore et peccato, de corpore et anima, de re sociali et studiis hominum tradit praecepta, novas deprehendent praeclarasque rationes, quas ineant, et ad opera egregia et perennia condenda novo quodam instinctu excitari se sentient.

Oportet ergo promoveantur augeanturque ea incepta et exercitationes, quibus illorum animi vita alatur et incrementis confirmetur; plurimum vero hac in re christianae institutioni iuvenum tribuendum est, qui ad artem cinematographicam profitendam se componunt.

Peculiaribus hisce de re cinematographica praeceptionibus finem imponentes, publicae rei Moderatores cohortamur, ne ullo pacto opem praebeant ad efficiendas aut in vulgus edendas pelliculas cinematographicas deteriores, sed ut opportunis propositis normis ad ludos cinematographicos honestos et probabiles apparandos, praesertim qui iuventuti destinantur, auxiliatores exsistant. Quoniam tot tantique pro populi educatione sustinentur sumptus, eo etiam mentem intendant, ut tanti momenti negotium, quod in ipsa quoque institutione versatur, recta expediatur ratione.

Cum vero quibusdam in regionibus atque etiam in exhibitionibus, ad omnes pertinentibus Nationes, praemiis, ad hoc ipsum propositis, eae

non immerito afficiantur pelliculae, quae eo commendantur, quod ad institutionem valent animique vitam, fore confidimus, ut boni cordatique homines omnes, monitis Nostris obsecuti, allaborent, ne taeniolis cinematographicis, laude dignis, communis plausus et probatio, quasi praemium, desint.

III

Nec minus diligenter exponere volumus Vobis, Venerabiles Fratres, qua urgeamur sollicitudine circa aliud instrumentum ad nuntios dimittendos aptum et eadem, qua cinematographeum, invectum aetate, radiophonium dicimus.

Quamquam tot tantisque subsidiis scaenicis et percommodis locorum rerumque adiunctis, quibus cinematographeum fruitur, non est praeditum, radiophonium tamen alias habet utilitates, quarum non omnes adhuc quaesitae sunt.

« Illius enim — quemadmodum societatis cuiusdam radiophonicae sodalibus et administris diximus — haec est condicio, ut a locorum temporisque adiunctis quasi dissociatum sit et immune, quae cetera praepediunt et retardant instrumenta, quibus homines inter se communicant. Volucri enim quasi cursu multo ociore quam undae sonorae motu, citissimum ut lucis fluxus fines omnes momento temporis transgrediens, nuntios perfert, qui ei crediti sunt » [45].

---

[45] Cfr. Sermo d. 3 Decembris, a. 1944 habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. VI, pag. 209.

Novis inventis ad perfectionem paene absolutionemque perductum, radiophonium artibus technicis eximias affert utilitates, cum etiam machinae eiusmodi radiante vi ad praestituta loca sine gubernatore dirigantur. Nos autem non immerito arbitramur praeclarissimum munus, quo radiophonium spectare debeat, hoc esse: mentes hominum illuminare et erudire, eorumque ingenia et animos ad superna et incorporalia magis magisque erigere.

Intima autem animi humani studia eo pertinent, ut quis. licet domesticis contineatur parietibus, alios audiat homines, eventus cognoscat, qui procul fiunt, et socialis vitae rationem et ingenii cultum participet.

Nihil mirum igitur, si permultae domus celerrime fuerint undisonis scriniis instructae, quibus efficitur, ut inde quasi quaedam arcana fenestella pateat in orbem terrarum, qua diu noctuque actuosa hominum diversi cultus ingenii, diversi sermonis et generis attingatur; hoc fit per innumerabiles radiophonicas transmissiones certa ratione propositas, quibus comprehenduntur novi eventus, colloquia, sermones, res ad cognoscendum utiles et iucundae, artificia, cantus, modi musici.

Ut enim non ita pridem sumus elocuti, « quanto beneficio fruuntur, quantoque officii onere devinciuntur homines, qui nunc sunt, et quam mutata sunt tempora antiqua, quibus disciplina veritatis, praeceptum fraterni amoris, sempiternae beatitatis promissa ad homines lente perveniebant per Apostolos, asperas semitas, ut aetate illa vetusta, terentes, cum nostris diebus nuntius divinus eodem

momento ad decies ac pluries centena milia hominum perferri possit »[46].

Expedit ergo christifideles hoc beneficio, aetate nostra inducto, uti, atque muneribus, ad doctrinam, ad animi relaxationem, ad artem ipsumque verbum divinum spectantibus, quae ipsis per radiophonicas undas obveniunt, quasi locupletari, cum ita scientiam queant incrementis augere ac veluti animi fines propagare.

Neminem ergo latet, quantum ad recte instituendos homines possint honestae vocum sonorumque radiophonicae transmissiones; tamen ex usu instrumenti huiusce onus oritur conscientiae, quemadmodum in artibus technicis ceteris, cum ad patrandum bonum aut malum possit adhiberi. Ad radiophonicam igitur artem trasferri queunt haec, quae in divinis litteris scripta sunt, verba: « In ipsa benedicimus Deum et Patrem: et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio »[47].

Quivis undisonam auscultans capsellam praecipuo tenetur officio radiophonicas transmissiones certa ratione propositas diligenter accurateque seligendi; hae enim non sinantur tumultuarie in domos pervadere sed, quemadmodum amicus conscie prudenterque vocatur, ita iis eodem concedatur aditus. Nequiter autem agat, qui amicorum, ad la-

---

[46] Cfr. Nuntius radiophonicus ad eos, qui interfuerunt tertio generali conventui de communicationibus inter cives et nationes, sexagesimo volvente anno a radiotelegraphia inventa, Genuae habito: *A. A. S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 736.

[47] Iac. III, 9-10.

rem suum inducendorum, non habeat delectum. Itaque radiophonicae, quae eo admittantur, vocum sonorumque transmissiones huiusmodi sint oportet, ut veritatem et bonum suadeant, ut familiae sodales non avertant a conscientiae officiis implendis, sive haec ad singulos spectent sive ad hominum societatem, sed ut eos confirment ad eadem rite exsequenda ac, si de adulescentibus agatur puerisque, nullum afferant detrimentum, quin etiam salubrem parentum et magistrorum disciplinam adiuvent et producant.

Officia Catholica rei radiophonicae singulis in Nationibus praeposita studeant, catholicis diariis et commentariis ut subsidiis usa, christifideles de huiusmodi transmissionum natura et ratione antea certiores facere. Haec vero monita ante danda non omnibus in locis fieri poterunt ac saepe non nisi quoddam erunt indicium, quod nonnullae huiusmodi radiophonicae acroases ante haud facile cognosci possunt.

Pastores gregum christifideles moneant divina lege vetari radiophonicas vocum sonorumque audiri transmissiones, quae Fidei aut moribus sint perniciosae, eosque, quibus iuventutis cura commissa est, cohortentur, ut invigilent eisque religionem iniciant quoad usum instrumenti radiophonici domi collocati.

Episcoporum praeterea est christifideles appellare, ut ab iis caveant stationibus radiophonicis, quas constet doctrinae capita christianae Fidei contraria propugnare.

Alterum officium, quo radiophonii auditores obligantur, eo pertinet, ut iis, qui pro munere

huiusmodi transmissionibus praesunt, optata sua iustasque reprehensiones significent. Quae obligatio ex ipsa natura rei radiophonicae manifesto profiscitur, quae huiusmodi est, ut facile ratio quaedam singularis, non mutua, exsistat, scilicet ea, qua non nisi transmittens attingat audientem.

Cum, qui nostra aetate invaluerunt, modi vulgi opinionem explorandi, adeo ut cognoscatur, quantum studii apud audientes singulae radiophonicae transmissiones accendant, sine dubio utiles sint iis, qui acroases moderantur radiophonicas, tamen contingere potest, ut populi plausus plus minus vehemens levibus ac fluxis causis sit tribuendus vel impulsionibus rectae rationi minus consentaneis, ita ut iudicium huiusmodi haberi nequeat pro certa agendi norma.

Quae cum ita sint, auditores radiophonii pro viribus operam dare debent, ut in vulgo opinio obtineat prudens, qua, debitis servatis modis, hae transmissiones, prout res postulat, probentur, confirmentur, reprehendantur, quaque fiat, ut radiophonica ars, quae pro munere in hominum institutione versatur, « servit veritati, bonis moribus, iustitiae, amori » [48].

Haec ad effectum deducere omnium est sodalitatum catholicarum, quae christifidelium commodis hac in re strenue consulere studeant. Iis autem in regionibus, ubi rerum locorumque adiuncta id suadeant, ad hoc ipsum institui poterunt societates auditorum spectatorumque, Officiis rei cinema-

[48] Cfr. Sermo Pii XII d. 3 Octobris, a. 1947 quinquagesimo expleto anno ab arte radiophonica inventa habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. XI, pag. 267.

tographicae, radiophonicae et televisificae singulis in Nationibus praepositis, obnoxiae.

Noverint denique radiophonii auditores obligatione se teneri acroases promovendi honestas, ac maxime eas, quibus animi ad Deum erigantur. Nonne christifideles, praesertim ii, qui radiophonii commoda cotidiano usu experiuntur, alacres se praebeant ad huiusmodi transmissiones provehendas, maxime hac aetate, qua per aërias undas doctrinae falsae et perversae disseminantur, qua instrumentis perturbantibus in aethere quasi quoddam « vallum ferreum », ad sonos quod attinet, effectum est, eo quidem consilio, ne veritati, quae « materialismi athei » evertat imperium, pateat aditus, hac dicimus eatate, qua pluries centena milia hominum Evangelii nuntium quasi illucescentem auroram adhuc praestolantur et aegroti aliove modo praepediti anxie exoptant, ut communitatis christianae preces et Eucharistici Sacrificii ritum aliqua ratione participent?

Haud equidem ignoramus quantum variis in regionibus impensum sit laboris et impendatur, ut acroases catholicae in radiophonicis stationibus augeantur. Multi sane exstiterunt homines ecclesiastici et laici hac in re antesignani, qui acri studio effecerunt, ut sacris transmissionibus radiophonicis is daretur locus, qui religioni convenit, quae potior est quam res humanae universae.

Interea autem, dum intento animo consideramus, quantopere radiophonica ars sacri ministerii causae prodesse queat, dumque illo urgemur Divini Redemptoris mandato: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creatu-

rae »[49], facere non possumus quin vos, Venerabiles Fratres, paterne adhortemur, ut id genus de re catholica auditiones, pro varia uniuscuiusque loci necessitate atque facultate, magis magisque promovere ac perficere studeatis.

Cum vero summa, qua par est, dignitate liturgicos ritus, catholicas veritates, res atque eventus Ecclesiae marconianae artis ope proponere, praeter debitam vigilantiam, multum profecto ingenii, multum peritiae quoque expostulet, necessarium omnino est, ut sive sacerdotes sive laici, qui ad hanc tanti momenti navitatem destinentur, recta consentaneaque ratione instituantur.

Quam ad rem sane expedit, ut apud Nationes, in quibus catholici recentioribus huius artis instrumentis utuntur eorumque diuturno usu ceteris praestant, opportuna per certum tempus de hac re habeantur studia exercitationesque, quorum ope ex aliis etiam Nationibus candidati illam valeant adipisci peritiam, quae requiritur, ut radiophonicae de re religiosa transmissiones ad optima ingenuae artis praescripta technicorumque rationes redigantur.

Ipsis Nationis Officiis curae erit intra suae cuiusque dicionis fines varia religiosarum auditionum genera promovere eaque apte inter se ordinare atque componere; eadem praeterea, quantum fieri poterit, ceterarum radiophonicarum stationum moderatoribus adiutricem praestabunt operam, sedula adhibita vigilantia, ne in eiusmodi auditiones quid irrepat honestati morum minus consentaneum.

---

[49] Marc. XVI, 15.

Quod attinet autem ad ecclesiasticos viros, etiam ex religiosorum sodalitatibus exemptis, qui suam navant operam apud radiophonicas vel televisificas stationes, Episcoporum erit opportunas impertire normas, quas exsequendi cura variis Nationis Officiis demandabitur.

Peculiari modo perplacet catholicarum radiophonicarum stationum Moderatoribus et administris hortamenta Nostra adhibere. Difficultates sane innumerae hac in re subeundae Nobis plane innotescunt; fore tamen confidimus, ut iidem hoc apostolatus opus, quod Nos tantopere pendimus, strenuo animo ac viribus inter se collatis prosequi pergant.

Ad Nos quod attinet, amplificandam perficiendamque curavimus Radiophonicam Vaticanam Stationem, optime de re catholica meritam, cuius incepta, saluberrima sane — quemadmodum Hollandiae christifidelibus amplissima largitate praestantibus asseveravimus — « flagrantissimis votis summisque totius catholici orbis necessitatibus » apprime respondent [50].

Praeterea grata prosequi voluntate percupimus universos probos radiophonicarum transmissionum auctores ac moderatores ob rectam Ecclesiae necessitatum aestimationem, quam ex iisdem plures testati sunt, sive Dei propagando verbo libenter opportuna tempora assignantes, sive necessaria artis adiumenta suppeditantes. Ii quidem hoc agendi modo mercedem profecto participant

[50] Cfr. Sermo ad Hollandiae catholicos, d. 19 Maii, a. 1950 habitus: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII*, vol. XII, pag. 75.

apostolico operi propriam, etsi per aethereas undas exercetur, prouti Christus Dominus pollicitus est: « Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet » [51].

Hisce temporibus radiophonicae acroases, artificio praecellentes, postulant, ut ad genuina artis principia conformentur; earum igitur auctores omnesque, qui iisdem parandis vel efficiendis dant operam, uberis doctrinae praesidio instructi sint oportet. Quamobrem eos etiam, ut iam cinematographicae artis cultores, enixe compellamus, ut materiae copiam, quae ex amplissimo christianae humanitatis penu sufficitur, in rem suam convertant. Denique sacrorum Antistites in publicae rei moderatorum memoriam revocent, ad eorum officium pertinere sedula, qua par est, diligentia in tuto ponere propagandas de re catholica auditiones, peculiari dierum festorum habita ratione ac spiritualium necessitatum, quibus christifideles cotidie premuntur.

IV

Reliquum est, Venerabiles Fratres, ut breviter de televisione quoque vobiscum agamus, quae quidem per Pontificatus Nostri decursum in quibusdam Nationibus mira suscepit incrementa, in aliis autem pedetemptim iam in usum inducitur.

Invalescentem huius artis consuetudinem, quae procul dubio in humani generis fastis magni

---

51 Matth. X, 41.

ponderis est eventus, studioso animo, alacri spe gravibusque affecti sollicitudinibus prosecuti sumus, atque dum ex una parte inde ab initio saluberrimam eius vim novasque obortas utilitates extulimus, ex altera vero pericula ac male utentium intemperantiam prospeximus atque indicavimus.

Televisioni plura sunt cum cinematographica arte communia, quandoquidem eius spectationes ipsam vitae actionem agitationemque oculis exhibent; haud raro enim cinematographici ludi eidem materiam praebent. Praeterea ipsam quoque indolem atque vim radiophonicae artis propriam quodammodo participat, quippe quae potius quam in theatris, intra domesticos parietes ad homines convertatur.

Supervacaneum ducimus hoc loco Nostra iterare monita, quae de cinematographicis ludis deque radiophonicis transmissionibus iam habuimus; de officiis scilicet, quibus hac in re spectatores, auditores, auctores necnon publicae rei Moderatores tenentur. Neque est, cur iterum commemoremus curam atque diligentiam necessario adhibendam, ut varia religiosarum spectationum genera rite parentur atque promoveantur.

Compertum habemus, quam sedulo studio creberrima spectatorum multitudo res catholicas per televisionem relatas conspiciat. Liquet omnino Eucharisticum Sacrificium televisionis ope participare — uti paucos ante annos, ad radiophonium quod attinet, declaravimus [52] — non idem esse ac

---

52 Cfr. Sermo ad radiophonicae artis cultores conventum ex omnibus Nationibus participantes, d. 5 Maii, a. 1950; *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII* vol. XII, pag. 55.

Divino Sacrificio coram adesse, ut diebus festis praecipitur. Uberrimi tamen fructus ex liturgicis prodeuntes ritibus per televisionem ob oculos propositis, quos quidem ad roborandam Fidem sanctitudinemque fovendam ii omnes percipere possunt, quibus alio modo participandi copia deest, Nobis plane suadent, ut spectationes huiusmodi etiam atque etiam commendemus.

In singulis Nationibus Episcoporum erit de televisificarum rei religiosae transmissionum opportunitate iudicare, easdemque constituto Officio efficiendas concredere, quod quidem, ut in rebus similibus, vigilem navabit operam ad notitias propagandas, ad auditorum animos educandos et ad omnia ordinanda et componenda, modo quidem christianis moribus consentaneo.

Televisio autem praeter id, quod cum duobus ad res evulgandas artis inventis, de quibus iam diximus, commune habet, sua quoque pollet vi suaque efficacitate. Televisificae enim artis ope efficitur, ut longinquos eventus auribus oculisque subiectos eodem puncto temporis, quo contingant, spectatores conspiciant, atque ita alliciantur, ut quasi praesentes eosdem participent; ipsa autem intima domesticae vitae consuetudine eiusmodi propinquitas valde adaugetur.

Peculiaris haec oblectandi vis, qua inter sacra familiae penetralia televisio pollet, permagni quidem facienda est, quippe quae plurimum conferat ad religiosam vitam, ad humanitatem atque ad mores eorum, ex quibus familia constat, filiorum praesertim, quos recentioris huiusce inventi fascinatio procul dubio afficiet ac tenebit. Quodsi il-

lud: « Modicum fermentum totam massam corrumpit » [53] veritati omnino respondet, atque in adulescentibus vita corporis, quodam contagionis germine infecta, impediri potest, quominus ad plenam virium maturitatem perveniat, multo magis pravum aliquod educationis elementum religiosae vitae nervos valet elidere, ac debitam morum conformationem remorari. Ceterum quis ignorat saepissime pueros extra domum morbi vim repentem vitare posse, latentem intra domum effugere non posse?

Domestici convictus sanctitatem quoquo modo in discrimen adducere nefas est; Ecclesia igitur, prout eius ius et officium postulant, omnibus viribus semper contendit, ne pravis televisificis spectationibus sacra eiusmodi limina ullo pacto violentur.

Cum televisio inter cetera hoc quoque salutiferum sane commodum pariat, ut minores ac maiores natu domi facilius remaneant, ea profecto plurimum valet ad amoris fideique vinculum intra saepta domestica roborandum, dummodo nihil proferat, quod iisdem fidei et casti amoris virtutibus minus consentiat.

Haud tamen desunt, qui sanctissima haec postulata ad rem posse deduci, saltem in praesens, omnino negent. Dictitant, enim, fidem spectatoribus datam haudquaquam sinere, ut ulla ex parte vacuum abeat tempus televisificis transmissionibus assignatum; praeterea necessitatem plura spectationum genera in promptu semper habendi

---

53 *Gal.* V, 9.

cogere, ut interdum spectacula exhibeantur initio ad publicum theatrum tantummodo destinata; televisionem denique non ad iuvenes tantum sed ad provectae etiam aetatis homines pertinere. Haud infitiamur hac in re difficultates profecto occurrere; earundem tamen solutio minime in posterum remittenda est, cum huius artis usus, non antea prudentis consilii frenis temperatus, gravissima detrimenta singulis civibus atque hominum communitati iam attulerit; quae quidem ex aequo aestimari usque adhuc difficulter possunt.

Ut autem harum difficultatum enodatio cum increbrescente rei televisificae usu in singulis Nationibus pari gressu procedat, primo loco apparandis variis spectationibus impensissima opera danda est, quae quidem ethicis, psychologicis necnon technicis televisionis rationibus respondeat.

Quamobrem catholicos viros eruditione, doctrina, optimarum artium scientia praestantes — atque imprimis clerum atque Ordinum vel Congregationum religiosos sodales — paterno animo adhortamur, ut ad hanc novam artem mentem convertant sociamque conferant navitatem suam; ita quidem, ut quae praeteritae aetates ac veri nominis progressus ad excolendum animum bona protulerint, eadem in televisionis commodum utilitatemque redundent.

Praeterea necesse est, ut, qui in effingendis televisionis taeniolis moderatorum partes agunt, non modo sarta tecta servari religionis honestatisque principia curent, verum periculum etiam diligenter attendant, in quod forte adduci possint iuvenes, qui spectaculis intersint ad provectae aetatis

homines pertinentibus. Quod attinet ad spectaculorum cognatum genus, quae in cinematographeis et in publicis theatris exhibentur, apud plerasque excultas Nationes opportunis cautionibus provisum est, consulto atque in communis boni tutelam, ut iuvenes ab inhonestis ludicris arceantur. Nemo autem est qui non videat, televisionem quoque, immo multo magis, sedulae vigilantiae commodis atque praesidiis indigere. Si vero contingat, quod penes quasdam Nationes laudabiliter exclusum est, ut alicubi televisificae transmissiones spectacula admittant adulescentibus prohibita, tunc saltem certae cautiones sunt omnino necessariae.

Perperam tamen aliquis putaverit egregia proposita rectamque officii conscientiam eorum, qui id genus artem exercent, satis valere ad bona omnia eruenda, quae ex mira illa parvi televisifici albi arte profluant, aut ad quaevis pericula removenda.

Hac enim in re prudentia ac vigil eorum cura, qui televisificis scriniis utuntur, prorsus expostulantur. Rectus in televisione adhibenda modus, prudens ad spectandum filiorum admissio ex aetate decernenda, aequa de visis iam spectaculis aestimatio, ac denique ab eis, quae minus addeceant, filiorum exclusio: haec omnia totidem sunt officia, quibus parentes atque omnes, in quos educandi munus incumbit, graviter onerantur.

Haud equidem ignoramus, ea praesertim, quae postremo loco monuimus, graves interdum difficultates et gravia incommoda gignere posse; siquidem impertiendae educationis conscientia parentes haud raro iubebit proli exemplo praeesse,

atque etiam cum suo ipsorum gravamine se a quibusdam allicientibus spectationibus abstinere. At quis nimio gravius putet onus, quod parentibus praecipitur, cum maximum liberorum bonum in discrimen vocatur?

Quae cum ita sint, « urget quam maxime necessitas — quemadmodum iam Italiae Episcopis scripto asseveravimus — ut catholicorum conscientia de televisionis usu ad sana christianae religionis principia conformetur » [54]; adeo quidem, ut non errori, non vitiorum illecebris eiusmodi ars inserviat, sed « ad homines erudiendos, instituendos, et ad meliorem statum revocandos » [55] subsidium potius evadat.

Hisce Litteris finem facere non possumus, Venerabiles Fratres, quin in memoriam vestram redigamus, quanti momenti sint partes sacerdoti concreditae, ut in ceteris apostolatus campis, etiam in hoc Ecclesiae necessario opere, quod evulgandarum rerum inventa respicit, cum promovenda, tum in usum adhibenda.

Is nempe quaestiones universas pernoscat oportet, quae in re cinematographica, radiophonica atque televisifica christifidelium animis proponuntur. « Sacerdos, cui animorum cura demandata est — ita Nos in oratione habita ad participantes Conventum per hebdomadam actum de ministerio sacro in Italia ad huius aetatis rationem instituendo — scire potest ac debet, quidquid

---

[54] Cfr. Adhortatio Apostolica de televisione, d. 1 Ianuarii a. 1954; *A. A. S.*, vol. XLVI, 1954, pag. 23.

[55] Cfr. Sermo de gravi televisionis momento, d. 21 Octobris a. 1955: *A. A. S.*, vol. XLVII, 1955, pag. 777.

nostrae aetatis studiis, liberalibus artibus atque technicae progressibus profertur, quod quidem ad supremum hominis finem eiusque religiosam vitam ac mores attineat »[56]. Hisce adiumentis recte uti addiscat, quotiescumque, pro prudenti ecclesiasticae auctoritatis iudicio, id postulant concrediti sibi ministerii indoles aut necessitas frequentiori animorum multitudini opitulandi. Denique, si a sacerdote eaedem artes in ipsius utilitatem adhibeantur, eius prudentia, temperantia, necnon recta officiorum conscientia in exemplum christifidelibus omnibus refulgeant.

Placuit has, quibus profecto et vos ipsi afficimini, Venerabiles Fratres, curas sollicitudinesque aperire Nostras, de gravibus, quae christianorum Fidei moribusque instare possunt periculis, si validissima eiusmodi ad audiendum et ad spectandum artis inventa ad pravos usus ab hominibus detorqueantur.

Haud tamen omisimus commoda quoque utilitatesque indicare, quae hodierna eiusmodi instrumenta valent afferre. Quam ad rem, praelucentibus christianae Fidei legisque naturalis praeceptis, principia illustravimus, ad quorum normas regi atque conformari necesse est, tum eorum actionem, qui haec ad res evulgandas instrumenta moderantur, tum hominum conscientiam, qui iisdem utuntur. Atque ob id ipsum, ut nempe haec Dei Providentis munera animorum bonum procurent, vos paterne adhortati sumus, non solum ad

---

[56] Cfr. Sermo d. 14 Septembris a. 1956 habitus: *A. A. S.*, vol. XLVIII, 1956, pag. 707.

vigilem agendam curam, sed ad actuosam etiam vestram operam auctoritatemque interponendam. Nam ad cuiusque Nationis id genus Officia, quae hac data quoque occasione vobis commendamus, non solum pertinet munus servandi atque tuendi, sed potissimum moderandi, ordinandi atque iuvandi permulta educationis incepta, quae in variis Nationibus inita sunt, ut per hanc tam arduam tamque immensam artium provinciam longe lateque christiani spiritus propagentur.

Quandoquidem autem hanc Dei causam triumphaturam firmiter confidimus, minime dubitamus quin Nostra haec praescripta ac mandata — quae quidem ad rem diligenter deducenda Pontificio Consilio de re cinematographica, radiophonica et televisifica committimus — nova apostolatus studia excitare valeant in hoc campo, qui tam laetam tamque uberem segetem pollicetur.

Hac spe suffulti, quam vestra pastoralis alacritas Nobis sane exploratissima valde confirmat, Apostolicam Benedictionem, caelestium gratiarum conciliatricem, vobis, Venerabiles Fratres, itemque clero populoque unicuique vestrum concreditis, iis nominatim, qui ad vota ac mandata Nostra adimplenda actuosam conferent operam, effusa caritate impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Septembris, in Festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, anno MDCCCCLVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum

17 - DECRETUM

(*AAS.* XXXXIX [22 nov. 1957] p. 943)

RELATIO DE CONFIRMATIONE NON AMPLIUS MITTENDA

Equidem sat cognitum est de praescripto n. 9 Decreti « *Spiritus Sancti munera* », quod inscribitur « *De confirmatione administranda iis, qui ex gravi morbo in mortis periculo sunt constituti* », die 14 m. Septembris anni 1946 editi ab hac S. Congregatione (*A. A. S.* a. et vol. XXXVIII, pag. 349 seq.), locorum Ordinarios officio teneri quolibet anno *Relationem* mittendi ad eandem S. Congregationem de numero confirmatorum, necnon de ratione a ministris extraordinariis suae dioecesis in tam praeclaro munere perfungendo adhibita.

Porro exacto iam decennio a prodito Decreto, huic S. Dicasterio visum est, facto verbo cum Sanctissimo, eosdem Ordinarios, inde a labente anno 1957 et iugiter deinceps, liberare obligatione praefatam *Relationem* mittendi, quum ex relationibus intra decursum decennium heic receptis satis compertum fuerit sacramentum Confirmationis fuisse rite collatum diligenter servatis eiusdem Decreti praescriptionibus.

Ceterum iidem locorum Ordinarii enixe curare pergant ut in sua cuiusque dioecesi ministri extraordinarii huius sacramenti, sollertia pari cum navitate eius collationi incumbant praecavendo ne Confirmatio periculo nullitatis exponatur neve probro et irreverentia quomodolibet afficiatur.

Quodsi abusus aliquis irrepat, ad eum illico convellendum, quatenus opus sit, hanc S. Congregationem adire ne omittant.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die 1 m. Iulii anni 1957.

✠ B. Card. Aloisi Masella, Ep. Praenestinus,
Praefectus

L. ✠ S.

F. Bracci, *Secretarius*

Sacra Congregatio de Religiosis

I

18 - DECRETUM

(*AAS.* XXXXIX [26 octobris 1957] p. 869)

NORMAE ADPROBANTUR, QUAE MODERANTUR AGGREGATIONEM AD PONTIFICIUM INSTITUTUM « REGINA MUNDI » ATQUE AB EODEM INSTITUTO RECOGNITIONEM.

Sacra Congregatio de Religiosis, die convenienti et modernis temporibus apta institutione Sodalium Religionum, Societatum atque Institutorum ubique terrarum exsistentium apprime sol-

licita, vigore facultatum a Ss.mo Domino Nostro Pio Pp. XII receptarum, praesentes Normas, aggregationem ad Pontificium Institutum « Regina Mundi » et ab eodem Instituto recognitionem moderantes, in speciali Commissione rite iam examinatas et recognitas, adprobat pleneque confirmat et ut ad praxim fideliter deducantur auctoritate sua monet atque mandat.

NORMAE

I. *Aggregatio,* quae ad normam art. 13 Statutorum Pontificii Instituti « Regina Mundi » fieri potest, est actus quo Institutum aggregatum sub Pontificii Instituti « Regina Mundi » patrocinio ponitur, studia ibi peracta recognoscuntur, atque eidem Instituto ius tribuitur pontificia diplomata, servatis servandis, conferendi.

II. Diplomata pontificia, quae vi aggregationis qualificatae conferri valent, ea sunt quae Pontificium Institutum « Regina Mundi » in fine primi et secundi anni ad normam art. 10 Statutorum confert. Diploma vero quod ad normam eiusdem articuli in fine tertii anni confertur, ac praesertim « Diploma Magisterii », iis tantum Instituti aggregati alumnis conferri possunt quae postea saltem per annum Pontificium Institutum « Regina Mundi » Romae frequentaverint.

III. Condiciones pro aggregatione sunt:

a) Professores dotibus sint ornati ad normam art. 4 Statutorum Pontificii Instituti « Regina Mundi ».

b) Alumnae studia praevia rite absolverint ad normam art. 5 Statutorum.

c) Studia ordinata sint ad normam art. 6 et 7 Statutorum.

d) Examina peragantur ad normam art. 8 Statutorum.

IV. Institutum aggregatum singulis annis Pontificio Instituto « Regina Mundi » relationem mittere debet in qua clare indicentur:

a) elenchus disciplinarum quae traditae sunt;

b) singularum disciplinarum numerus horarum, programma, liber textus typis impressus vel aliter editus;

c) professorum nomina et tituli academici;

d) alumnarum numerus quae singulos cursus frequentarunt et quae examina superarunt;

e) nomina alumnarum quae pontificia diplomata vi aggregationis consecutae sunt atque earum suffragia in examinibus obtenta.

V. Pontificium Institutum « Regina Mundi » ius habet per proprios Delegatos Instituta aggregata visitandi et eorundem examinibus praesidendi.

VI. Aggregatio perficitur, ad normam art. 13 Statutorum Pontificii Instituti « Regina Mundi », Sacrae Congregationis de Religiosis decreto, quo simul conditiones ac privilegia concessae aggregationis definiuntur.

VII. Praeter aggregationem, dari potest *Recognitio* seu *Agnitio*, qua Institutum recognitum

sub Pontificii Instituti « Regina Mundi » patrocinio ponitur atque studiorum ibi peractorum congruens ratio habetur tum in ordine ad adprobationem ab Ordinariis locorum obtinendam ad normam can. 1381 § 3 C. I. C., tum in ordine ad studia prosequenda in Pontificio Instituto « Regina Mundi », quin tamen Instituto recognito ius tribuatur ex hac recognitione vel agnitione pontificia diplomata conferendi.

Normae n. IV (excepta litt. *e*), V et VI pro Institutis aggregatis datae, valent etiam pro Institutis recognitis seu agnitis.

Datum Romae, die anniversaria Coronationis Sanctitatis Domini Nostri Pii Pp. XII, 12 Martii 1957.

Valerius Card. Valeri, *Praefectus*

L. ✠ S.

Arcadius Larraona, C. M. F. *a Secretis*

II

19 - DECRETUM

DE RELIGIOSIS SERVITIO MILITARI ADSTRICTIS

Militare servitium, quod neglecto clericalis immunitatis privilegio a civili potestate religiosis et sodalibus Societatum vitae communis imponitur, divinam vocationem et spiritum religiosum, ut experientia docet, in discrimen facile adducit. Ut tam gravi occurreretur periculo, Apostolica Sedes peculiares normas constituere et cautelas inducere opportunum ac necessarium putavit.

Hoc ducta consilio, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, die 1 Ianuarii anno 1911, Decretum « Inter reliquas » edidit, speciali approbatione Sancti Pii X confirmatum, ipsumque interpretata est et in usum deduxit iteratis declarationibus, veluti diei 1 Februarii 1912, 15 Iulii et 30 Novembris 1919, 16 Martii 1922.

Cum tamen condiciones in quibus servitium militare in praesens obitur, postremis hisce temporibus valde sint mutatae, cumque praeservationis media efficaciora in promptu habeantur, expedire visum est totam rem ex integro ordinari.

Quapropter, re mature perpensa in Plenario Coetu Eminentissimorum Patrum et accedente Ss.mi D. N. Pii Pp. XII approbatione in Audientia diei 30 Iulii anni 1957, eadem Sacra Congregatio quae sequuntur statuere decrevit.

Art. 1 — NOTIO SERVITII MILITARIS

Servitium militare, in hoc Decreto, intelligitur servitium ordinarium, quod, ex legum civilium praescripto, iuvenes religiosi primum in exercitus ordines asciti et sub potestate atque disciplina militari constituti saltem per semestre tempus, continuum aut intermissum, praestare debent, sive arma deferendo sive auxiliaria servitia quaelibet, etiamsi solum ad sanitatem pertinentia, praebendo.

Art. 2 — VOTA PERPETUA ET SERVITIUM MILITARE

Nemo potest ad professionem perpetuam valide admitti antequam servitium militare peregerit vel inhabilis ad idem absolute declaratus fuerit,

aut iure quavis ratione ab ipso praestando in perpetuum liber evaserit.

Art. 3 — VOTA TEMPORARIA ET SERVITIUM MILITARE

§ 1. Vota temporaria religiosi ad arma vocati, firmo praescripto § 2, suspenduntur cum ipse disciplinae militari subicitur.

§ 2. Superior tamen maior, de consilio suorum Consultorum, religioso ad militiam vocato qui certe dignum se praebeat votorum temporariorum conservatione tempore militaris servitii, ipsamque petat, eorumdem conservationem ad definitum tempus vel ad nutum pro su conscientia et prudentia concedere potest.

§ 3. Ipso militaris disciplinae tempore, idem Superior, ex iusta ac gravi causa potest vota, religioso ad normam § 2 concessa, denuntiatione scripta suspendere; pariter restitutionem eorumdem votorum quae aut initio aut postea suspensa fuerint, concedere.

Art. 4. — CONDICIO IURIDICA RELIGIOSI TEMPORE MILITARIS SERVITII

§ 1. Sodalis, servitii militaris tempore, legitime a domo religiosa absens est et, proinde, vitae religiosae obligationibus manet obstrictus quae, iuxta Superioris maioris iudicium, cum eius condicione militari componi possunt.

§ 2. Tempus quo, votis religiosis adstrictus, aliquis in militia transegit ad normam art. 3, §§ 2 et 3 computari potest ad effectus can. 574, § 1, firmo art. 6.

§ 3. Sodalis, quamquam votis tempore servitii militaris non adstrictus, membrum esse pergit suae Religionis, sub potestate suorum Superiorum constitutus.

§ 4. Sodalis votis non adstrictus potest, ad normam can. 637, libere Religionem deserere, praemonitis, ad valorem actus, Superioribus per declarationem scriptis consignatam vel Superiori coram testibus oretenus factam. Declaratio voce facta statim vim exserit; scripta vero cum ipse sodalis certior factus fuerit Superiorem illam recepisse.

Religio pariter potest sodalem, ad normam eiusdem canonis 637, ob iustas et rationabiles causas, eadem servata forma, dimissum declarare.

Art. 5 — DE PAUPERTATE

Quod ad bona attinet a sodalibus tempore servitii militaris acquisita et ad ea quae postea ex ipso militiae munere iis obveniunt, sive ipsi eiusdem servitii tempore votis adstricti sint, sive ab ipsis soluti, haec servanda sunt:

§ 1 — 1) Quidquid sodalis industria sua aut intuitu Religionis acquirit, Religioni acquirit.

2) Industria sua sodalis acquirit stipendia militaria et generatim quidquid ex eo quod miles est, ipsi obveniat.

§ 2 — 1) Praemium vero quod professo votorum simplicium datur et in patrimonium redigi potest, erit ad instar dotis in sortem convertendum, cuius fructus a Religione percipitur dum alumnus in ea permanet. Per obitum sodalis, prae-

mium Religioni acquiritur. Sodali vero quavis de causa discedenti, idem integrum restituendum est sine fructibus iam maturis. Ceterum quoad regulares serventur canones 581 et 582.

2) Pensiones, quae sodali obveniunt propter insignia merita vel propter vulnerationem vel morbum in militia contractum, Religioni tribuuntur ad eamque pertinent, dum ipse in eadem permanet; sibi ipsi acquirit si forte inde discesserit.

3) Praemia, munera vel quaelibet huiusmodi largitiones ex obitu sodalis militiae addicti data, Religioni cedunt si ipse ut membrum Religionis occubuerit.

Art. 6 — PROBATIO POST SERVITIUM MILITARE

Firmo praescripto can. 574, sodalis, peracto servitio militari, per aliquod tempus sub regimine vitae communis et in votis temporariis permaneat. Hoc tempus generatim non erit trimestri minus. Superior maior, de consultorum consilio, ex gravi causa hoc trimestre tempus breviare poterit vel iuxta suum prudens iudicium, ipsum usque ad annum prorogare antequam ad professionem perpetuam sodalem admittat.

Art. 7 — EXTENSIO DECRETI

§ 1. Praescriptis de quibus in superioribus articulis, congruis ad congrua relatis, obligantur etiam Societates in communi viventes sine votis.

§ 2. Firmo can. 556, § 1, novitii, qui ad militiam vocantur, nisi legitime dimissi fuerint vel

Religionem ipsi deseruerint, Religioni addicti esse pergunt et privilegiis novitiorum fruuntur.

Art. 8 — RELATIO AD IUS PRAECEDENS

Professiones omnes, hucusque contra praescripta Decreti « Inter reliquas » et insequentium declarationum emissae, per praesens Decretum ad omnes canonicos effectus sanantur.

Contrariis quibuslibet non obstantibus et revocatis privilegiis seu concessionibus hac in re datis.

Datum Romae, die 30 Iulii 1957.

VALERIUS Card. VALERI, *Praefectus*

L. ✠ S.

Arcadius Larraona, C. M. F. *a Secretis*

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

R. P. Bender Ludovicus O. P., Prof. Iur. Can. in A. P. I. « Angelicum ».

R. P. Bertrams Wilhelmus S. I., Prof. Iur. Can. in P. U. Gregoriana.

R. P. Bidagor Raymundus S. I., Prof. Iur. Can. in P. U. Gregoriana.

R. P. M. Civisca Aloysius S. I.,

R. P. Fazzari Iosephus M. S. I., Prof. Iur. Can. in Sem. Campano.

R. P. Hürth Franciscus S. I., Prof. Theol. Mor. in P. U. Gregoriana.

R. P. Risk Iacobus S. I., Prof. Iur. Can. in P. U. Gregoriana.

R. P. Schweigl S. I., Mod. exerc. in Fac. Theol. in P. U. Gregoriana.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

Pag.

De principio subsidiaritatis in iure canonico, W. Bertrams *S. I.* 3

Impedimentum affinitatis, L. Bender O. P. 66

Missale romanum slavonicum, I. M. Schweigl S. I. . . 79

De quaerendis a religiosis stipitibus pro missionibus aliisque piis scopis, R. Bidagor S. I. 127

De praesentia Christi in Eucharistia, F. Hürth S. I. . . 141

De exemptione congregationis marianae post codicem, I. Risk S. I. 164

De validitate sic dicti «Naien», A. Civisca S. I. . . . 290

Aliquot praecisiones, I. M. Schweigl S. I. 333

Casus de filiatione legitima, I. Risk S. I. 371

De divisione redituum anni promiscui inter beneficiarios successivos, I. M. Fazzari S. I. 396

Vitam vel incolumitatem periculo exponere, L. Bender O. P. 429

INDEX MONUMENTORUM

Pag.

SS. D. N. PIUS PP. XII

1. Nuntius radiophonicus pridie pervigilium Nativitatis D. N. Iesu Christi anni 1956 88
2. Allocutio de anaesthesiologia 187
3. Allocutio ad moniales ob conventum nationalem e moderatricibus et religiosis nosocomiis addictis . . . 339
4. Allocutio ad christifideles devota omina S. Pontifici proclamantes 348
5. Allocutio iis qui interfuerunt conventui de constituenda unione europaea 356
6. Litterae Enc. de cinematographeo, radiophonio et televisione 437

S. S. C. S. Officii

7. Dubium de affinitate 117
8. Proscriptio librorum 118
9. Indulta in Const. Apost. « Christus Dominus » extenduntur 218
   Annotationes, F. Hürth S. I. . . . . 220 et 259
10. Dubium de valida concelebratione 243
    Annotationes, F. Hürth S. I. 244

S. C. de Sacramentis

11. Decretum de relatione de Confirmatione non amplius mittenda 489

S. C. Concilii

12. Participatio activa rebus politicis in Hungaria sacerdotibus prohibetur 366

Pag.

13. Obligatio legis ieiunii et abstinentiae pervigilio festi Deiparae in coelum Assumptae ad pervigilium festi Immaculatae transfertur 368

S. C. DE RELIGIOSIS

14. Decretum pro aggregatione ad Pont. Inst. « Regina Mundi » 490
15. Decretum circa religiosos servitio militari adstrictos . 493

S. C. RITUUM

16. Ordinationes et declarationes circa ordinem hebdomadae sanctae 119
17. De modo servando in iudicio ferendo super revisione scriptorum in Congregatione ordinaria H. S. C. . . 361
18. decretum circa modum Sanctissimam Eucharistiam servandi 363

S. C. DE SEMINARIIS ET UNIVERSITATIBUS

19. De ratione qua dimissi e seminariis denuo admitti possunt 369

INDEX ALPHABETICUS RERUM

Activitas socialis qua subsidiaria, p. 19.
Actio Catholica, p. 178.
Actus Pontificii presse dicti, p. 261.
Affinitas et Motu Proprio « Crebrae Allatae », p. 70.
Affinitas in infidelitate contracta, p. 117.
Aggregatio ad P. I. « Regina Mundi », p. 491.
Analgesia, p. 188.
Analgesicorum usus, p. 212.
Applicatio principii subsidiaritatis in Iure Canonico, p. 47.
Argumentum principii subsidiaritatis, p. 13.
Artes technicae modernae et praecepta de re morali, p. 449.
Auctores qui tenet « Naien » validitatem, p. 300.

Bonum commune sensu technico, p. 7.
Bonum supernaturale institutionaliter Ecclesiae concreditum, p. 30.

Campus Apostolatus catholici a religiosis praescindere nequit, p. 340.
Canonis 1115 § 2 interpretatio, p. 385.
Chirurgia cordis, p. 193.
Celebratio et concelebratio Missae, p. 245.
Cibus solidus, p. 228.
Cinematographeum, p. 462.
Communionis distributio, p. 275.
Concelebratio et ius ad stipendium, p. 255.
Conditio iuridica religiosi tempore militaris servitii, p. 495.
Conditiones pro aggregatione ad « Regina Mundi », p. 492.
Confirmationis relatio, p. 489.
Congregationum Marianarum iuridica structura, p. 164.
Contradictiones, quibus homines aetatis nostrae premuntur, p. 89.
Cyclus pluriennalis, p. 49.

« *Del sentimiento* trágico de la vida » proscribitur a S. C., p. 119.
De paupertate religiosorum servitio militari adstrictorum, p. 490.
De sensu verborum canonis 97 § 1, p. 69.
Diffusio missalis slavonici, p. 85.

Dimissi e seminariis quo pacto denuo admitti possint, p. 369.
Directorium commune niponicum, p. 291.
Doctrina Concilii Tridentini de SS.ma Eucharistia, p. 145.
Dubia in causis de paternitate, p. 372.

Ecclesiae normae et curae circa ludos cinematographicos, p. 463.
Encyclica « Quadragesimo Anno » et principium subsidiaritatis, p. 17.
Esse sociale, p. 5.
Eucharistia in quo altari servanda, p. 363.
Exemptio Congregationum Marianarum, p. 165.
Expositio vitae vel incolumitatis, p. 431.

Facta iuridica in « Sacram Communionem », p. 260.
Falsus peccati eiusque consectariorum conceptus, p. 96.
Filiatio legitima praescriptione agnita, p. 371.
Formae stipes corrogandi, p. 133.
Fructus intercalares, p. 396.
Functio principii subsidiaritatis in societate, p. 15.
Fundamentum speculationis theologorum antiphysicistarum, p. 145.

Heredes privilegiati, p. 426.
Homo constituit totum in se et propter se, p. 3.
Humanae naturae dignitas et excellentia, p. 93.
Hungariae sacerdotes, p. 367.
Hypnosis, p. 206.

Ieiunium eucharisticum et infirmi, p. 219.
Impedimentum affinitatis, p. 67.
Indoles formalis principii subsidiaritatis, p. 20.
Indoles Motu Proprio « Sacram Communionem », p. 221.
Interpretationis species, p. 262.
Iudicium S. Pontificis in Allocutione d. d. 22 sept. 1956, p. 161.
Iuridica natura cuiuslibet Motu Proprio, p. 264.

« *La agonia* del Cristianismo » proscribitur, p. 118.
Libera dispositio fructuum superfluorum, p. 423.
Libertas et humana realitas actus, p. 101.
L'Osservatore Romano et Acta Apost. Sedis, p. 265.
Licetne conscientiam sui supplimere, p. 207.

Malitia expositionis periculo aut vitae aut incolumitatis, p. 433.
Marianae sodalitates suntne corpus organicum?, p. 173.

Matris adulterium et prolis legitimitas, p. 375.
Militare servitium, arma et bellum, p. 111.
Missae celebratio populum versus, p. 365.
Missae sacrificium et eius televisio, p. 481.
Missalis slavonici descriptio, p. 79.
Motu Proprio « Sacram Communionem », p. 218.

« *Naien* », matrimonii promissio, p. 321.
Narcosis, p. 28.
Nativitatis Domini mysterium, p. 89.
Natura potus non-alcoholici, p. 231.
Niponici iuristae et « Naien », p. 309.
« *Non omnes* oboediunt Evangelio », p. 442.
Normae iuris de relationibus inter diversas de eadem re leges, p. 270.
Nonnulli liturgistae et concelebratio, p. 270.
Normae in televisione et re radiophonica servandae, p. 249.
Notificationes officiales S. Officii, p. 482.
Notio servitii militaris, p. 494.
Nox quae terras involvit, p. 353.

Obligatio moralis quoad dolorem physicum, p. 195.
Obligatio radiophonii auditorum, p. 195.
Obiectum et sensus legum, p. 269.
Occisio et mutilatio hominis, p. 429.
Origo, natura et evolutio anaesthesiae, p. 188.

Pacis causa, p. 110.
Pacis studium, p. 116.
Pars negativa speculationum praesentiam realem Christi in Eucharistia, p. 155.
Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, p. 373.
Perquisitio scriptorum a Servis Dei exaratorum, p. 361.
Personae in societate ut subiecta iuris, p. 11.
Personae que fructibus beneficii participant, p. 411.
Pervigilium festi I. Conceptionis dies abstinentiae et ieiunii, p. 368.
Potestas Ecclesiae in ordine ad supernaturale bonum, p. 42.
Praesentitas et praesentia Christi in Eucharistia, p. 149.
Praecisiones in articulum « Missale romanum slavonicum », p. 331.
Praesumptio iuris, p. 377.

Principia quae ad bonum communitatum et civium pertinent, p. 445.
Principium subsidiaritatis ut Ecclesiae applicabile, p. 22.
Probatio religiosorum post militare servitium, p. 487.
Proles e concubina nata, p. 392.
Promulgatio Motu Proprio, p. 265.
Proventus anni currentis, p. 403.

Quaenam relatio inter « substantiam praesentem et praesentiam substantiae », p. 147.
Quaestationes per litteras vel per nuntia in foliis periodicis, p. 139.
Quid veninat nomine potus alcoholici, p. 229.
Quinam valide concelebrent, p. 243.

Radiophonii utilitates, p. 472.
Redemptionis opus, p. 94.
Recognitio a P. I. « Regina Mundi », p. 493.
Relatio iuridica inter fideles et Ecclesiam, p. 38.
Relationes inter Congregationes Marianas et Actionem catholicam, p. 117.
Religiosae nosocomiis et infirmorum curis addictae, p. 342.
Religiosae verae Christi sponsae, p. 345.
Renuntiatio et interior purificatio, p. 197.
Res et obiectum Motu Proprio « Sacram Communionem », p. 223.
Ritus solemnis vel simplex hebdomadae sanctae, p. 120.

Sacrosanctum Ecclesiae ius in artes technicas, p. 447.
Sensus et valor allocutionis Pont. d. d. 22 sept. 1956, p. 441.
Similitudo prolis adultero, p. 387.
Socialitas humana, p. 4.
Spiritus religiosus et infirmorum cura, p. 344.
Stipes pro missionibus quaerendae, p. 128.
Suarez et legum peremptio, p. 313.
Superflui beneficii fructus, p. 421.
Suppressio aut diminutio sui ipsius conscientiae, p. 203.
Supputatio horarum pro ieiunio eucharistico, p. 253.

Tabernaculum in altare maiore collocandum, p. 364.
Technicae artes hominum cogitata propagantia, p. 451.
Technicae artis inventa miranda, p. 437.
Temporaria vota et militare servitium, p. 495.

Tempus celebrationis Missae, p. 274.
Tempus ieiunii eucharistici a sacerdotibus et fidelibus servandum, p. 219.

Unio Europaea, p. 357.
Unitarum nationum auctoritas, p. 113.
Usus radiophonii et televisionis, p. 474.
Utrum Missam Conventualem celebrans recitationem parvae horae supplere teneatur, p. 370.

Valor adnotationis parentum in libro baptismorum, p. 309.
Veritas, hominum lux et vita, p. 107.
Verus realismus christianus, p. 98.
Virginitas matrimonio superior, p. 341.
Vocatio ad altiorem animi perfectionem, p. 198.

AVVISO AGLI ABBONATI

1) Nel fare l'abbonamento o nel trasmettere indirizzi, indicare sempre se trattasi di abbonamenti nuovi o rinnovati.

2) Rinnovando dare l'indirizzo uguale a quello con cui si riceve.

3) Per correzioni o variazioni al nuovo indirizzo si unisca sempre il vecchio con cui si riceveva.

Pretium subnotationis annuae

In Italia L. 1.100; extra Italiam 2,50 doll.

Roma, Piazza della Pilotta, 4 (c. c. post. 1/22326)

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. VINCENZO MONACHINO S. I., Direttore responsabile

Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae, 1957

LIBRERIA EDITRICE DELLA PONTIFICIA UNIVERSITÀ GREGORIANA

Piazza della Pilotta, 4 - Roma (Italia) - c. c. postale 1/18690

ANALECTA GREGORIANA

RECENTI PUBBLICAZIONI

LXXXI. Z. Alszeghy, S. J. - NUOVA CREATURA. La nozione della grazia nei commentari medievali di S. Paolo - pp. IV + 284. in-8°, 1956 - L. 2500 - doll. USA 4,25.

LXXXII. Francis A. Sullivan S. J. - THE CHRISTOLOGY OF THEODORE OF MOPSUESTIA - pp. VIII + 299, in-8°, 1956 - L. 2500 - doll. USA 4,25.

LXXXIII. Antonio Orbe S. J. - LOS PRIMEROS HEREJES ANTE LA PERSECUCIÓN - Estudios Valentinianos - Vol. V, pp. X + 314, in-8°, 1956 - L. 2000 - doll. USA 3,50.

LXXXIV. Roberto Bortolotti S. J. - LA FORMAZIONE DEGLI EFFETTI CIVILI DEL MATRIMONIO nel regime concordatario Italiano - pp. VII +191, in-8°, 1956 - L. 1800 - doll. USA 3,—.

LXXXV. Fr. Domingo de Sta. Teresa O. C. D. - JUAN DE VALDÉS. Su pensamiento religioso y las corrientes espirituales de su tiempo - pp. XLVIII + 423, in-8°, 1957 - L. 2800 - doll. USA 4,75.

LXXXVI. José Maria Setién - NATURALEZA JURIDICA DEL ESTADO DE PERFECCION EN LOS INSTITUTOS SECULARES - pp. XX + 207, in-8°, 1957 - L. 2000 - doll. USA 3,50.

LXXXVII. Don Franco Molinari - IL CARD. TEATINO PAOLO BURALI E LA RIFORMA TRIDENTINA A PIACENZA - XXVI + 420, in-8°, 1957 - L. 3000 - doll. Usa 5.

LXXXVIII. Casey Thomas F. - THE S. CONGR. DE PROPAG. FIDE AND THE FIRST PROV. COUNCIL OF BALTIMORE. pp. XV + 233, in-8°, 1957 (sub prelo)

LXXXIX. John H. Wright, S. J. - THE ORDER OF UNIVERSE IN THE THEOLOGYY OF ST. THOMAS AQUINAS - pp. VII + 223, in-8°, 1957 - L. 2000 - doll. USA 3,50.